6
19-d
68

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 C
8

Digitized by Google

SIDRONII
HOSSCHIJ,
ET
JACOBI
WALLIJ
POEMATA.

SIDRONII

HOSSCHIJ

E SOCIETATE JESU

ELEGIARUM

LIBRI SEX.

ITEM

GUILIELMI BECANI

ex eadem Societate

IDYLLIA ET ELEGIÆ.

PRÆMITTITUR SIDRONII HOSSCHIJ VITA una cùm Illuſtriſſimorum Virorum poematibus in ejus obitum ſcriptis juſſu Eminentiſſimi Principis Fabii Chiſii S.R.E. Cardinalis, qui fuit ALEXANDER VII. *Pont. Max.*

VENETIIS, MDCCXXXIII.

Sumptibus Jo: Gabrielis Hertz.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

SIDRONII HOSSCHIJ VITA;

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu.

SIDRONIUS HOSSCHIUS, natione Markemienſis, Diœceſeos Iprenſis natus anno 1596. Societati Jeſu ſe adjunxit anno 1616. Humanioribus diſciplinis inſigniter fuit eruditus; eas quinquennio in Scholis publicè profeſſus; quibus etiam juniores noſtros 13. annis imbuit, & biennio Ephebos Sereniſſimi Archiducis LEOPOLDI GUILIELMI tunc Belgii Gubernatoris. Conciones inſuper habuit annos aliquot. Vir profundiſſimæ demiſſionis & contemptus ſui, humile & paſtoritium genus, quo ortus fuit, jucundè ſolebat domi foriſque commemorare, non ſecùs ac familiæ ſuæ decora & ſtirpis ſplendorem. In tyrocinio cùm perpetuo corporis languore affligaretur, videreturque non ſatis aptus ad Societatis munia, adeoque ad ſuos remmittendus, ſummopere contendit, ut in domeſticorum adjutorum ordinem potiùs adſcriberetur quàm à Societate amandaretur. Retentus itaque eſt magno ſuo ac Societatis bono. Moderatoribus ſuis ſemper ad nutum fuit obſequentiſſimus, & ad

quos-

quoſvis labores diurnos juxta ac nocturnos promptus ac impiger. In obeundis pietatis exercitationibus ſedulus ac conſtans, nocturnæ eripiebat quieti, ſi quid ad eas temporis interdiù defuiſſet. Chriſti patientis myſteria in horas ſingulas deſcripta ſecum commentando revolvebat. Ad ſolemnes ſacerdotum preces adjungebat quotidie illas de illibato conceptu Deiparę Virginis, de cujus laudibus & cultu frequens fuit illi ſermo. Hinc fiducia quoque in illam planè eximia. Depoſitus erat & extremis ſacris ritè munitus, quando vovit carmen Deiparæ, ſi ſanitatem redderet. Reddidit illa, & promiſſum carmen, quod initio Lib.II. habetur, ad Servatricis aram venerabundus appendit. Religioſæ paupertatis ſtudio itinera benè longa ſemper conficiebat pedes, ſæpe etiam jejunus. Egenorum ac pupillorum fautor ac pater meritò habebatur. Demùm Tungris dum præeſſet noſtris, mortalitatem exuit die 4. Septemb. 1653. Elegantiam carminis ejus maximi fecere Doctiſſimi quique, ſed præcipuè ALEXANDER VII. Pont. Max. dum Nuntii Apoſtolici munus ad Rhenum obiret, ideoque defuncti funus à Palatinis diverſis domeſticis ſuis carmine, quod hic Sidronii Carminibus præfixum habes, juſſit celebrari.

AUGU-

AUGUSTINI FAVORITI,

LUCENSIS,

S.D.N. ALEXANDRO VII. ab Epiſtolis Latinis, Luctus Paſtoritius in obitum SIDRONII HOSSCHIJ è Soc. Jeſu.

LYCIDAS. MENALCAS.

Menalcas Eminentiſſimum Cardinalem Chiſium; Lycidas Poetam refert.

Quæ te ſollicitum tenet anxia cura, Menalca
O & deliciæ paſtorum, & gloria ſilvæ?
Non etenim fax illa oculis tranquilla renidet
Qua blandos audire ſoles ac reddere verſus.
Et tamen exultare, & verſus dicere tempus
Nunc foret, è roſeis quando caput extulit arvis
Ver nitidum, fulgentque nova nemora avia fronde,
Et nos in molli clivo conſedimus, unde
Cernere prærupti fas eſt de vertice montis
Muſcoſum per iter gelidas deſcendere lymphas,
Dum ſaturæ ludunt per florea prata capellæ.
MEN. *O Lycida, Lycida, ſi ſcires quale ſub ægro*
Pectore vulnus hiet, potiùs mecum ipſe doleres:
Quàm vultum objiceres triſtem ridentibus agris.
Hic cæli niter ipſe, anni hæc vernantis imago,
Ipſi me fontes vitrei, colleſque virentes
Non magis oblectant, quàm cùm nox ingruit atra,
Aut cùm improviſæ vaſtum per inane procella
Grandinis exoriente, hyememque ferentibus Auſtris
Turbari ſata læta, ovibuſque optata videmus
Pabula, dum miſeræ jejunia longa queruntur.

Uſque adeò premit, ac mentē dolor improbus haurit.
LYCID. *Quidquid id eſt, ne conde ſinu; ſed jam mihi caſus*
Fare tuos. Etenim ut, quæ non fluit, unda putreſcit;
Ut rapidus magis objecto furit aggere torrens;
Ut compreſſa parit majorem flamma ruinam,
Incluſique Euri tellurem atque oppida quaſſant,
Sic preſſus dolor intus agit, ſic pectore clauſæ
Marceſcunt lacrymæ, ſpirantque in viſcera tabem.
Et ne fortè putes me vanum afferre timorem,
Conſimili morbo periit Lycus, occidit Alcon.
Quod te ſiqua manent, ſi quid crudele minantur,
Antè lucem pecori, aut ſtabulis incendia mittant,
Vel caput in Lycidæ vertant immitia fata.
Te ſine ſqualeret regio mœſtiſſima, quando
Lugerent armenta, armentorumque magiſtri
Cantare obliti: certè hæc mea triſtis ab ulmo
Fiſtula penderet, levibus ludibria ventis.
Nec de valle cava ludens reſonaret imago,
Quod mihi cantandi cupido dictare ſolebat,
Carmen Appolinea demiſſus origine Paſtor.
Quin ego deſererem ſilvas, lucemque peroſus
Ætatem in duro traherem miſer Appennino
MEN. *Si tibi tantus amor luctus cognoſcere noſtros*
Teque adeò tangit dolor hic meus, accipe. Venit
Verus ab Arcadia nuper mihi nuntius, eheu!
Ægonem occubuiſſe meum: meus occidit Ægon,
Ægon, quo paſtor tota præſtantior alter
Non fuit Arcadia dulci perfundere cantu
Mænala, ſeu patrii ſaltus mulcere Lycæi.
Cui me præclaris captum virtutibus olim,
Hoſpita cùm fieret nobis illa aurea tellus,
Sanctæ fœdus amicitiæ devinxerat arctè:
Quicum ſæpè morari, ac ludere ſæpè ſolebam,
Quamquam vicinis fremerent regionibus arma
Noſtraque finitimæ turbarent otia gentes.
Quis caſus mihi te, vel quis Deus abſtulit Ægon?

O ri-

O nimis in miſerum crudelia fata Menalcam
Infelix pecus ite, nihil honor, ite capellæ.
LYCID. *Anne erat ille Ægon, cujus pia carmina quondam*
Infandam, nimiùm infandam referentia cædem
Ipſe mihi celſa (memini) de rupe canebas,
Eſt ubi ſubjectam latè proſpectus in urbem?
Illaque tu fervens tanta pietate canebas,
Talem inflectebas inter ſuſpiria vocem,
Ut mihi viſa iterùm fuerit diſcedere tellus,
Atque iterùm mœſta involvi caligine cælum?
MEN. *Ille erat: illum atro merſerunt funere Parcæ,*
Aurea divino modulantem carmina plectro.
Eſſe quid hoc dicam, quod tam breve ducimus ævum
Mortales, vivunt cervi corvique tot annos?
Vidi ego ſucciſas iterùm revireſcere quercus,
Exutoſque annis juveneſcere ſæpiùs angues.
Quin & avem longa conſumptam eſt fama ſenecta
Occidere, eque rogo vitam inſtaurare recentem.
Aſt hominem nec fata ſinunt producere vitam,
Nec ſemel extinctum remeare in luminis auras.
Nymphæ, immortales Nymphæ ſuccurrite feſſo,
Dicite, ſiqua viret veſtris in montibus herba,
Quæ gelidos animam revocet vitalis in artus,
Dicite: tum memor hic vobis altaria ponam,
Et nitidos agnos biſſenos de grege cædam.
Quid loquor? heu! rapiunt venti mea vota protervi
Et prece veſana Divos atque aſtra fatigo.
Ergo Ægon periit? nec quiſquam Ægona reducet?
Crudeles Divi, crudelia ſidera, Nymphæ
Crudeles; ſed tu cunctis crudelior Ægon,
Qui periſſe tuo potuiſti abſente Menalca,
Immemor heu! noſtri. Licuiſſet lumina ſaltem
Claudere, & illa meis humentia reddere guttis,
Cùm ſuprema darem frigentibus oſcula labris.
Sed forſan, cùm tu loquerere noviſſima verba
Languidus, ac dulces raperet dolor ultimus auras,

Ipſe inter lætas ducebam pocula menſas
Neſcius, aut Satyros cantabam, aut Phyllidis ignes
Quamquam, ſi penitus mihi mens non cæca fuiſſet,
Certus ego hos olim potui prænoſcere caſus.
Sæpè etenim eſculea captanti frigus in umbra,
Dum tacitus ſedeo, dum ventus & aura quieſcit,
Neſcio quis lævam venit tinnitus ad aurem;
Cumque admoviſſem teretes ad labra cicutas,
Diſſona feralem reddebat fiſtula cantum:
Sæpè & ſponte ſua manibus delapſa cadebat.
Quod ſupereſt, tumulum extincto ſtatuemus inanem,
Quà Tiberis ſacrum velatus arundine crinem
Pacato Latias interluit amne ruinas.
Arbore dehinc viridante mei monumenta doloris
Inſcribam lacrymans: quæ fortè notabitur arbos
Non illam venti eruerint, non auferet ætas;
Vivida ſed ſeros durabit ad uſque nepotes,
Æternùm teſtata meos in cortice luctus.
SALVETE *Ægonis cineres, quæcumque tenet vos*
In terris regio, Vos hic perſolvite mœſti
Paſtori magno, Paſtores; juſta quotannis,
Quem vivum coluit, cujus flet morte Menalcas.

LYCID. *Deſine fata queri meliori luce fruentis.*
Sat lacrymis, nimiumque datum eſt. Ruit intereà nox,
Quæ nos cogit oves in ſepta reducere paſtas.
Cras facere exequias, maneſque vocare licebit.

NATA-

NATALIS RONDININI, ROMANI,

S.D.N. ALEXANDRO VII. à Brevibus, in funere SIDRONII HOSSCHIJ Elegia.

Dum nemoroſa ſuis me detinet Umbria campis,
Umbria ſilvoſis inclyta verticibus;
Et jam vere novo Zephyris advecta ſerenis
Spirat odoratis aura revincta roſis:
Dum modò, quà ſe humili ſubmittunt vertice colles,
Et præbent faciles ad juga ſumma vias;
Aut quà ſaxa inter fluvio Clitumnus amœno
Proſilit, & vitreos integit umbra lacus.
Clitumnus, quo non Cereri aut fluit alter Iacho
Gratior, & niveo eſt concolor unda gregi.
Oppida demiror crebris ſuccreſcere ſilvis,
Et nemora antiquas inter opaca domos,
Quæque procul tumidis ſurgunt in mentibus arces,
Quæque in ſubjecta mœnia valle ſedent:
Nunc juvat ad rivum, quà muſco interlita ripas
Arguto trepidat cærula lympha pede,
Ludere quæ tenui ſervent in cortice fagi,
Mox referat feſſas dux gregis inter oves.
Heu quænam furvis ac triſtibus horrida pennis
Attonitas aures nuntia fama ſubit.
Hoſſchiaden, quo ſe tantum Germania tollit,
Quantum clara ſuo Mantua Mæonide,
Vi ſubita ereptum terras liquiſſe, ſupremùm
Dum canit, & feſſa ſidera voce petit.
Sic ubi ſenſit olor nutare in morte propinqua
Lumina, vicinas præcinit exequias.
Vos teſtes nigri colles, Romana Philetæ
Qui tegitis veſtro molliter oſſa ſinu,
Ut percuſſa novo & miſero confuſa tumultu
Omnia ſint primum viſa iteraſſe Chaos,

Et miris ſimulacra modis erraſſe per umbras,
Et magna manes voce vocaſſe pios
Inter quæ lacrymis & terribili ululatu
Creditur & vates Cynthia fleſse tuus;
Quique unà tumulo teneri conduntur amores,
Non ignes ſolitas non habuiſſe faces.
At tacitos juxta cineres qui labitur amnis,
In mare turbatis mœſtior ibat aquis:
Et quales olim cognati in funere Vatis
Solvebat multis inferias lacrymis:
Conſuetæque viæ & læta inter gramina ripæ
Immemor, oblitum ſæpè retorſit iter.
Nec tantùm flebas cælo gratiſſimus amnis:
Extulit & mœſto gurgite Moſa caput.
Languidus & Rheno ingentes cùm jungeret undas,
Confuſas una miſcuit & lacrymas.
Infelix flumen, quòd dum volueris, amara
Perpetui luctus in mare ſigna feres.
Nec jam auro & læta præcinctum tempora myrto
Excipet tectis Oceanus genitor.
Sidroni intereà, ſeu te nova gaudia cælo,
Seu te culta tenet vatibus ora ſacris:
Si te tangit honos, tibi adhuc ſi carmina curæ
Nec noſter toto è pectore ceſſit amor,
Magna venit cineri merces. Nil fata nocebunt:
Vires, nec parva parte ſuperſtes eris.
Mœrrenti Chiſius dum te ſub pectore condit,
Haud poteras tumulo nobiliore tegi.

ERF-

FERDINANDI FURSTENBERGII,

S. D. N. ALEXANRO VII. ab interioribus Cubiculis, Canonici Hildeſienſis & Paderbornenſis, Elegia a Jacobum Wallium de morte SIDRONII HOSSCHIJ; è Societate Jeſu.

ETſi me patriæ dilectas linquerre terras
Et procùl Angariæ collibus ire meæ,
Et procùl ignotas auſum calcare pruinas,
Et nimio toſtas ſole tenere vias,
Cærulus Heſperidum Tybris regnator aquarum,
Et modò ſeptenis urbs tenet alta jugis,
Alpinæque nives ac nubifer Appenninus
Obſtat, & Hetruſcæ vota morantur aquæ,
Ut nequeam Tungros ſulcantem viſere Moſam,
Et præſens mœſto ſolvere juſta rogo;
Ut nequeam tumulo componere vatis amici
Reliquias noſtris irriguas lacrymis:
Non tamem extincti cineres ac buſta Sidronii
Eminus aſſidua plangere mœſtitia,
Aut unquam meminiſſe pii ceſſamus amoris
Supremos, lingua deficiente, ſonos.
Quin etiam violis & lauri frondibus urnam
Halantem fictis ponimus exuviis,
Et manes plena venerati thuris acerra
Sacramus teneris lilia mixta roſis.
At circùm Latii, doctiſſima turba, Poetæ
Dicunt Aonia carmina mæſta lyra,
Quæ ſeptem geminis imitatur collibus Echo,
Dum queritur noſtris ſaucia vulneribus.
Ipſe etiam fletu tumulum dignatur inanem
Chiſius, Auſoniæ gloria prima togæ:

Et.

Et gemitu manes ciet, ac Permeſſide lympha
Spargit flebilibus ſcripta ſepulchra notis.

HOC MERUIT JUSTI MONUMENTUM BELGA DOLORIS.
PROXIMUS INGENIO, CULTE TIBULLE, TUO.

Intereà curis liber mortalibus errat
Hoſſchius, Elyſium quà tegit umbra nemus;
Quà Zephyri blandis aſſibilat aura ſuſurris,
Et viret intonſis laurea ſilva comis;
Quà ſaliunt vitrei per amœna roſaria fontes,
Et præbet faciles obvia ripa toros.
Illic divinos inter conſidere vates
Geſtis & Heroum proximus ire choris.
Et modò cantatos ſuſpirat numinis ignes,
Et Superum grato carmine laudat opem:
Et modò virtutes ac funera dicit amantum,
Et canit Auſtriaca mœnia capta manu.
Illinc, ſi noſtri tangit te cura, nec omnis
Excidit oblito pectore vatis amor,
Aſpice perpetuis lacrymarum turgida rivis
Lumina, & exequias, docte Poeta, tuas.
Aſpice ut immenſum tua gloria lata per orbem
Viſat & Eoos, viſat & Heſperios.
Ut malè neglectas, monumenta perennia, Muſas
VVallius indignis vindicet à tenebris.
VVallius Aonidum nunc maxima cura ſororum,
VVallius ille meus, VVallius ille tuus
Quàm pius ille manu fugientes claudit ocellos,
Et ſummis animam legit anhelitibus!
Quàm pius æternis mandat tua nomina chartis,
Et damnat lacrymis impia fata ſuis.
Scilicet ereptum ſic triſtis Naſo Tibullum
Luxit, & Orpheam Calliopea necem.

STEPHANI GRADII, RAGUSINI,

Epigramma ad Eminentiſſimum Principem Cardinalem FABIUM CHISIUM de obitu SIDRONII HOSSCHIJ è Soc. Jeſu.

SI qua juvant mutos cineres, ſi lumine caſſis
Jucundum quidquam manibus eſſe poteſt,
Multum habet egregii quod gaudeat umbra Sidroni.
Nuper cognatis reddita ſideribus,
Ad tumulum, o Princeps, decorum laudumque ſuarum
Quòd deſiderio eſt nobilitata tuo.

JOANNIS ROTGERI TORCK,

Canonici Monaſterienſis & Mindenſis, Ode in Funere SIDRONII HOSSCHIJ è Soc. Jeſu.

O Noctis æternæ atque Erebi pudor,
Crimen deorum, lurida carnifex
Mundi ruentis, quam tot atro
Sæcla juvat vacuare penſo!
Quæ ſæva Erinnys, quodve odium vetus
Fameſve magnorum improba funerum
Te concitavit in verendum
Sidronii caput immerentis?
Fatum ſerenæ molliter aureum
Nebant ſorores: dum propior Deo
Poeta nil mortale cantans
Tænarias tremefecit umbras,
Arrexit aures Orcus, inertior

Styx

Styx hæſit, ingens continuit canis
Rictus trifauces, & Megæræ
Viperei ſiluere crines.
Tu ſola funeſtam rabiem intimis
Coquens medullis, diceris inclytum
Plutone deprecante flamen
Sacrilega ſequiſſe dextra.
Scelus peractum eſt. Magni Elegi tacent,
Nec par Tibullo gratia, ceu priùs,
Cantando jam Scaldim moratur
Præcipitem, lacrymiſque Moſam
Latè tumentem. Quin ſacra lugubri
Clamore Parnaſſi antra remugiunt,
Præcordiiſque excuſſa mœſtis
Per virides gemit aura lucos.
At victor orbes ſidereos premit,
Auraque Divum veſcitur Hoſſchius,
Et jura Minois ſevera
Deſpicit, invidiamque Parcæ.
Quid victa frendes? rumpere lividæ
Mortis ſatelles, rode manus reas,
Caputque nequidquam ſceleſtum
Tartareo Phlegethonte cela.
Præciſa Vatum vita repullulat
Ringente Averno. Non timet Atropon
Mens plena Phœbi; ſed ſuperbo
Fata ſiniſtra domat triumpho.

JACO-

JACOBI VVALLII
E SOCIETATE JESU,
IN SIDRONIUM HOSSCHIUM PIETAS.

Cùm Contraci in gravi periculoſoque morbo Carmen B. Virgini voviſſet, ſi convaleſceret, anno 1646. quo urbs in Gallorum erat poteſtate.

O Quæ virgineo cùm ſis lætiſſima partu,
Imperium nati par propè, Mater, habes:
Cujus in arbitrio eſt properantia fata morari,
Corporaque è tumulis viva ciere ſuis:
Quæque pios vates, & de te digna locutos
Crederis auxilio ſæpè levare tuo:
Huc mites, huc flecte oculos. Tuus ille poeta
Deficit, & pallens, & ſine voce jacet.
Deficit, heu fruſtrà paſtus ſibi carmine vitam,
Quo te crediderat munere poſſe capi:
Nil artes, herbæque juvant: tua dextera, Mater,
Poſcitur: hæc vanæ ſuppleat artis opem.
Ne ſine, quod prono pepigit tibi pectore votum,
Ne ſine, quam de te ſpem fovet, aura ferat.
Non illum vitæ (quid enim, quod ametur, in illa eſt?)
Tangit amor; quamvis hic quoque tangit amor.
Omnia luctus habet: facies miſerabilis urbi eſt:
Nec dominum mœrens fert benè Liſa novum.
Crudeſcunt morbi: procumbunt tabida paſſim
Corpora: funeribus non caret ulla domus.
Victoris nunc ira ſubit; nunc rapta gementi
Libertas populo, virginibuſque pudor.
Nec ruri, ut quondam, ſuus eſt honor: orba colonis
Ceſſat, & informi ſqualida terra ſitu eſt.

Hoc

Hoc unum ſupereſt, lacrymis miſcere querelas:
Hoc unum miſeri, flere, levamen habent.
Quem tibi, Sidroni, ſenſum, tam denſa malorum
Se tibi dum ſeries objicit, eſſe putem?
Te quoque plus ipſo tangunt mala publica morbo,
Proſequeris lacrymis forſan & illa tuis.
Nunc lacrymis; tunc, cùm poteras, & voce levabas,
Et, quacumque locus reſque ſinebat, ope.
Hei mihi! dum ſævus miſcet ſic omnia Mavors,
Mitior eſt tantis mors properata malis.
Tu, Virgo, tu ſola facis, cur optet amori,
Et pariter vitæ tempora longa ſuæ.
Ah quoties cælum ſpectat, mortique paratus
Ardet in amplexus ille venire tuos!
Ah quoties votis iterùm revocatur, & optat
Reſpectu tantùm vivere poſſe tui!
Vivat, & extentos virtutibus impleat annos.
Vivat, & hoc munus prædicet eſſe tuum.
Te meminiſſe decet, quæ de te plurima ſcripſit,
Digna tuæ ſobolis nomine, digna tuo.
Donec erat ſoſpes, quis de tot vatibus illo
Dicitur in titulos cultior iſſe tuos?
Facundum faciebat amor: plenuſque vigoris,
Inque ſua ſemper Matre diſertus erat.
Dic, bona, dic, valeat. Memorem ſi forte tabellam,
Aut votiva petis munera, carmen habet.
Illi ſola places, illi laudabere ſola,
Sola pio vati grande volumen eris.
Tunc iterùm blanda matrem te voce vocabit,
Auxilio lætus ſe ſupereſſe tuo.
Natalemque novum tibi ſe debere quotannis
Dicet, & antiqua religione colet.
Pactaque vota feret, feret & ſolemnia thura:
Munera cum tenero carmine laurus erunt.
Tanget & Happardum (quid non pia tangit amantũ
Pectora?) pars meriti non abolenda tui.
Te ſpectans animo, vatemque amplexus amicum,
Hæc de te, dicet, gaudia, Diva, ferro.

Tum

Tum quoque ſervati teſtantia vatis amorem
Ante tuos ponet carmina vota pedes.
Addet & ipſe ſui manſurum pignus amoris,
Aut ebenum, aut Indi nobile dentis ebur.
Hic cultu, variaque ſuper teſtudine fulgens
Pendebit templo pulchra tabella tuo.
Accedent alii, concordia pectora, vates,
Gens pia, gens laudes docta referre tuas.
Ante alios, ſupplex veniet Becanus ad aras,
Nec veniet vacua, gratus & ipſe, manu.
Blanditias, elegoſque ſuos, ſua munera ſolvet.
Materies eritis tuque, puerque tuus.
Omnibus unus amor grates tibi dicere, ſoſpes
Dummodò ſit, pro quo vota preceſque ferunt.
Carminis ut cauſas, & aperti ſigna favoris,
Sic numeros illis, ingeniumque dabis.
Ipſe etiam voti veniam reus, & mea ſacris
Carmina ſuſpendam qualiacumque tholis.
Inſcribam: QUÆ DIVA, TUO MO O VITA POETÆ
REDDITA, PARTE ALIQUA REDDITA VITA MIHI EST.

AD

AD EUMDEM.

Cùm alter alterius recognoſcendis verſibus mutuam navaret operam amiciſſima libertate.

NE vivam, neque vita meos quæcumque libellos
Excipiat, ſuperet tempora parva meæ,
Te mihi, Sidroni, vivit ſit carior alter,
Parſque ſodalitii dulcior ulla mei eſt.
Tu mihi primus amor: te judice glorior uno
Nos aliquem vates inter habere locum.
Tu mea cùm legeres, quid non ſperare jubebas?
Judicio crevit ſpeſque animuſque tuo.
Nec tamen intereà, ne non me cultior ires,
Admonitu non eſt facta litura tuo.
Non tibi libertas deerat: mutanda notabas.
Sæpè mihi facilis, ſæpè ſeverus eras.
Sæpè ſuo invitam reſecabas corpore partem.
Libertas Muſis profuit illa meis.
Inciſis meliùs veniunt in vitibus uvæ,
Inciſis formam ſepibus hortus habet:
Nec, niſi cum loliis ſteriles vellantur avenæ,
Sperato meſſem fenore reddit ager.
Nec, niſi ſilveſtres rami cædantur & umbræ,
Inſita mutatæ mala tulere pyri.
Non mihi ſcribendi veniat tam dira libido,
Ut mea contempto judice ſolus amem.
Sic ſe litorea cum vidit ſolus in unda,
Therſites facie credidit eſſe bona.
Sic que Nerine tantùm Galatea videndo
Horruit, eſt formæ captus amore ſuæ.
Credidit & lumen, media quod fronte gerebat
Credidit hirſutas & placuiſſe comas.
Non hæc antiquos tenuit fiducia vates.
Ingenio timuit credere quiſque ſuo.

Cyn-

Cynthia laudata eſt: ſed laudatiſſima quamvis
Cynthia, judicio ſubdita, Naso, tuo eſt.
Nec puduit Flaccum, juſſos licet icta referret
Chorda ſonos, aures conſuluiſſe tuas.
Sæpè ſuas etiam volucres tibi legit & herbas,
Quæque Mycenæis induit arma Macer.
Sæpè, Perilla, tuum lima mordaciter idem
Raſit, & incudi reddere juſſit opus.
Non, ubi ceſſuras, quamvis ceſſaſſe puderet,
Delictum Muſa eſt inficiata ſuum.
Cedere malebas, quàm non admiſſa fateri,
Nec tibi non laudi cognitus error erat.
Ah valeat, ſibi qui parcit, ſeque & ſua ſolus
Æſtimat. atque odio verba momentis habet.
Ipſe ſibi plauſum geminet, nectatque coronam,
Et medio Pindi det ſibi monte locum.
Invidiamque vocet, quam non niſi ſumma merentur,
Incultum ſi quis damnat, & odit opus.
Sæpè ſuis illum videas ſupereſſe libellis,
Sæpè etiam famæ funera flere ſuæ.
Quippe rudes fetus primo moriuntur in ortu,
Primaque lux illis ſæpè ſuprema fuit.
Tu famam vitamque jubes ſperare libellos,
Judicio pretium qui meruere tuo.

AD SEIPSUM.

Cùm Sidronius Hoſſchius, è Societate Jeſu, amicorum & poetarum optimus maximus vita exceſſiſſet.

Ergò, ubi ſumma dies noſtros expleverit annos,
Quod ſumus, injectus pulvis & urna teget?
Nec mihi profuerit, quòd vates Numen habere
Credimur, & Divum proxima cura ſumus?
Nec mihi, quòd chartas, & chartis digna notari
Nomina poſt cineres Muſa perire vetet?
Si quid id eſt, cari venient ad funera vates,
Et tumulo titulum, mœſtaque ſerta dabunt.
Oſſaque præteriens (ſi quis tamen illa viator
Noverit, & Muſæ fama ſit ulla meæ)
Forſitan inſperget violis ederaque virente,
Et leviter: Vates hic quoque, dicet, erat.
Ulterius nihil eſt, quò ſe ſpes ardua vatum
Porrigat: hoc pretio gens operoſa ſumus.
Et mihi jam tanti eſt, aliquis ſi dicar in illis,
Et populi veniat parvus in ora liber?
Ah furor eſt, ſacras aliquod captare per artes
Nomen, & infamam vivere velle ſuam.
Fama perit, pereunt artes, rapit omnia ſecum
Et rogus infelix, & niger ille dies.
Parnaſſi colles, & collibus addita Famæ
Limina, laurigeris undique ſepta viis,
Parcite, non ego vos, quamquam mihi carus Apollo
Annuat, inque ſuum me ſinat ire nemus;
Non ego vos ederas, ſi quas meruiſſe putamur,
Non capiti poſco laurea ſerta meo.
Nec ſervant ederæ, nec ſervat laurea vatem,
Et cineres fruſtrà ſera corona tegit.

FA-

FACULTAS

R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS SOCIETATIS JESU,

EGo Thomas Dekens, Præpoſitus Provincialis Soc. Jeſu in Provincia Flandro-Belgica, poteſtate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Præpoſito Generali Goſvvino Nickel, facultatem concedo: ut P. Sidronii Hoſſchij Societatis noſtræ Sacerdotis Elegiarum libri ſex, cum ejuſdem variorum carminum ſilvula, eruditorum ex eadem Societate noſtra virorum judicio probati, typis excudantur. In cujus rei fidem litteras manu mea ſubſcriptas, & ſigillo officii mei munitas dedi. Mechliniæ xxv. Auguſti, anno MDCLV.

Thomas Deken

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

NOn hos libellos approbare tantùm viſum fuit, ſed ipſi Poeticæ gratulari, quæ Sidronium Hoſſchium, virum è Soc. Jeſu eruditiſſimum, nacta ſit Elegiographum, qualem nulla adhuc tulerunt ſæcula, caſtum ſimul & elegantem. Nam de iis, qui hanc poeſeos partem excoluerunt, id pronuntiari poſſint, quod de boletis Medici, peſſimos eſſe qui inter illos ſunt optimi. *Quæ voluptas*, inquit Plinius, *tam ancipitis cibi*; ego, tam laſcivi carminis? Quo nomine Adrianus VI. Pontif. Maximus Poetis iniquior fuit: at nunc Alexandri VII. nomen ſibi præfigere auſi ſunt hi libelli, cujus commendatione celebriores lucem meritò videbunt.

Chriſtianus Voochts Canonicus & Archid. Antuerp. Lib. Cenſor.

SIDRONII HOSSCHIJ ELEGIARUM LIBER PRIMUS.

BIBLIOTECA NA ROMA VITTORIO EMANUEL

CURSUS VITÆ HUMANÆ ELEGIA I.

Vitam mari ſimilem eſſe.

VITA mare eſt: res plena metu, res plena tumultu
Utraque, Mortales credite, Vita mare eſt.
Neutri tuta fides: quot fluctibus aſpera ſurgunt
Æquora, tot cauſas illa timoris habet.
Syrtibus infame eſt, ſaxiſque latentibus æquor:
Infamis ſcopulis eſt quoque vita ſuis.
Saxa, maris ſcopuli, vitæ, ſua cuique cupido.
Hei mihi, quot ſcopulus perdidit ille rates!
Et fluit, & refluit, rapiturque & volvitur æſtu,
Et ſtabile in ſola mobilitate mare eſt.
Littora nunc repetit, nunc littora deſerit unda,
Occurritque ſibi, ſeque reverſa fugit.

Æſtuat, & diſcors etiam ſibi vita reſiſtit,
Perque ſuos æſtus noſtraque, noſque rapit:
Et modò,quod prodeſt,temerè averſatur, & horret,
Et modò, quod lædit, per ſua damna petit.
Et dolet, & gaudet; ſperatque, timetque; ſibique
Cedit, & obſiſtit; neſciaque ipſa ſui eſt.
Nec magis immite eſt pelagus quàm vita, nec iræ
Plus habet: hoc monſtris, nec minùs illa ſcatet.
Eſt maris, eſt vitæ curſus metuendus & anceps:
Publica naufragiis utraque facta via eſt.
Aſpicis ut vexent crudeles æquora venti?
Ut tollant undas montibus illa pares?
Concurrunt Euri Zephyris, Aquilonibus Auſtri,
Præliaque in pelago, cum pelagoque gerunt.
Vita quid hæc aliud, niſi triſtis,& aſpera pugna eſt?
Pace caret pelagus, vitaque pace caret.
Si qua tamen pax eſt, nihil eſt incertius illa:
Jam Boreas franget, quam tulit ante, ratem.
Navita quid precibus fluctus placare laboras?
Accipiunt nullas æquora ſurda preces.
Ipſe tonat, precibuſque tuis obmurmurat æther,
Verbaque diſcerpunt, qui tua vela, Noti.
Unda furens inopum cymbas, regumque triremes
Percutit, & meritas immeritaſque rapit.
Pluribus, aut totidem nullo diſcrimine ſævit,
Nec minùs infeſtis improba vita malis.
Nonne per adverſas agitur propè tota procellas?
Nonne ſuos fremitus, ut mare, ſempre habet?
Non quos Oleniæ ſidus pluviale capellæ,
Aut oriens Sterope, Taygeteque ciet:
Sed quos ipſa ſibi, quos ipſi plurimus hoſtis,
Ipſa ſibi, atque hoſtis, ſed magis ipſa movet.
Cumque ars ſæpè domet fluctus vitæque, mariſque,
Deficit ars dubiis utraque ſæpè malis.
Hic primo, hic medio curſu perit, ille ſupremo:
Sæpè etiam in portu naufraga turba ſumus.
Sors eadem populos florentes jactat & urbes;
Sors eadem reges, totaque regna rapit.

Illa

Illa viris armiſque potens, tot nomina faſtis
Quæ dedit, & Superis par propè Roma fuit,
Totque triumphorum ſibi maximus ipſa triũphus,
Quæ ſibi ſubdiderat ſolis utrumque latus;
Viſa ſibi alterius ſortis diſcrimine major,
Interiit ventis naufraga facta ſuis.
Majeſtas cecidit, ſellæ cecidere curules:
Barbaries victrix Itala ſigna tulit.
Quem domitum vidit ſeptem de montibus orbem,
Vidit in externas victa venire manus.
Hæc ego te moneo, qui quod jubet impetus, audes,
Cui volat excuſſo cymba ſoluta metu:
Quem nil Cyaneæ, nil monſtra natantia terrent;
Nil tabulæ, & merces, gazaque ſparſa mari:
Qui neque, quid moneant venti, quid ſidera, curas
Quid reſonans longè littus, & unda notet,
Quid ſignent medio revolantes æquore mergi,
Oblitus pelagi, nec minus ipſe tui.
At niſi ludibrium debes animamque procellis,
Quot fluctus, totidem crede venire neces.
Sollicitos ſervat felix induſtria nautas,
Nec niſi ſollicito naſcitur ille metu.
Cùm mare, cùm ventos, cùm circumſpexeris aſtra
Dic: Ubi nunc velis commoda ſtella meis:
Sic tibi ſit numquam Ceyca referre natantem,
Seraque poſt fractam perdere vota ratem.

ELEGIA II.

Ad felicem curſum pretioſam navem non conferre:
Vitam divitiis beatam ſecuramque non reddi.

NOn tibi ſi triſtes pelagi denuntiat iras,
Noſtra ratem ventis credere Muſa vetat:
Sed monet, ut, quoniam ventis dare vela neceſſe eſt,
Firma per infidum ſit tibi navis iter.
Nec tibi de pulchra, nec ſit de divite cura,
Vela nec antennis ſerica necte tuis.

Serica non curant Aquilones vela, nec Auſtri,
Nec timidè pictos verberat unda Deos.
Littoribus ſolvens patriis Regina Canopi,
Miranti luxum gurgite, vela dedit,
Aurea puppis erat, formæque in puppe Deorum,
Monſtraque delubris Nile recepta tuis:
Bubaſtiſque, Epaphuſque, & Anubis, & Inachis Io,
Et quæ præterea numina Memphis habet.
Aurea fulgebant ſummo carcheſia malo,
Fulgebant nitidis illita tranſtra notis.
Cærula inaurati verrebant æquora remi,
E credo tabulæ, clavus eburnus erat.
Unda repercuſſo radiabat concolor auro,
Et qualis Danaen fallere poſſet, erat.
Mollia purpurei nectebant vela rudentes,
E media fuerant vela pet ta Tyro.
Ipſa videbatur velorum purpura fluctus
Tingere, purpurea findere puppis aquas.
In medio thalamus: thalamo regina jacebat,
Viſa ſibi æquoreas inter habenda Deas.
Errabant pueri, quales pinguntur Amores,
Reginam circum, purpureumque torum:
Pars arcum, Pharetramque gerit, pars aurea vibrat
Spicula, pars dominæ ſpargit in ora roſas.
Quid memorem, ut cultę Nympharum more puellę
Nautarum ſubeant arte manuque vices?
Ut feriant illæ ductis ad pectora remis
Æquora; propulſam dirigat illa ratem?
Hæc faciles captat ventos, tractatque rudentes,
Et modò dat Zephyris, & modò vela Notis.
Illa ſedet, citharamque tenet, remiſque canendo
Imperat, & pulſas carmine mulcet aquas,
Pars philyra flores, & ſerta fragrantia nectit:
Illa coronandis puppibus, illa Diis.
Pars tibi votivas pingunt Neptune tabellas,
Quas tibi pro ſalva munera puppe ferant.
Singula quid referam? quas pendunt regna Canopi;
Et quas Nilus opes, una carina vehit.

Quid

Quid tibi vis regina tamen? cùm pallidus auro
  Malus, & antennæ, pictaque tranſtra gement,
Cùm fera te jactabit hiems, ferientque carinam
  Fulmina, cùm Boreas tollet in aſtra mare;
Et modò ſurgentes pulſabunt ſidera fluctus,
  Et modò diductis terra patebit aquis;
Navita cùm pallens cælo diffidet & arti,
  Iſidaque & ſurdum poſcet Oſirin opem;
Quid tibi tunc pretioſa ratis, quid conferet aurum?
  Quid tibi tunc mentis, ſi qua ſuperſit, erit?
Tune putas opibus Boream, Auſtrumque furentem,
  Deliciiſque capi Nerea poſſe tuis?
Pallentes gravis unda genas, gravis unda capillos
  Sparget, & humenti lumina veſte teges.
Non tibi tunc miſeræ pallorem regia demet
  Purpura, nec Libyci nobile dentis ebur.
Nil aurum poterit: mare non corrumpitur auro:
  Exorant tumidos munera nulla Notos.
Tunc fruſtrà pelagi Nymphis regalia tendes
  Brachia natalem reſpicieſque Pharon.
Ludibrium ventis & verba & vela ferentur,
  Ludibrium ſævis aurea puppis aquis.
Falleris o quicumque tibi blandiris, & inter
  Immenſas felix eſſe videris opes.
Te quoque deceptum, ſoloque errore beatum
  Per tumidas defert aurea puppis aquas.
Crede mihi, nullis opibus confidere tutum:
  Eludunt dominos, deſtituuntque ſuos.
Ah pereat, qui primus opes effodit opertas,
  Quas meliùs tenebris alta tegebat humus.
Illum debuerat coeuntis mole ruinæ
  Obruere, atque opibus jungere terra ſuis.
Quàm benè defoſſo latuiſſet proximus auro!
  Quot pariter ſcelerum monſtra ſepulta forent!
At nunc ex antris pariter prorupit iiſdem
  Proditio, & gaudens ſanguine cædis Amor,
Et Mars, & Martis comites Terrorque, Furorque,
  Et Luxus, bello pejus & hoſte malum,

Ambitio tantas qua duxit origine vires,
  Unde trahunt ortus Faſtus & Ira ſuos.
Aurum captivæ leges, & jura ſequuntur,
  Cumque ſua ſequitur capta bilance Themis.
Fortiùs hoc ferro, triſidoque potentiùs igne
  Perrumpit valida mœnia ſtructa manu.
Pugnat, & humanis infame eſt cædibus aurum,
  Et minùs à ferro corpora noſtra jacent.
Impius, ante aras, fœdavit cæde Sichæi.
  Pygmalion, auri captus amore, manus.
Perdidit Oeclīden Eriphyle, nupta maritum;
  Perfidiæ fulvum cauſa monile fuit.
Quid Pelopem ſoceri conſperſit ſanguine, quid ve
  Triſtia Myrteæ nomina fecit aquæ?
Unde, niſi ex auro, jaculis increvit acutis
  Ferrea quæ texit te Polydore ſeges?
Ferrea, quæ patimur, primùm fluxiſtis ab auro
  Sæcula: dos auri divitis illa fuit.
Aurea (ſi qua fides) aurum non noverat ætas.
  Quæ primùm hoc novit, decolor illa fuit.
Cùm tellus aconita ferat, triſtiſque cicutæ
  Gramina, nil auro divite pejus habet.
Illa ſuas iterùm venas, aurumque recondat;
  Aurea, quæ currunt ſæcula, rurſus erunt.
Hoc primùm docuit mirantibus æquoris undis
  Ad ſua deceptas damna volare rates.
I nunc trans Gangen, trans fluctus curre rubentis
  Æquoris, ut referas unde perire velis.

ELEGIA III.

Malum, antennas, vela, cæteraque armamenta magnitudini navis aptanda eſſe: Mediocritatem in vita ſpectandam.

Non ſatis eſt firmā ventis committere navem:
  Cætera ſi deſint, firma carina parum eſt.
Arbor & antennis, & velis apta ferendis
  Ex æquo mediam temperet arte ratem.

Et

Et latere à gemino ſpatiis æqualibus abſit,
  Ne pars hæc oneris plus ferat, illa minùs.
Vela quoque aptentur. Quæ ſint aptiſſima, quęris?
  Non minima, at magnis eſſe minora velim.
Parce, precor, velis æquo majoribus uti:
  Res eſt auxiliis iſta timenda ſuis.
Apta habili moderare manu: modò ſtringe tumentes,
  Ut venti fuerint, & modò pande ſinus.
Et modò in obliquum Zephyros captare memento,
  Et modò fac ſollers, quà venit aura pedem.
Nec ventis aude confidere: contrahe prudens
  Quæ Zephyro nimiùm vela ferente tument.
Nulla fides ventis: nihil eſt fallacius illis:
  Ipſa quoque amiſit, quæ favet, aura fidem.
Vidi ego naufragij tabulas per littora ſparſas,
  Cauſaque vis Auſtri vela juvantis erat,
Fortuna nimiùm læta periiſtis Athenæ:
  Hæc vos, & veſtras perfida fregit opes.
Elatæ rerum ſucceſſibus itis in arma;
  Sub tumidis æquor claſſibus omne latet.
Quid tremitis Siculæ viſis tot navibus urbes?
  Hæ ſibi, non vobis, ultima fata vehunt.
Tranſiliat velis animiſque tumentibus æquor,
  Totaque ſe placitis Attica credat aquis.
Nunc quibus inſultat, mox victa ſatiſcet in undis:
  Naufragium claſſis, gentis & urbis erit.
Dum victrix domitum ſeptem de montibus orbem
  Aſpicit, è tanto culmine Roma ruit.
Calde ſua fluctus Antonius ire cruentos
  Vidit, & hos, dixit, lætior aura movet.
Crœſe pyram ſupera: jam vivus in igne ſedebis:
  Hoc ſolium tibi ſors illa benigna dedit.
Proſpera res armis, omnique potentius hoſte
  Exitio reges regnaque ſæpè dedit.
O fuge fortunæ ridenti fidere, nec te
  Auferat utilitas: utilitate nocet.
Addit opes: cumulat titulos: poſt omnia, mentem
  Eripit: hoc pretium dona faventis habent.

Pulſa fugit Ratio, vacuamque Superbia ſedem
Occupat, & cuiquam cedere turpe putat.
Nec patitur ſortis dubio nutantis in orbe,
Nec vitæ fragilis, nec meminiſſe ſui.
Ferre parem neſcit, majoraque viribus audet,
Conſiliiſque expers in ſua damna ruit.
Nec minùs intereà Livor, ſublimia ſemper
Qui petit, inſida clàm movet arma manu.
Inſidiis Livor, quod viribus hoſtis apertis,
Totaque quod nequeunt agmina, ſæpè facit.
Nec tamen, invidia fueris ſi major, & hoſte,
Tutus es! ipſa ſuo pondere magna ruunt.
Mole ſua turres, excelſaque tecta laborant,
Incumbenſque ſibi grande fatiſcit onus.

ELEGIA IV.

Navem, quò ſtabilior ſit, ſaburra onerandam: Naturæ noſtræ levitatem virtute ſtabiliendam.

Nos agit, & verſat levitas: mutamur in horas,
Et nihil eſt, quod nos, votaque noſtra regit.
Nunc odiis animus, nunc expugnatur amore,
Nunc ſpes, nunc agitat pectora noſtra metus.
Dejiciunt luctus, attollunt gaudia: motus
Turbida mens ſequitur, nec capit ipſa ſuos.
Aut rapit inſtabilem brevis & non vera voluptas,
Aut animus cœptum deficit inter opus.
Fluctuat infelix quacumque impellitur aura,
Nec ſatis exactum, cedat an obſtet, habet.
Nec telis opus eſt, mortemque minantibus armis,
Quæ revocent, &, quà cœpimus, ire vetent.
Cedimus impulſu minimo: Meliora peroſos
Cauſa levis cogit deteriora ſequi.
Vivimus incertò multi, pars maxima nullo
Conſilio: pauci, quò vocat uſus, eunt.
Quem ſua non vexant faſtidia? perdere vitam
Maxima, dum neſcit vivere, turba ſolet.

Ex-

Excutiunt etiam cœpto nos tædia curſu.
  Hæc, puto, ſunt noſtri maxima cauſa mali.
Novi ego qui ſubitò pulchri ſuccenſus amore
  Jam virtutis erat currere certus iter.
Vincula, dicebat, jam ſum meus, omnia rupi,
  Quæque diu juvit ferre, tuliſſe pudet.
Jam mihi mortales mens eſt excedere curas:
  Terra nihil dignum, quo teneamur, habet.
Nec me blanditiæ poſſint, nec munera regum
  Vertere: mors curſum finiet una meum.
Obſtitit exigui facies inopina laboris,
  Parvaque venerunt tædia, fractus erat.
Sæpè etiam, qui præbuerat felicia ventis
  Carbaſa, flexit iter, cauſaque nulla fuit.
Heu ſibi non conſtans animus! Sic canna paluſtris
  Nutat, & hiberno flectitur acta Noto.
Sic volucres fumos, vectamque per aera nubem
  Arbitrio vertit quælibet aura ſuo.
At nos (nec pudor eſt) prætexere nomina culpæ
  Neſcio quæ, nobis & dare verba juvat.
Ille, vel ille meæ, clamamus, cauſa ruinæ eſt:
  Nec tamen, ah liceat dicere, vera fuit.
In nobis eſt cauſa mali. Mens neſcia voti,
  Aut incerta ſui, ſolaque crimen habet.
Hæc eſt conſiliis, hæc eſt virtute regenda,
  Hæc eſt officii ſæpè monenda ſui.
Nũc tibi facta Patrũ, veterumque exempla virorũ,
  Nunc Divum monitus, & ſacra verba refer.
Nunc etiam in teneris robur mirare puellis:
  A ſexu vinci ſit leviore pudor.
Cur virtus odio eſt? malè ſarcina magna putatur.
  Ne tua te levitas auferat, illa facit.
Ut ſit onus, prodeſt: ventis obſiſtit & undis,
  Cur, quod te ſervet, ferre gravaris onus?
Quòd niſi te firmet virtus immota, ſuique
  Conſilii, quamvis exagitata, tenax,
Heu fruſtrà alterius felicia vela videbis,
  In mediis, lacera nave, relictus aquis.

Nonne vides, ut ſe pelago malè credat aperto,
Nec tutum faciat puppis inanis iter?
Vel rudibus ſaxis, vel adhuc humentis arenæ
Providus inſtabilem navita mole gravat.
Ni faciat, navim levitas evertat euntem,
In curſu ſtabilem juſta ſaburra facit.
Illa ſuo trepidantem examine librat in undis:
In latera impulſis illa reſiſtit aquis.
At labat infelix, & tantùm volvitur undis,
Hac ſine per fluctus quæ ratis errat ope.
Non illi portus, non expectanda corona eſt:
Exitium ſævis perdita debet aquis.
Ut careat ſcopulis, quodcumque ſubiverit æquor,
Pro ſcopulis miſeræ fluctus & æſtus erunt,
Dic mihi quid refert, tumidis an fluctibus hauſta,
An fracta pereas ad vada cæca rate?
Num minùs immanes paſces ſub gurgite phocas?
Num minùs ejectum vilis arena teget?
Ergò animum firmet tanto in diſcrimine Virtus.
Pondus, quo ventos & mare vincat, habet.

ELEGIA V.

Remigandum quandoque eſſe: In vita laborandum.

Lintea ſi ventus tua deficit, utere remis:
Ventorum remi ſæpè fuere loco.
Nec pigeat feſſos pulſu verſare lacertos
Æquore: ſi ceſſent, auferet unda ratem.
Tu licet obnixus vento lucteris & undis,
Sitque procul remis terra petenda tuis:
Et licet erumpat toto tibi corpore ſudor,
Lædat & attritas puſtula rupta manus:
Non animus, non tu deſis tibi: Nil ſine magno,
Quod juvet & proſit, vita labore dedit.
Dum patiens corpus, dum mens eſt apta labori,
Illud agat partes, nec minùs illa ſuas.

Aſpi-

Aſpice tot celebres muris & turribus urbes,
Fluminaque inſuetas currere juſſa vias:
Totque operũ moles, monumẽtaque docta, tot artes
Omnia ſollerti nata labore vides.
Signa manu docti nondum formata Myronis
Quid niſi marmor iners, & rude pondus erant?
Quid niſi cum lappis tribulos, & inutile gramen
Vomeribus nullis ſaucia fundit humus?
Et labor emendat triſtes in palmite ſuccos,
Et facit, ut fidus ſemina reddat ager.
Fama ſenem celebrat priſca de gente Quiritum,
Cujus opes meſſis, cultaque vitis erant.
Ipſe ſuam ſubigebat humum, ſeu vomeris uſus,
Seu curvæ falcis, ſive ligonis erat.
Sive foret ſiccus ventis, aut ſolibus annus,
Non illi ſegetes ſicca negabat humus.
Sive ſata & terras nimius perfunderet imber
Humida ſperatas terra ferebat opes.
Fallebat vicina ſeges quandoque colonos;
Illius ſemper luxuriabat ager.
Semper in illius turgebant vitibus uvæ;
Parcior, aut ſterilis proxima vitis erat.
Quidquid peccabant ſoles, auræque malignæ,
Supplebat varia ſedulus arte labor.
Nemo ſine invidia felix, & agreſtia livor
Culmina, non tantùm regia recta petit.
Invidiam meruit virtus operoſa coloni.
Arte ferax magica dicitur eſſe ſolum.
Luce ſacra poſitis ceſſabat pagus aratris:
Fumabant calidis annua liba focis.
Turba frequens ibat templis latura coronas,
Parvaque Dis ruris munera, ruris opes.
Qua via ducebat, prima ſurgebat in herba,
Sed reliquis multò lætior una ſeges.
Hanc aliquis comitũ ſpectans: quò tẽdimus? inquit:
Gens rudis, & nobis non ſatis æqua ſumus.
Quid fruſtrà toties fruges luſtramus & agros,
Et Divum templis irrita ſerta damus?

Nec ſpicis placanda Ceres, nec palmite Bacchus:
  Eſt alia, & melior victima danda Diis.
Ille ſenex, cujus tam lætum cernitis agrum,
  In ſua cantatas horrea condit opes.
Carminibus fruges noſtris traducit ab agris,
  Traducit noſtra ſemina jacta manu.
Eſſe nefas conſtat: cur non defertur ad aures
  Iudicis, & merito plectitur ille ſuo?
Ut veniant meſſes, veniant feliciùs uvæ,
  Hæc melior magnis victima danda Diis.
Dixerat: aſſenſit gens ruſtica: mittitur index
  Criminis: accuſat: curia mota fuit.
Jamque dies aderat, quo judicis ora ſubire
  Ruſticus, & pro ſe dicere juſſus erat.
Conſedere patres: poſito ſtetit ille timore,
  Et baculo nitens hos dedit ore ſonos:
Non agit ulla meam, nec agat facundia cauſam:
  Alterius, verbis; rebus agenda mea eſt.
Nec mora: ſplendentes verſa tellure ligones,
  Sarculaque in medio ponit adunca foro,
Tribulaque, & falces, & iniquo pondere raſtros:
  Nec teres ingenti mole cylindrus abeſt.
Aſtiterat patri robuſtis nata lacertis,
  Grandis, & æſtivis ſolibus uſta genas.
Aſtiterant ſoliti glebas invertere ferro,
  Innexique jugo colla toroſa boves.
Dum ſtupet, expectatque ſilens cum plebe Senatus,
  Tam nova iudicii quid ſibi forma velit:
Calloſam ſenior tendens ad ſingula dextram,
  Iſta veneficii ſunt, ait, arma mei.
His mea carminibus vitis purgatur, & uvas
  Tot parit: his felix eſt mihi, ſitque ſeges.
Hæc, ego ſi damner, mecum damnentur oportet:
  Criminis auxilium, parſque fuere mei.
Simplicitas placuit, placuerunt verba coloni,
  Tutaque Romano judice cauſa fuit.
Tu quoque quæ timidis virtutis præmia votis
  Et netis, in manibus crede repoſta tuis.

Has

Has memor exerce, nataſque impende labori:
  Exacti pretium dulce laboris erit.

E L E G I A VI.

In tempeſtate navem ancora firmandam: Spem in rebus adverſis retinendam.

CUr tibi tempeſtas animos iritaque frangant
  Æquora? non ſemper ventus, & unda furit.
Speranda infeſtis tibi ſors eſt altera rebus:
  Res mala felicis ſemina ſortis habet.
Si puppim Boreas tamen abripit, ancora firmet,
  Hanc Spes formoſa porrigit ipſa manu.
Quamvis jam tabulæ ventis ſolvantur, & undis,
  Et tumidæ feriant ora precantis aquæ:
Quamvis jam puppim torta vertigine fluctus
  Mergat, & in medio deſtituare freto:
Spes tamen adjiciat vires animoſque natanti:
  Illa per invitas brachia ducet aquas.
Omnia cùm terrent, & deplorata videntur,
  Quod juvet, in mediis invenit illa malis.
Illa nec ad ſcopulos alliſa nave fatiſcit,
  Nec fracta pariter cum rate fracta perit.
Illa etiam vaſto reperit ſibi gurgite portum:
  Illa ſuas, quamvis naufraga, ſervat opes.
Te quoque votivæ doceant ſperare tabellæ,
  In quibus injuſti crimina picta maris.
Quid tibi poſt caſum lacrymæ funduntur inanes?
  Non eſt auxilium planctus, inerſque dolor.
Saucius & victus redit in certamina miles,
  Et fert exuvias qua modò vincla manu.
Sit quamvis ſterili deluſus meſſe colonus,
  Rurſus arat, rurſus ſemina mandat humo.
Suſtinet, infeſtos cancer cui ſerpit in artus,
  Ut vitam redimat, parte carere ſui.
Spem reus infelix, ſeu crux ignesque parantur,
  Seu micat ante oculos ſtricta ſecuris, habet.

Sors

Sors ebur, & faſces, & avitos tollere cenſus,
Tollere ſpem cuiquam non tamen illa poteſt.
Quam ſors nulla poteſt, hanc tu tibi demere noli,
Non tibi ſi fuerit nunc malè, ſemper erit.
Conſule Mæoniden vitæ præcepta ferentem:
Quæ firment animum fabula vatis habet.
Seu Mars, ſeu pelagus patientem jactet Ulyſſem,
Invictum quævis ad mala pectus habet.
Spes illi celerem verſabat in omnia mentem,
Præſenteſque animos conſiliumque dabat.
Tunc quoque ſperabat, cum gens Trojana latentē
In ſibi ſuſpecto pænè videbat equo.
Urite, clamabat vates: malè creditur hoſti:
Fraudem dona tegunt: urite, Troes, equum.
Audiit, hiſque ipſis, per quos periiſſe putares,
Speravit vinci Pergama poſſe dolis.
Dum patriam repetit, dum terris omnibus errat,
Num minus huic ſors eſt, quam fuit antè, gra.is?
Non illum elapſi potuerunt utribus Euri
Frangere, cærulei non gravis ira Dei.
Cum ſævis toties undis, populiſque, lociſque,
Et Dis luctanti ſpes bona ſemper erat.
Hac quoque Lotophagos, hac Circen auſpice fugit,
Hac Læſtrigonias, Antiphatiſque manus.
Nec ſpes deſtituit vaſto Cyclopis in antro
Spectantem comitum viſcera ſparſa ſolo:
Spectantem trepidos avidis ſub dentibus artus,
Oraque crudeli ſanguinolenta dape.
Illius effugio quis non præcluſa putaret
Omnia? quà fugeret, ſpes patefecit iter.
Naufragus & nudus cùm ſe ſerva. it in alto,
Plus ſibi, quam ſocii, totaque claſſis erat.
Nec tu cede malis: vinci mala fortis acerbæ
Poſſe puta, vinces: fer modò, ſpemque tene.
Pænè ſuo ſemper metus eſt diſcrimine major:
Vulneris eſt pejor vulnere ſæpè metus.
Serpentes non omnis habet, tigreſque, leaſque
Silva: nec ex omni fulmina nube cadunt.
Unda-

Undarum Boreas dum volvit in æquore montes,
Et quaſi tacturas ſidera tollit aquas;
Si molem ſpectes, quæcumque allabitur, undæ,
Obruet hæc, dices, quæ venit unda ratem.
At nihil illa nocet: tantummodò tollit in altum,
Dum venit: & ſalvam præterit illa ratem.
Ipſe tuos animo refer & circumſpice caſus,
Quos modò te forti mente tuliſſe juvat.
Dixiſti quoties rebus deprehenſus in arctis:
Tempeſtas puppim deprimet illa meam.
Tempeſtas abiit: puppis tibi ſalva concurrit,
Nec quidquam gravius paſſa timore fuit.
Si fortuna tamen, quidquid tibi contulit, aufert,
Non ſpem, non animos auferat illa tuos.
Omnibus amiſſis ſi ſpes animuſque ſuperſit,
Pars melior cenſus eſt tibi ſalva tui.

ELEGIA VII.

Clavum puppi; Prudentiam vitæ neceſſariam eſſe.

INvigilat minimis etiam Prudentia rebus,
Ne tenuis culpæ grandia damna ferat.
Crede mihi, minimis debent ſe maxima cauſis:
Ipſa levi nutu ſtatque caditque ſalus.
In rate pars quamvis minima eſt extremaq; clavus,
At primum pars hæc in rate munus habet.
Seu placet Auroræ populos, Nabathæaque regna;
Seu petere occiduo quæ loca ſole tepent;
Seu ſemper madidas nimbis Auſtralibus oras;
Sive Lycaoniæ frigida regna plagæ;
Ille per adverſas curſum quoque diriget undas,
Et quocumque voles limite flectet iter.
Ille etiam ſcopulos ventis obnixus iniquis
Vitat, & à dubiis vela retorquet aquis.
Hoc ſine ſi ventis, ſi te commiſeris undis,
Quò tua te puppis, quò tua vela ferent?

Hoc

Hoc ſine quos tanges portus ? jactabere tantùm ,
Nullaque erit velis utilis aura tuis.
Hoc ſine nec Colchos reperiſſet Theſſala pinus ,
Nec ſpolium Minyis fulva fuiſſet ovis:
Ars tua, ſi clavi careas opes, Tiphy, jacebit:
Ludibrium ventis ille peritus erit.
Non ſatis eſt puppim validis impellere remis :
Non ſatis eſt ventis credere vela ſuis.
Remigis officium, puppim qui temperat, anteit:
Pugnaci ductor milite plura facit.
Nauta tenet curſum, quamvis ſuperanda reſiſtant
Æquora, nec vento naviget ipſe ſuo.
Scit benè nil Zephyris incertius eſſe ſecundis:
Scit benè diverſis motibus æquor agi.
Quod venti peccant, facili moderamine clavi
Corrigit, incœptas perſequiturque vias.
Sæpè ſibi adverſas videas occurrere naves:
Illa volat pelago ; nec minus illa volat.
Si celerem ſpectes ſulcata per æquora curſum,
Hæc vento, dicas, fertur, & illa ſuo.
Utraque vela tument, ventoque feruntur eodem :
Hoc modicus clavi flexus utrimque facit.
Tu quoq; dum verſa eſt, & vultus ſumpſit acerbos,
Deſine fortunæ de levitate queri.
Illa nihil, quod durat, habet, mutatur ut aura :
Nunc favet, & prodeſt; nunc inimica nocet.
Non fruſtrà,quoniam nũquam ſibi conſtat, in orbe
Pingitur, & dubio lubrica ſtare pede.
Quidlibet eveniat, nil non prudentia vincet;
Quà durum ſuperes, illa docebit, iter.
At tibi dum pontus tantùm ſpectatur & æther,
Nullaque ſe produnt littora, nulla Pharos,
Aſtra regant curſum : cœleſtia ſuſcipe ſigna,
Atque oculis Helicen Plejadaſque nota.
Nec tu neſcieris, quid pronus peccet Orion,
Quo fremitu nigras concitet Hædus aquas.
Nec tu neſcieris, quid Syrtis cæca minetur,
Nec quàm Niſæi monſtra timenda canes.

Pro-

Proſpice quis ſcopulis alios impegerit error:
Alterius damno diſce cavere tuum.
Dum Graij redeunt, & adhuc fumantia cernunt
Pergama, laurigeras obruit unda rates.
Exitii tanti malè cognitus ante Caphareus,
Qui latet Euboico gurgite, cauſa fuit.
Cæca priùs multas fregere Ceraunia puppes,
Quàm rudis Illyricas nauta timeret aquas.
Eheu, quàm multi ſerò doluere Charybdin,
Et rabiem ſerò noſſe Malea tuam!
Tu quoque ne fias documentum triſte caveto,
Si temere ignotum per mare vella facis.
Ah caveas: hìc cauta ſatis fiducia nulla eſt:
Ut ſecurus eas, omnia tuta time.
Tranquillas etiam formidat naufragus undas.
Utilis hic timor eſt. Qui timet, ille cavet.

ELEGIA VIII.

Viam tenendam eſſe in mari: In vita humana non quà itur, ſed quà eundum eſt, contendendũ eſſe.

DUm licet, & mediis fertur tua pinus in undis,
Proſpice quæ velis terra petenda tuis.
Scit benè quò currat, qui palmæ currit amore,
Scit benè qua teneat parte viator iter.
Tela nec incertas mittit jaculator in auras:
Luminibus prædam, quam petit, antè notat.
Tu quoque, cui votum eſt per aperta pericula tutò
Tendere, quò rapiant te tua vela vide.
Alter iter ſit noſſe labor, ne devius erres.
Non alius damnum triſtius error habet.
Quęres ubi ſint Syrtes, quo latret in ęquore Scylla,
Qua vomat epotas parte Charybdis aquas.
Effuge Syrenum ſcopulos, ſuſpectaque Circes
Littora, blanditiis inſidioſa ſuis.
Quid moror? unũ illud moneo, præq;omnibus unũ
Præcipio: memori pectore dicta tene.

Nec

Nec tibi nunc hominem, nec Graiū oracula quercus;
Ipſum crede Deum noſtra per ora loqui.
Tu, quà remigiis, quà plenis currere velis
Innumeras puppes videris, ire cave.
Non eſt, crede mihi, non eſt, quà pluribus itur,
Ne trahat exemplo copia, tuta via.
In ſcopulos fertur plenis pars maxima velis:
Naufragio credas quemque favere ſuo.
Quis non, quo pereat, cupidè ſectatur, & optat
Exitii cauſis proximus eſſe ſui.
Deficit hic etiam doctas ſapientia mentes:
Hæ quoque quà vulgus turbaque ſæpè ruunt.
Nec quamvis meliora vident, meliora ſequuntur.
Uſque adeò miſeris dulce cupido malum eſt,
Huic pugnat ratio: ſed tamquam vincere nolit
Seque ſua patitur proditione capi.
Nil didiciſſe juvat, nil excoluiſſe per artes
Pectora: mens partes deſerit ipſa ſuas.
Ah genus infelix! quò te fiducia mendax
Abripit, heu cauſæ gens inimica tuæ?
Quis furor eſt, impunè ratis qua nulla cucurrit,
Aut portum tenuit, currere velle via?
Cui te cum turba credis, mare portubus orbum eſt:
Naufragium curſus terminus hujus erit.
Commoda prima via eſt, fateor: rapit æſtus euntes,
Grataque ſecuris aura ſecundat iter.
Et quoniam ſcopulos, & ſaxa latentia celat
Blanda maris ſpecies, omnia tuta putant.
En iterùm moneo: numero ne crede, volantem
Flecte ratem; numerus, quod malè cedet, amat
Ultima cæca via eſt; laceratque hauritque carinas:
Pauci, quos tabulæ per freta ſumma vehunt.
Exitus infelix hic irreparabile damnum eſt:
Non reditum, non ſpem naufraga puppis habet.
Sera ſuæ tunc quiſque facit convitia culpæ,
Dum licet, & prodeſt flectere, flecte ratem.
Nec, ſi diſpoſitos per littora videris ignes,
Eſſe puta fidos: ad vada cæca vocant.

Sic

Sic olim ſpecula genitor Palamedis ab alta
  Perdidit oſtenſa carbaſa Graia face.
Credebant miſeri portus intrare fideles:
  Saxa Caphareæ perfida rupis erant.
Tunc quoque (quis credat?) ſcopulis dum pendet iniquis,
  Exitii gaudet neſcia turba ſui.
Sic ubi venator ſilvas indagine cinxit,
  Infelix neſcit ſe periiſſe fera.
Illa ſibi nemore in medio ſecura videtur,
  Cum ſit diſpoſitis undique clauſa plagis.
Quid facias, quæris? quæras hoc providus ipſum,
  Quid faciaſque ſcies, ſi modò ſcire velis.
Nec tua ſperatos non tangent lintea portus;
  Invenies illos; ſi reperire voles.
Si fluctus amor eſt, dubioſque evadere caſus
  Ne dubita adverſis obvius ire Notis.
Nec pigeat, paucos quà tendere cernis, eodem
  Flectere iter; pauci littora tuta petunt.
Nitere te contra, victor, pelagique, tuique:
  Qua portum invenias, nulla niſi iſta via eſt.
Dum ratis in curſu eſt, dum turgent lintea, tu te
  Collige; da monitis tempora parva meis.
Dic tibi: Quò ferimur? quem finem curſus habebit?
  Quod ſequor, ad portum, quem peto, ducit iter?
Hic labor, hi ſtrepitus curarum, hic pectoris æſtus
  Quod pretium, cur his conficiamur, habent?
Major ut invidia fuerim; credarque beatus,
  Ut mea tranſcendam vota, quid inde feram?
Hac eo, quà tutum eſt, & quà convincor eundum?
  Aut hoc ſcire, quod eſt ſcire neceſſe, piget?
Errori cauſas mens non prætexit inanes?
  Nec pudet erroris, pœnituiſſe pudet?
Si pudor in culpa eſt, tantum trahit ille malorum
  Ut levius cuiquam ſit periſſe malum?
Hæc tecum, quamvis aliò vocat aura, locutus,
  Retrorſum, ſi qua eſt mens tibi, vela dabis.

ELE-

ELEGIA IX.

Portus.

HActenus incerti ventis jactamur & undis,
  Nec tenuit noſtras ancora fixa rates.
Jam puppis meruit terræ vicina coronam:
  Apparent portus: navita vela lege.
Optati portus, ſtatio gratiſſima feſſis,
  Non intermiſſo digna labore peti.
O patria! o ingens Divum domus! aurea cœli
  Limina, ſpes noſtræ metaque ſumma viæ!
Ut te ſecuri, poſt tot diſcrimina, tandem
  Aſpicimus, ſedes invehimurque tuas!
Ex tot in Jonio, quas æquore turbida ventis
  Jactat hyems, paucas obruit unda rates.
Mille ſed hic inter, vix te milleſima puppis
  Aſpicit, & longo feſſa labore tenet.
Felix, quæ tumidis pelagi defuncta periclis
  Securo tandem littore tuta ſedet!
Felix, votiva quæ jam redimita corona
  Æquoreis fractas rupibus audit aquas!
Hãc Amor, hãc bona Spes hãc Pax deducit eũtem,
  Et ſedet in ſumma candida puppe Salus.
Ipſa ſedet, Divoſque vocat, Zephyroſque faventes
  Ipſa movet nivea turgida vela manu.
I mea, quò debes, quamvis ſuperanda repugnant
  Æquora, per tumidas i mea puppis aquas.
Auſpicibus Superis portum cape, cujus amore,
  Quidquid triſte fuit ferre, tuliſſe juvat.
Hic nos excipient ipſis communia Divis
  Gaudia, mortali non referenda ſono.
Hæc nos meta manet; ſumus hæc ad gaudia nati;
  Non alio nobis vivere fine datum eſt.
Infelix, qui non portum feſtinat ad illum,
  Cæcaque inoffenſum per vada quærit iter!
Creditur eſſe aliquid regum de ſanguine naſci,
  Et ſperare ſua ſceptra tenenda manu.

Quid

Quid tamē hoc tāti eſt? cur quiſquā hoc invidet ulli?
Nec ſe, nec titulos reſpicit ipſe ſuos?
Ut regnum Oceano, & terrarum finibus æquent,
Quid magno reges nomine majus habent?
Ut deſint curæ, quæ numquam ſceptra relinquunt,
Nec ſit ab invidia, nec ſit ab hoſte metus:
Deficiunt reges, aurumque, & purpura regum,
Et fugiunt firmas ſceptra caduca manus.
Reſpice te, quis ſis: tua plus quàm regia ſors eſt.
Me miſerum! cur hæc tam malè nota tibi eſt?
Plus tibi, quàm regnum primo defertur ab ortu:
Plus tibi, quod donet, non habet ipſe Deus.
Et quiſquam, cui ſunt humili de plebe parentes,
Hoc dolet? & nullo ſe putat eſſe loco?
Gratia magna tibi, Regum ſupreme, laboris
Dulce levis pretium qui tua regna facis.
Gratia magna tibi, cujus clementia, dignos
Hoc ſolio quos non invenit, ipſa facit.
Cur hoc non capimus? cur huc nō tendimus omnes?
In bona cur quiſquam tanta venire negat?
Ergò ego ſuſtinui, rapiente cupidine mentem,
Umbras neſcio quas, votaque ſtulta ſequi?
Ergò ego plus aliquid, quàm te veſanus amavi?
Cum facere hoc auſa eſt, mens ubi noſtra fuit?
O ego quàm tunc me miſerum furialiter odi!
Quam gravis ipſe mihi tunc inimicus eram!
Qui ſine te nequeo, cur tecum vivere fugi?
Omnia tu nobis, & ſatis, unus eris.
Cætera deficiunt, ut nix humentibus Auſtris
Deficit, ut vernæ ſole calente roſæ.
O curas hominum! levis hos mendaſque voluptas,
Hos amor, & cineri debita forma capit!
Sunt, quos ambitio ſpecioſis detinet umbris;
Sunt, quos laus pretio quolibet empta juvat.
Mutandis alius tranſmittit mercibus æquor,
Congeſtas alius per ſcelus auget opes.
De cęlo & Superis, ſi qua eſt tamen, ultima cura eſt:
Heu mihi! quàm paucos hęc mea verba movent!

BIBLIOTECA N... ROMA VITTORIO EMANUELE

Quid facitis miſeri? quid ſpes agitatis inanes?
 Quod fugit & fallit, quis ſapienter amat?
Quod pretium veſtri niſi fraus & pœna laboris,
 Debita ſeminibus meſſis amara ſuis?
Cur vobis mors ipſa magis quàm vita probatur?
 Cur plus quàm portus, naufraga ſaxa placent?
Ah! cur non potiùs, quod nunquam fallit, amatis?
 Hoc (neque neſcitis) quisvis amavit habet.
At mihi, quæ proſint, placeant ante omnia curæ.
 Hic labor, hæc ſtudii ſumma ſit una mei.
Ille meos, ſolus qui me ſatiabit, amores
 Vindicet; ille mihi eſt omnia. Terra vale.

ELEGIARUM

LIBER SECUNDUS.

MATRI MISERICORDIÆ VOTUM A LETHALI MORBO.

ELEGIA I.

Depoſitus eram, & extremis Sacris ritè munitus, ſenſuumque uſu deſtitutus, mortuis magis annumerabar, quàm vivis. Luctantem cum morte reſpexit clementiſſima Dei Mater, cui carnem voveram, ſi valetudinem redderet. Spem accenderat ſuaviſſimum Matris Miſericordiæ nomen, ut dulcis, ita potens publicæ pietatis illecebra. Hoc nomine in Æde noſtra Cortrati colitur, non minore amoris in Virginem incremento, quàm colentium ſolatio. Valetudini reſtitutus votum ſervatrici Divæ ex religione ſolvi, & hoc qualecumque grati animi monumentum ejus aræ venerabundus appendi.

Vota fidem poſcunt: hanc ſolvimus. Accipe Mater,
  Et pariter votum, corque voventis habe.
Divitias alius ſacras ſuſpendat ad aras;
  Carmen ego: noſtras accipe carmen opes.
Hoc ego ſum pactus fugientem munere vitam:
  Sæpè tuus ſequitur munera parva favor.
Scilicet in pretio eſt animus, non dona voventum,
  Ipſa ſimplicitas hæc pretioſa facit.
Sic plus Mentorea placuit tibi fiſcina lance:
  Plus gemmis fragiles ſic placuere roſæ.
Sic pretium, laudemque tui meruere palumbi,
  Divitibus quamvis hoſtia major erat.

Quid

Quidquid id eſt, certè tenui non aſpera vati
Non nihil es numeris viſa dediſſe meis.
Ergò, ſi Superis vates, ſi carmina curæ,
Nunc age, nunc Divam Calliopea cane.
Nec mihi cunctandi ſubeat prætexere cauſſas;
Præcipites juſto cogimur eſſe metu.
Scribimus,& nondum morbi vis tota remittit;
Scribimus alterius carmina noſtra manu.
Nulla laborantem teneat mora. Magne Petavi,
Terreor exemplis, erudiorque tuis.
Diſtuleras Divæ * promiſſum ſolvere carmen;
Hei mihi, quàm vindex illa ſevera fuit!
Ecce furens iterùm febris depaſcitur artus;
Aut fuit, aut viſa eſt hæc tibi pœna moræ.
Ah iterum gelidas volui rebare per undas,
Et mediis in aquis quærere rurſus aquas!
Ah iterùm totos ſitiebas perditus amnes!
Sequanaque, & Ligeris vota bibentis erant:
At neque gurgitibus ſedare, nec omnibus undis
Ardores poterant flumina tota tuos.
Flumina non potuere tuas extinguere flammas;
Sed potuit venæ fluxus, & unda tuæ.
Divaque, pace data: Vives, ait, & mea ſæclis
Munera venturis, & tua vota canes.
Et dubitem ſoſpes, mediaque è morte receptus
Non dare promiſſis otia prima meis?
En propero, quamvis mecum mea carmina languet,
Nec domini vultu ſunt meliora ſui.
Illa diu lateant, nonumque premantur in annum
Carmina, quæ vivent, notaque ſemper erunt.
Nos urgent Superi: non eſt mora libera nobis.
Parcite lectores; dulce valere mihi eſt.
Nec mea jam vobis, ſed Divis Muſa laborat.
O quanto minor eſt his placuiſſe labor!
Tu mihi Liſa pater, qui nunc noſtriſque, tuiſque
Exundas lacrymis, tu mihi teſtis eris.

Quæ

*S. Genovefæ; Petav. Oper. Poeticorum 8.

Quæ rerum facies, quis tota luctus in urbe!
  Mors propè jam nullas non ferit atra fores.
Seu facit hoc belli terror, ſeu Numinis ira,
  Seu dolor, & curæ, ſeu gravis aura nocent:
Victa priùs ferro, nunc urbs exhauſta ſuorum
  Funeribus; gemino carpitur ægra malo.
Cui non adfuimus? cui non ſuccurrimus ægro?
  Hauſimus hinc noſtri ſemina prima mali.
O quoties triſtes ſuccos, herbaſque potentes
  Sumpſimus, & docta pocula miſta manu!
Omnia nequidquam: flammæ crevere medendo,
  Ut ſolet affuſa fortior ignis aqua.
Ah! fruſtrà, dixi, de me ſperatis amici,
  Quod patimur, nulla vincitur arte malum.
Væ mihi! mors in me telum ferale coruſcat,
  Et fremit, & vultum fata minantis habet.
Diva, precor, mortis furias, arcuſque minaces,
  Et cohibe ſtrictas in mea fata manus.
Tu potes, ut viſum eſt, telum extorquere frementi,
  Ferreaque arbitrio vertere jura tuo.
Tu potes invitis animare cadavera Parcis:
  Tu cineri vitam reddere, Diva, potes.
Vidi ego quos ſenſus, quos ſpes defecerat omnis,
  Incolumes aris munera ferre tuis.
Adijce ſervatis per te tot millibus unum:
  Materies Muſis ſit, precor, inde meis
Jam mihi ſpes creſcit, quantū ipſa pericula creſcūt,
  Hanc mihi majorem Diva timore facit.
Eheu! quàm lentæ torrent præcordia flammæ!
  Quàm vereor, ne ſpem diſſipet aura meam!
Sed neque ſum tanti; nec, ſi mihi vita ſuperſit,
  Hac dignum, quidquid poſſe putamur, erit.
Illuſtres vivant animæ: me cedere fatis
  Quid refert? nulli flebile funus ero.
O ubi crux, & in hac JESU morientis imago?
  Huc ades, o vitæ portus, & aura meæ.
Te ſtringam moriens, te ſpectent noſtro ſupremùm
  Lumina, te teneam deficiente manu.

Auguror ah! (crudeſcit enim ferus ardor) eundũ eſt.
  Quis, patrio qui me limine ſiſtat, erit?
Non mihi jam pictos vultus, non ſigna, ſed ipſum
  Ferte: per ignotas duxerit ille vias.
Hoc duce contemnam Furias ſecurus hiantes,
  Nec mihi pallori totus Avernus erit.
Vox quoque cœleſtis, niſi fallimur, impulit aures;
  Illa, Veni, nobis dicere viſa fuit.
Nulla mora eſt, venio: vires amor addet, & alas;
  Terra vale: liber, nec tuus, aſtra peto.
Ergò ego jam Divum formoſa palatia tangam?
  Ergò ego jam ſuperi pars ero parva chori?
Dum loquimur, tenebris acies torpeſcit obortis,
  Vaneſcunt ſenſus, eripiorque mihi.
Mater iô, tibi Mors pharetram ſubmiſit, & arcum,
  Imperium majus ferre coacta ſuo.
Deploratus eram: tumulus mihi ſolus, & urna
  Deerat, & exequiis ultima pompa meis.
Quis non ex ipſo me dixit adeſſe ſepulchro?
  Oſſaque, & exuvias inde referre meas?
Diva, tuum hoc opus eſt: ego te miſerante revixi:
  Hæc mihi das voti præmia ferre mei.
Quod mihi nunc aliquæ ſuperant in carmina vires.
  Scribere quod poſſum, quod memor eſſe, tuũ eſt.
Vivere nec tanti, ſed per te vivere dulce eſt:
  Plus, tu quod dederis, quàm data vita juvat.
Nunc ego, nunc iterùm primævos ordiar annos:
  Natalis mihi nunc alter, & alter erit.
Lætus uterque mihi, ſed tantò lætior alter,
  Quantò tu melior matre priore parens.
Tunc tua Panchæis fumabit odoribus ædes,
  Tunc tua ſolemnes audiet ara preces.
Sertaque ſuſpendam genitale notantia tempus,
  Et memori rurſum carmine gratus ero.
Liſa retrò properans verſo priùs amne recurret,
  Nec fundet ſolitas urna perennis aquas,
Quàm mihi, quod, vita jam deficiente, tuliſti,
  Auxilii ante oculos non ſtet imago tui.

Te-

Te quoties, araſque tuas, & templa videbo,
Hæc video, dicam, munere Diva tuo.
Hei mihi! quàm nihil eſt, quod vox tibi noſtra rependit!
O quanto meritis eſt minor illa tuis!
Sed benè, quòd minimos potes hoc in pectore motus
Inſpicere, & verbis plura videre meis.
Ipſa vides, quotieſque tibi, quantumque loquatur
Mens memor, & ſemper plena futura tui.
Ora licet taceant, ſua vox eſt, linguaque menti:
Hac numquam non eſt parte diſertus amor.
Nec poterit, nec poſſe volet deſiſtere dulci
Officio: non fert otia, quiſquis amat.
Intereà memor hæc meritorum charta tuorum
Duret, & effigiem pendeat ante tuam.
Pendeat, & duri cùm jam lex ferrea fati
Non exorandum carpere coget iter,
Tunc te detineat ſupplex, blandiſque moretur
Attentam numeris, admoneatque mei.
Tunc adſis, o Diva, tuoque occurre Poetæ:
Vita modò eſt, mihi tunc mors quoq; munus erit.

ELEGIA II.

AD CAROLUM VANDEN BOSCH Brugenſem Epiſcopum inauguratum.

GRatia cælitibus: ſua ſunt ſolatia Brugæ
Reddita: quem Divos orba popoſcit, habet.
Ferte pedū, ſacrumq, humeris quod fulgeat oſtrum,
Annulus eſt digitis, infula danda comis.
Ara parata vocat: cœlum favet: ipſa videtur,
Cui velit imponi, noſſe tiara caput.
Pompa venit: pompæ ruit ad ſpectacula vulgus,
Plaudenteſque bona dant bona verba die.
Omnibus in vultu ſunt gaudia: reſpice vultus
Carole: certa ſuæ pignora mentis habent.

Atque utinam ut vultus, animos ita cernere poſſes!
  Aſpiceres, qui ſit publicus urbis amor.
Aſpiceres hilari ſe diffundentia ſenſu
  Pectora, lætitia non capiente modum.
Non quia dextrà pedum geſtat, caput infula cingit,
  Inque humeris fulget purpura ſacra tuis:
Nec quia, quæ meruit, præfert inſignia Virtus:
  Majus ſe pretium non habet illa ſui:
Sed quia quidquid aget pulchro ſpectanda theatro,
  Hoc urbs, hoc populus ſpe capit ante ſua.
Spes bona, ſpes ingens, vana nec imagine rerum
  Nixa, nec auguriis decipienda ſuis.
Non malè res geſtę ſunt conjectura futuri,
  Grandius exacto quam libet inſtet opus.
Ille per Ionium vel is felícibus ibit,
  Qui benè Tyrrheno rexit in amne ratem.
Vincet & admiſſos prævertet in Elide currus
  In campo bijugos flectere doctus equos.
Qui totas acies fortem violentus in hoſtem
  Victor agit, turmas duxerat ante ſuas.
Talibus auguriis ſua de te gaudia paſcit,
  Carole, virtutis conſcia Burga tuæ.
Nil ſibi non ſpondet, dum bis duo luſtra recenſet,
  Et quid præſtiteris, quid fuerìſque, ſubit.
At ſperata tuis conſtabunt gaudia curis:
  Utilitas tuus eſt iſta futura labor.
Non ego virtutes, laudum argumenta tuarum,
  Verbaque mulcendis auribus apta ſequar.
Quam laudem meruere, grave eſt audire modeſtis,
  Hanc alii ſpectent, his meruiſſe ſat eſt.
Da veniam Muſæ; vultu venit illa ſevero:
  Nec tamen officii non memor uſque ſui.
Illa quidem plaudit, meritoque aſſurgit honori,
  Adjuvat & votis publica vota ſuis.
Sed rapit attonitam ſeries denſiſſima rerum,
  Quæ te circumſtat, nec ſinet eſſe tuum.
Hei mihi, curarum quot millia, quotque laborum
  Pontificis ſecum vitta, pedumque trahunt!

Ah nimiùm rudis eſt, qui ſola inſignia ſpectat.
Demite ſplendorem, quid, quod ametur, habent?
Dicere difficile eſt, quàm ſit grave purpura pondus?
Deficit hoc certè noſtra Thalia loco.
Non humeri Alcidæ, non cœliferi Atlantis
Sufficiant: tantum eſt illa ferentis onus.
Nec moles te tanta priùs, quàm vita relinquet.
Affluet aſſiduè, quo tenearis, opus.
Æſtuat, & curſu numquam ceſſante laborat
Eridanus, feſſis irrequietus aquis:
Spumeus it, ferven ſque, undamq; ſupervenit unda;
Hæc illam, ſed & hanc non minùs iſta premit.
Volvitur, & volvit pariter, motuque perenni
Truditur à fluctu poſteriore prior.
Sic quos aggrederis, ſtimulum virtutis, honores,
Res tibi, dum vives, plena laboris erunt.
Excipiet curam nova cura, laborque laborem,
Nec minùs exhauſto, quod ſuperabit, erit.
Proxima quæque dies rebus res addet agendas,
Et quantum creſcent tempora, creſcet onus.
Dimidioque tui cives urbemque fovebis;
Dimidio, fidei credita rura tuæ.
Mille operum cauſas, ſeu poſcat conſita falcem
Vinea, ſeu tellus raſtra, colonus habet.
Sideribus certis plantas & germina ſulcis,
Sideribus certis ſemina mandat humo.
Nunc loliũ, tribuloſque, & iniquas frugibus herbas
Eximit, irriguis nunc ſata nutrit aquis.
Terret, & à ſtabulis arcet fureſque, lupoſque,
Et tenero lætas gramine paſcit oves.
Nec, tibi qui venient, facies erit una laborum,
Dum morum vindex, & quod es, eſſe voles.
Sed nihil eſt, quod non vincat labor arduus: illum,
Et curas animi dotibus adde tui,
Materiemque tuis dignam virtutibus urge;
Provenient cauſis omnia digna ſuis.
At tu Bruga nouo felix Antiſtite gaude;
Ille tibi, qualem ſpes tua finxit, erit.

ELEGIA III.

In opera Theologica poſthuma LEONARDI LESSII è Societate Jeſu.

FOrtè ſepulchralem Leſsii Mors viderat urnam:
Vincimur, aut vinci poſſe putamur, ait.
Ipſe ſibi ſupereſt, & adhuc à funere vivit;
Nec cinis arbitrio ſubditur ipſa meo.
Tam benè qui LEGES, & JUS juſtiſſimus ipſe
Noverat, hic potuit jus violare meum?
Ulciſcar, faciamque nefas; ne neſcia vinci
Dicar ab exanimi victa fuiſſe manu.
Dixit, & ad Leſsii chartas cava lumina torquens,
Vindicat has fati lege putatque ſuas.
Sępè etiam, Hæc mea ſunt, fertur clamaſſe; ſed illis
Injicere obſcuras non fuit auſa manus.
Pulveribus tantùm, & denſa caligine ſepſit;
Pro tumulo, latebras viſa probare fuit.
Si lateant, ſatis eſt: etiam latuiſſe, perire eſt;
Exitus ingeniis pluribus iſte fuit.
Tot veterum curæ, quas ætas poſtera neſcit,
Aut putat extinctas, quid niſi luce carent?
Dixerat, & fulvos ſpargens circùm undique rores:
Iſta tuis, Lethe ſpargimus, inquit, aquis.
Invide, quid fruſtrà es? malè lux celatur in umbra;
Plenum eſt ingenij luce, quod abdis, opus.
Lux vires à nocte capit, nec clarius umquam,
Plurima quàm circùm dum volat umbra, nitet.
Quid niſi nox aperit formoſos ætheris ignes?
Tunc Helice cerni, tunc Cynoſura poteſt.
Tunc Ariadneæ ſpectatur flamma coronæ,
Candida tunc profert Caſſiopea caput.
Lux tua, Taure, latet, ſi nox non evocet illam;
Si non ſint tenebræ, lux tua, Virgo latet.
Arcada quis noſſet, quis noſſet plauſtra Bootæ,
Hos niſi nox umbris proderet atra ſuis?

Pleja-

Plejades,atq; Hyapes, Geminiq; & Cãcer, & Hœdus
Nocte patent, noctis munere nomen habent.
Quid tibi vis igitur? quid Mors tibi cœca repugnas?
Iſta quod à tenebris, hoc quoque ſidus habet.
Cui tamen ut ſperes obſcuram offundere noctem,
Nec tua nox, nec ſpes iſta perennis erit.
Non ſinat hoc Pietas, non hoc Sapientia: Leſsii
Curas illa ſuas credit, & illa ſuas.
Divaque victuris dum cuſtos utraque chartis
Aſſidet, & ſpolium temporis eſſe vetat:
En iterùm venit in cathedras, & pulpita doctor,
En iterùm poſt ſe Leſſius ipſe venit.
a Mortaleſque docet, quæ ſint ad gaudia nati;
b Quid curſum dubias dirigat inter aquas.
Quæ vada, quæ ſyrtes illuc properantibus obſtent,
Quæ fragiles illuc pervehat aura rates. (quam
c Quas habeat, quibus in tabulis ſpes naufragus; &
Annonæ nunquam deficientis opem.
Neſcíit hæc Stagira ſagax, ignaraque tanti
Porticus arcani, totaque Stoa fuit.
Altiùs hinc trans & nubes, & ſidera fertur
Ad ſolium magni, conſiliumque Dei.
d Et docet, ut noſtris ſimiles Deus induat artus,
Naturamque novam, diſſimilemque ſuæ.
e Ut ſimul extremas rerum excedentia metas
Aptet, & æterno fœdere nectat Amor.
f Ceſſerit ut morti, quem numquam vita reliquit,
Seque minor magnus gaudeat eſſe Deus.
Hæc nos, & nondum genitos arcana nepotes
Non defecturo, ceu priùs, ore docet.
Felix, qui præſens hauſit ſpirantis ab ore,
Omnia quæ meritò diſcere ſecla volent,

a De Beatitudine.
b De Actibus Humanis.
c De Sacramentis.
d De Incarnatione.
e Vnio Hypoſtatica.
f Communicatio idiomatum.

Nos quoque felices, quibus hæc ſolatia reſtant;
Quamvis hinc abiit, non tamen omnis abeſt.
In chartis ſupereſt. Hic, Leſsi maxime, preſens
Te fruor, hìc ego te pænè videre puto.
Menſque ſibi credit gaudetque audire loquentem,
Totaque doctoris pendet ab ore ſui.
Si oculos intenta ſuos dum paſcit, & aures,
Neſcio quid certè ſentit adeſſe tui.
Ignoſcant picti vultus, & picta tabellis
Nomina; quod legimus, major imago tua eſt.
Quid niſi vox nobis, & verba ſonantia deſunt?
Paſcimur ingenio poſtera turba tuo.
Sed neque vox deerit: te primus, & ultimus orbis
Audiet, & gemino proxima terra polo;
Et quæcumque etas ſignabit euntia faſtis
Tempora: Vox operis tanta futura tui eſt.
At vobis malè ſit mala Mors, Noctesque maligne,
Quarum hæc invidia lux propè rapta fuit.
Quis furor, o peſtes, vos ſic armavit in illud,
Quod ſe poſſe neget carpere livor, opus?
Quid virum petitis, cujus virtutibus æther
Annuit, & ſupplex invocat orbis opem?
Cur non Neſtorios, cur non celatis Arios,
Totquæ alios ſcelerum perfidiæque duces?
Opprimite hos tenebris, penituſq; in volvite veſtris,
Utiliter mundi publica damna latent.
Perdite, quę populos, orbemque volumina perdunt.
Grande operæ pretium; tutior orbis erit.
Nocte tegi debet noctis fœdiſſima proles,
Quam Nox ſi videat, non ferat eſſe ſuam.
Hæ cedro niteant chartæ; ſitus inquinet illas;
Nam cur inficiant iſta venena diem?
Eumenidum thalami, nigrique cubilia Ditis,
Aut Chaos, aut per quæ Cerberus antra jacet.
Aut carcer, cujus Furiæ pallentia ſeruant
Limina, ſunt illis ſcrinia digna libris.
Quos Tumor, & Faſtus, ſperataque crimine Fama,
Et mendax peperit Religionis Amor.

Et

Et Furor, & cæcis implexus fraudibus Error,
  Iſtaque quæ loquitur ſæpè per ora, Venus.
Leſſius intereà veſtris redivivus ab umbris
  Clarior, in lucem, poſt ſua fata venit.

ELEGIA IV.
AD FRANCISC. MONTMORENTIUM E SOCIETATE IESU.

Cùm Idyllia ſua ederet.

HEroum Franciſce genus, cui præmia Virtus
  Illo, quo ſatus es, ſanguine digna dedit;
Præcipuè tot cùm titulos in tædia vertit,
  Et tibi pro titulis omnibus ipſe fuit,
Quam juvat umbroſos tecum conſcendere colles,
  Caraqua Cælicolis, & tibi, rura ſequi?
Et fontes luſtrare ſacros, locuſque ſonantes
  Divum carminibus, carminibuſque tuis?
Sed mihi Bethlemi placeant ante omnia valles,
  Et quæ Jeſſides per loca duxit oves.
Hìc inter nemora, & gratas paſtoribus umbras,
  Cantando tenuit, demeruitque Deum.
Tantaque majeſtas calamis, & arundine parva,
  Et ſtipulæ potuit ſimplicitate capi.
Hìc dum manè novo ſtabulis educeret agnas,
  Ipſa ſimul Pietas manè petebat agros.
At non ſacra pecus loca tangere paſſus, & olim
  Conſcia naſcentis tecta futura Dei.
Quamvis æſtus erat, quamvis grex lãguidus umbras
  Quæreret, & medio frigora grata die.
Et Bethlæa gregẽ traheret ſpecu: attamen, Umbrã
  Hìc captare meæ parcite, dixit, oves.
Religioſus ineſt qui vos hinc arceat horror,
  Rupe ſub hanc infans vagiet ipſe Deus.
O quoties, parvus caneret dum talia Vates,
  Immemor ardoris ſubſtitit omnis opus.

Sępe etiam ſuperi puerum cinxiſſe feruntur,
Cantuſque ad pueri continuiſſe ſuos.
Parte aliâ ante pedes Salomoni æterna canenti
Fœdera mirantes procubuere ferę.
Impavidæ circùm vitulæ, taurique jacebant,
Et lupus attento mixtus, & urſa gregi.
Fallor? an his etiam in ſilvis quęſiuit & antris
Sollicito natum cum ſene diva Parens?
Et fas hunc, inquit, certis deprendere ſignis:
Eſſe aliquem è Superis arguit ipſe decor.
Quę referat violas eſt veſtris, eburnea cervix,
Aurea cęſaries, matris in ore color.
Hęc ibi me Franciſce juvet memorare, tuóſque
Quamuis diſſimili voce referre modos.
Aſſyriis o qui modò lucis inferat! o qui
Me modò Chaldæi ſiſtat ad amnis aquas!
Fuſus ubi in muſco Daniel ad flumina, Regem
Ire boves inter vidit, & eſſe bovem.
Ut videt, ut plorat, dum qua modò fronte coronam
Hac Dominum ſpectat cornua ferre ſuum.
Ferreus eſt lacrymis, ſi quis non tangitur illis:
Ipſo qui fletur plus feritatis habet.
Ferreus eſt etiam quem non Hebronia Tempe,
Nec Libani valles plus Helicone juvant.
Huc feror: his primùm cælo delapſa Poeſis
Montibus erravit, cultaque Diva fuit.
Non petulans oculiſve argutans mollibus ignes,
Nec miſcens numeris verba pudenda ſuis.
Qualem Cecropiæ mox proſtituiſtis Athenæ,
Romaque dein mundi, nequitiæque caput.
Sed penitus formoſa, ſuoque ſimillima cælo;
Blandaque, ſed quamvis blanda, pudica tamen.
Cingebat caſtam Pudor & Sapientia Divam:
Caſtus cum telis ad latus ibat Amor.
Vatibus hæc primis ju nctas oſtendit avenas,
Suggeſſit numeros, materiemque dedit.
Fluminaque, & ſilvas cantare, & Numen in illis
Juſſit; & Hoc Divum credite, dixit, opus.
For-

Fortunate ſenex, per te redit illa voluptas,
  Seque iterùm naſci ſæcula priſca vident.
Illa tuis tota eſt, cantatque in verſibus ætas;
  Totque ſimul Vatum quod fuit, unus habes.
Unde, precor, tantus vigor eſt ægroque ſenique?
  An labor ipſe tuis eſt medicina malis?
An tibi dilectis venere è montibus herbę,
  Inſtaurare annos quæ potuere tuos?
An potiùs Dea, quæ primos docuiſſe Poetas
  Creditur, has vires ingeniumque facit?
Sic eſt: illa tuum cæleſti nectare pectus
  Imbuit, & docuit Numine digna loqui.
Et manibus modò plectra dedit, gracileſque cicutas,
  Aptaque temporibus laurea ſerta tuis:
Et modò, qui Superos traherent dictavit amores,
  Et modò quæ poſſent verba domare feras;
Non ſinit hæc eadem longos ſentire dolores;
  Non ſinit annorum, non meminiſſe tui.
Ergo licet morbique premant, morboſque ſenectus
  Ipſa gravet, numquam te ſinet illa mori.
Nam quemcumq. ſemel placido Dea lumine vidit,
  (Hei mihi quàm paucis evenit iſte favor!)
Ipſe ſibi ſupereſt, vivitque à funere vates,
  Et mors, illius nil niſi corpus habet.

ELEGIA V.

AD FERDINANDUM,
Hiſpaniarum Infantem S. R. E. Cardinalem.

Cùm primùm in Belgium veniret.

CHRONICON.

VICIt Iter DVrVM VIrtVs tVa.

ERgo dies venit, qua te fortiſſime Princeps,
  Victriceſque manus cernere, & ora licet,

Fortunata dies, Belgarum digna quotannis
Plauſibus, & vatum carmine digna coli.
Illa dies noſtros inimica per arva timores,
Et Batavum ventis in mare ferre dedit.
Battave, ſi ſapies, tua, dum licet, arma repones,
Et pacem orabis, quà geris illa manu.
Plus aliquid, moneo, ſolitiſque potentius armis,
Plus aliquid ſolito jam patiere metu.
Ferdinandus adeſt: tibi formidabile nomen,
Ni flectas Domino colla ſuperba tuo.
Quid paret ille tibi campo monſtravit in illo,
Spes ubi Suecorum, veſtraque fracta jacet.
Scilicet ut timeas, potuit ſatis eſſe videri
Durum, quo venit te domiturus iter.
Per mare, per montes, aditu que aſperrima ſaxa
Duxit cum ſignis agmina tota ſuis.
Illum & Rhæteæ videre in nubibus Alpes
Tendere, & in ſummis ponere caſta jugis,
Creber ubi in præceps ſcopulos abrumpit hiatus,
Fluminaque horrendo lapſa fragore ſonant;
Quæ niſi pallenti nemo videt ore viator.
Hæc an mis ferro cetera facta via eſt.
Qua Sueci obſtiterant, per denſa cadavera venit.
Teſtis adhuc ingens oſſibus albet humus.
Nec mora longa fuit, venientem fulminis inſtar,
Quem non poſſe putat Suecus adeſſe, videt.
Tãtaq; nox animi eſt, hanc ſponte laceſſere den ẽs,
Qua perdendus erat, cœpit in arma manum.
Audendi cauſæ, felix furor hactenus, & ſpes
Imperii, & Suecæ robora pubis erant.
Dimicat Auſtriades, & caſtris exuit hoſtem,
Omniaque ingenti cæde fugaque replet.
Vicini colles, vicinæ ſanguine valles,
Et procul hinc latè ſanguine terra rubet.
Battave ſic venit, qui, quàm ſic vincere, mavult
Parcere, ſi vinci forſan amore potes.
Sic venit, monuitque alio te victor in hoſte:
Tantaque confecit dum ſibi bella parat.

Fer-

Ferdinandei ſunt hæc primordia Martis;
Sic juvenis veterum contudit arma ducum.
Carole, voſque atavi Reges, magnique Philippi,
Quæcumque æthereæ vos tenet ora plagæ,
Spectate è cœlo, & tanto gaudete nepote,
Qui, qua veniſtis, tendit in aſtra via.
At nobis tecum ſimul omnia gaudia, Princeps,
Ipſa etiam tecum eſt viſa venire ſalus.
Salve ingens animi, ingens virtutibus Heros,
Soſpite quo, ſoſpes Belgica ſemper erit.
Certa fides: mens hoc ſapiens, innataque ſtirpi
Auſtriacæ virtus ſpondet, & ipſe Deus.
Talis Alexander, cùm debellare Darium
Cœpit, & Euphratem ſub juga traxit, erat.
Talis erat proavus, cùm Rhenum victor, & Albim,
Et tenuit Libyci littora capta freti.
O quoties, tibi ſeu domitas ſubjeceris urbes,
Seu valido adverſas fregeris enſe manus,
Jam caſtris aſſueta tuis Victoria laurum
Ad ſibi dilectum deferet ipſa caput!
O quoties hæc ſcuta ducum, galeaſque comantes
Atria formoſa figet ad alta manu!
Pictaque ſigna feras, avulſaque roſtra carinis,
Heu nimiùm velis hactenus auſa ſuis!
I felix, tua, quò te virtus, Regie ſanguis,
Famaque vincendo jam tibi parta vocat.
His rerum auſpiciis major tibi naſcitur ordo,
Non leve principiis talibus omen ineſt.
Tempus erit, cùm te Nereus, amneſque Batavi
Victorem agnoſcent, terraque capta ſuum.
Seu quicumque alius te per fera bella laceſſet,
Exuvias domito ſemper ab hoſte feres.
Eveniet, Martemque, & avitas laude columnas
Exceſſiſſe, tui meta laboris erit.

ELE-

ELEGIA VI.

AD GUILIELMUM DE VVAEL
é Societate Jeſu, per Flandro Belgicam Præpoſitum Provincialem.

Cum ab eo monitus eſſet, ut ſe litteris humanioribus daret.

NUnc mea ſperati veniunt in lintea venti,
  Pronaque cum ventis adjuvat unda ratem.
Imperio, Guilielme, tuo, ad Parnaſſia Tempe,
  Quò mea me dudum vota tulere, feror.
Lętũ iter: huc ducent properantem ſponte Camenę,
  Et, mihi qui dictat carmina, caſtus Amor.
Nil mihi vobiſcum eſt gens triſtis & aſpera Muſis:
  Ite procul, vobis invia rura peto.
Nec tamen argutum mihi ſternutavit Apollo,
  Nec dextrum niveæ vidimus omen avis.
Tu tantum Guilielme fave, ſatis omnis hoc eſt.
  Si faveas, ſternet Cynthius ipſe viam.
Imus, & æternum virides aſcendere colles,
  Et paucis notos ſtat penetrare ſpecus.
Nec me detineant, quæ captat præmia vulgus:
  Altera nec cœptum cura moretur iter.
Salvete æterni colles: juga veſtra ſubimus.
  O mihi felici ſint ea tacta pede.
Hic ego traducam lætos inglorius annos;
  Hæc mihi ſors felix regna, Deuſque dedit.
Si fas eſt, magni nobis concedite reges,
  Plus aliquid ſceptris hæc mihi regna dabunt.
Urbibus, & vobis ætas ſubducet honores:
  Otia quod condent noſtra, manebit opus.
Vos agitant curæ; vos ſpeque, metuque fatigant
  Numquam ſecura ſceptra tenenda manu.
At mihi non acies, non inſidiabitur hoſtis,
  Nec lateris pejor perfidus hoſte comes.

Lætus

Lætus ego lauros inter, fonteſque perennes,
    Tempora ſinceræ plena quietis agam.
Non tamen ut poſitis cupiam torpeſcere curis,
    Otiaque ignavus deſidioſa ſequi.
Si neſcis, magnos mandas Guilielme labores.
    Sed leve fit, ſi, quod fertur, amatur onus.
Si non extremos propero pius exul ad Indos,
    Nec rate gemmiferi per freta curro maris:
Nec me facundæ commendat gratia linguæ,
    Nec rapitur dictis turba, favetque meis:
At mihi Pierides de lauro pulpita condent,
    In quibus oranti vox mihi carmen erit;
Hinc ego trans pelagos, trans uſtos audiar Indos,
    Clauſaque barbaricis Sinica regna minis.
Audiar, Oceanus quamvis obmurmuret ingens,
    Quamvis tam procul hinc illa receſſit humus.
Invia carminibus nulla eſt via: clauſtra revellam
    Sinica, & invadam quo licet illa pede.
Et faciam, ut medios Japon eat omnis in ignes,
    Et tener aſſueſcat velle flagrare puer.
Et prunas teneræ, ceu florum ſerta, puellæ
    Virgineis pergant implicuiſſe comis.
Sanctus Amor, tantis qui fortiùs ignibus urit,
    Has vires nobis, ingeniumque dabit.
Hic mihi ſuccinctus pharetra dictabit & arcu
    Verba tyrannorum non cohibenda minis.
Nec minùs intereà patriæ vivam utilis; ingens,
    Quodlibet ad munus, carmina pondus habent.
Dicam ego, quàm pauper medio ſit avarus in auro;
    Quantæ paupertas, quæ benè fertur, opes.
Dicam etiã facibus, quibus hic Venus urit amantes,
    Accendi æternos in Phlegetonte rogos;
Et quibus una fuit Baccho indulgere voluptas,
    Tantaleõ fervens quàm ſit in amne ſitis.
Quamque miſer, vulgi quem fecit fama beatum;
    Quàm felix, quiſquis ſuſtinet eſſe miſer.
Vos quoque laſcivi gens pernicioſa, poetæ.
    Non tangent teneræ, me prohibente, manus.

Eheu!

Eheu! carminibus vix eſt, qui præbeat aurem:
Turba, pii vates, fruſtrà operoſa ſumus.
Nempe nihil carmen, nil prodeſt carminis auctor.
Quiſque animi dotes utilitate probat.
Dicimur ignavi, levibuſque inſiſtere curis:
Hæc labor infelix præmia noſter habet.
Quis me non culpat? quis non mihi, deſine dicit;
Meque reum ſtultæ ſedulitatis agit?
Confiteor, non his poſſum durare ferendis.
Ingenium frangunt talia verba meum,
Sed neque ſuſtineo doctas odiſſe ſorores,
Ah! nimiùm morbo blandior ipſe meo.
Nec pudor eſt, animi vitium, labemque fateri,
Stultitiæque modum non poſuiſſe meæ.
Tu quoque, cui mentes curis ſtimulantibus ægras
Pandimus, & medicas ſcis adhibere manus,
Si noſtrum, Guilielme, velis ſanare furorem,
Deprecor; uſque adeò, quod nocet, æger amo.
Perge faces potiùs, flammiſque adjungere flammas.
Me magis hic morbus, quàm medicina juvat.
Vicimus o Muſæ: venientem admittite vatem:
Guilielmus votis annuit ecce meis.
Hic favet, hoc ſatis eſt. Populi veſana valete
Murmura: Guilielmo judice tutus ero.

ELEGIA VII.

AD OTHONEM ZYLIUM
è Societate Jeſu.

Cùm Silvaducenſis Divæ miracula evulgaret.

Livor teſtis erit; geminas miracula Zyli:
Scribere ſic de ſe non niſi Diva dedit.
Seu tibi flamma pia eſt, mollique innoxia tactu;
Æquora ſuſpenſis ſive moraris aquis;
Sive jubes rigidi molleſcere vincula ferri,
Seu facis æratas ſponte patere fores;

Seu

Seu recreas ſubitis infirmos viribus artus,
  Prodigiis certat pagina quæque ſuis.
Sic media ventos in tempeſtate coerces,
  Et placidum invito gurgite ſternis iter.
O quoties ſua pro tabulis ſunt vota natanti,
  Cùm ratis inſanis victa dehiſcit aquis!
O quoties pallens coram latrone viator
  Vix, fer opem Virgo, dicit, & illa tulit!
Ducis & interdum ſtrictos impunè per enſes,
  Quem circum ſitiens ſanguinis ira fremit.
Vidi ego, quòd medio ferrum torpebat in ictu,
  Virginea vires eripiente manu.
Sæpè globum vidi, qui fulmine pulveris actus,
  Pectoris in ſumma parte pependit iners.
Quin etiam tenues redeunt in corpora vitæ,
  Natalemque novum ſæpè cadaver habet.
Vita licet redeat, tamen hanc mors altera tollet:
  Quam tu das, Zyli, vita perennis erit.
O nova præteritis miracula jungere felix,
  Hoc age. Diva tuas dirigit ipſa manus.
Præceſſere duces, animoſi Lipſius oris,
  Et Phœbi & Charitum par Puteanus amor.
Nomen erit Lipſi, donec Mons ſtabit Acutus,
  Et rapidis Hallam Senna rigabit aquis.
Et Puteanus erit, duro dum nomine Collis,
  At non languentum vocibus Aſper erit.
Tu quoque, dum votis, Zyli, tua Diva coletur,
  Doctaque dum vivent ſcripta, ſuperſtes eris.
Silva dabit meritos, quamvis mœſtiſſima, plauſus;
  Heu Silva! heu! nullis flenda ſatis lacrymis.
Fas audire fuit, fas & ſpectare dolentem;
  Sit quoque fas luctus, Silva, referre tuos.
Dicebas, memini, priùs o à ſtirpe revellar,
  Quàm vitiet ramos illa Megæra meos.
Vana præcor, ſævis victam tenet Hæreſis armis,
  Perque meas multo ſibilat angue comas.
Triſtior hic ſonus eſt, quam Martius antè tumultus:
  Audivi; atque iterùm ſum mihi viſa capi.

Hæc

Hæc ſpiris tenet implicitam : vix libera vox eſt ;
  Libera vix tacito gutta dolore fluit.
Libertas tamen eſt, Batavis ſi creditur, eheu!
  Quanto libertas me premit illa jugo!
Impia libertas, arctandaque mille catenis,
  Quæ, niſi quà pereant, non finis ire tuos.
Unica, te Domina, miſeris obſtructa ſalutis,
  Et centum geminæ mortis aperta via eſt.
Libera ſic non ſim, mihi vix captiva videbor.
  Hæreſis eſt luctus cauſa caputque mei,
Illa necaturi perfundit tabe veneni
  Ætherio ſolitas rore madere comas.
Ergò ego paullatim ſtygia corrumpar ab aura :
  Ille mei ſenſim defluet oris honor.
Qualiter aut gelidis pallens Aquilonibus hortus,
  Aut vitio cœli deficit ægra ſeges,
Pugno quidem contra; ſed Tēpus, ut Hæreſis, inſtat,
  Et ſpolium de me quilibet annus habet.
Cumque alios ſanet Tempus, minuatque dolores,
  Noſtra quod augebit vulnera, Tempus erit.
Ah! potius ferro victor me perde, vel igni,
  Sic mihi, ſi neſcis, lenior hoſtis eris.
Non flebo in cineres verti, buſtumque meorum,
  Dummodo ſit pretium cladis, avita Fides.
Hoc mihi contingat : reddent hæc funera vitam,
  Æternoſque rogos obruet ille cinis.
At nunc, o utinam! (miſeris ignoſcite votis]
  Quàm quod ſum, potius campus & herba forem!
Vos flentum precibus faciles ſubſcribere Divi
  Hoc date, ſi mereor clade minore premi, (eſt;
Erige Silva animos. Spes nunquam in Virgine nulla
  Spes falli auguriis non ſolet illa ſuis.
Reſpice quo ſoleat ſuccurrere tempore Virgo;
  Hoc tibi ſpem, quamvis flebile, tempus alet.
Cum jacuit nulla medici curabilis arte,
  Tunc exoravit Virginis æger opem.
Quique ſacra pictas ſuſpendit in æde procellas
  Navita ſervatus, naufragus antè fuit.

Vin-

Vinclorum immunes, an onuſtos pondere ferri,
  Laxavit tacita juſſa catena ſera?
Virgo quibus gelidos animam revocavit in artus,
  Nonne priùs caſſum lumine funus erant?
Denique vota tuam toties orantia Divam
  Pro deploratis ſcis valuiſſe malis.
Et tu ſpem retine, quamvis peſſumdata, quamvis
  Mœrens captivas Dommela volvat aquas.
Et quantum opprimeris, tantum ſperare memento;
  Crede mihi, Superos ſpes animoſa capit.
Si capit; hoc ſatis eſt: tunc invia nulla ſaluti
  Mœnia, nec vaſta ſtagna palud s erunt.
En tibi quò major ſurgat fiducia, Virgo
  Per duo vix notam ſæcula monſtrat opem.
Aſpicis ut puro veniat pulcherrima cultu,
  Si ſineretque tuus, tota ſerena, dolor?
Aſpicis auguſtæ quam blanda modeſtia formæ?
  Quàm ſpiret roſeis gratia viva genis?
Maternos animos oculis vultuque fatetur,
  Nec facie mentem diſſimulante venit.
Et venit in tenebras numquam reditura priores;
  Hiſtoriæ, Zyli, lux erit illa tuæ.

ELEGIA VIII.

AD BELGICAM.

Cùm Marchio Aytonæ Militiam Regiam cœpit administrare.

Belgica pone metus, quamvis à cladibus ingens
  Urit adhuc vulnus, Belgica pone metus.
Non tonat aſſiduè, nec ſemper fulminat æther,
  Nec gravis æterna grandine ſævit hiems.
Nec ſemper ſors dura premit: mutabilis illa eſt
  Cladibus à magnis proſpera ſæpè venit.
Proſpera nunc certè veniet, verſoque favore
  Deſtituet quos eſt fraude coacta ſequi.

Pro-

Proditio nulla ſatis evitabilis arte,
Cumque illa finem luctus & angor habent.
Liber & aſſerto curret jam flumine Moſa,
Et lætus Batavis volvet ademptus aquas.
Ipſe etiam invitus quæ fert modò vincula Rhenus,
Franget, & excuſſo curret, ut antè, jugo.
Ibitis erectis o magni cornibus amnes,
Nos animis; tuque o Iſula noſter eris.
Battave ſuccumbes: populi gaudete ſubacti,
Oppidaque indignis non benè capta dolis.
Fraudibus afflictas repetet Victoria partes:
Stabunt pro ſignis cauſa Deuſque ſuis.
Hæc ego vaticinor; nec me præſagia fallent:
Signa Deus tanto plena favore dedit.
Nos Moncada regit, Moncada præſide rerum,
Placatum Belgis credimus eſſe Deum.

ELEGIA IX.

AD JOANNEM TOLLENARIUM
è Societate Jeſu.

Cùm Eccleſiaſten ſoluta ligataque oratione dilucidatum ederet.

SIc eſt: decipimur. Quodcumque videmus inane eſt,
Et ſpeciem ſomni prætereuntis habet.
Decipimur: vanum ſine re ſunt omnia nomen,
Quæ petit excepto Numine, noſter amor.
Quiſquis opes propter tituloſque à plebe beatus
Diceris, & te, quod diceris, eſſe putas:
Dic ubi nunc trabeæ, & ſellæ, quæque ordine longo
Tot reges trepida ſceptra tulere manu,
Aurataeque trabes, & centum nixa columnis
Atria, & innumero limina trita pede?
Quid ſupereſt de tot celebratis urbibus olim,
Deque tot imperiis? fama fuiſſe refert.

Car-

Carthago cinis eſt: ſunt collis & herba Mycenæ:
Has tellus, illas æquor & unda tegit.
Quid Pandioniæ jam ſunt, niſi nomen Athenæ,
Deme Poetarum carmina, Troja quid eſt?
Plurimaque ingeniis opibuſque valentia quondam
Oppida, montanis nunc habitata feris,
Quorum cum totis periit quoque fama ruinis,
Quid modò ſunt, quàm tunc, cùm viguere, minùs?
Nunc ubi tot quondam laudatæ carmine formæ:
Quò decor, & niveo fugit ab ore color?
At, puto, quas vates ſapienter amare putamur,
Sunt aliquid Phocis, Pierideſque Deæ.
Muſæ, noſter amor, veniam date vera fatenti,
Quid veſtrum eſt aliud, quàm levis aura decus?
Ut quotquot vates, totidem faciatis Homeros,
Quid mutuos cineres gloria veſtra juvat?
Tu quoque Socraticis ſapientia tradita chartis,
Quæque hortos jactas porticus alta tuos:
Famaque, quæ nomen ſpondes, lauroſque perennes,
Præmia quæ, ſi quæ, digna labore datis?
Ut benè vincatis diſcentum vota, quid illa,
Humanæ mentes, quo ſantientur habent?
Nec mandaſſe juvat victuris nomina chartis:
Nomina cum chartis ſunt peritura ſuis.
Sub magno nihil eſt quod longum duret Olympo:
Protinus, ut cœpit quidlibet eſſe, perit.
Quæ vitæ prima eſt, eadem quoque mortis origo:
Vix leve diſcrimen caſus, & ortus habent.
Omnia deficiunt, volucrique ſimillima ſomno
Nos capiunt ſpecie, decipiuntque ſua.
Ceu vapor in tenues Aquilo quem diſſipat auras,
Aut citharæ, quem dat pectine tacta, ſonus.
Num minùs hæc larvæ mendax fugientis imago
Ludibriis verſet pectora noſtra ſuis?
Pro rebus ſtolidi ſpeciem captamus & umbram,
Nec piget eluſa ſemper hiare ſiti.
Qualis qui mediis ſemper deceptus in undis
A refugo ſemper flumine ſperat aquas.

Pin-

Pinxerat, ut fama eſt, teneras cum frondibus uvas
 Zeuxis, & ars ipſa decipiebat aves.
Sed tamen, ut roſtro perſtrinxit quæque tabellam,
 Errorem ſenſit depoſuitque ſuum.
Nec rediit cupidis ad eamdem protinus alis;
 Fallere non potuit plus ſemel ille color.
At nos eluſos eadem tamen uſque voluptas
 Ludit, & inſana credulitate tenet.
Non captat nebulas, nec inanes cerva vapores,
 Ut levet urentem pectus & ora ſitim.
Nec bos irriguo pro gramine ruminat auras;
 Flore nec in picto mel ſibi quærit apis.
At nos auferimur rerum mendacibus umbris,
 Turbaque mortale læta vapore ſumus.
Qui Cererem cæſa violavit in arbore, pœnam
 Fertur inexpletam ſuſtinuiſſe famem.
Preſſus adhuc ſomno corpus mulcente jacebat,
 Appoſitaſque ſibi ſomniat eſſe dapes.
Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat,
 Et vano fallit guttur & ora cibo.
Nos fumo vigiles, vigiles nos paſcimur aura,
 Et magis hæc nobis, quàm bona vera placent.
O faveant Superi tibi, cui mortalia tantam
 Pectora ſtultitiam dedocuiſſe labor.
Primus in hoc ſacros agitavit pulvere currus
 Edoctus Salomon uſibus ipſe ſuis.
Illius o felix i per veſtigia vates:
 Non eſt vox Muſæ vana futura tuæ.
Illa ubicumque canet, cæleſtiaque ora movebit,
 Proderit, & poſiti cauſa furoris erit.
Audiat hanc dives, fiet de divite pauper:
 Audiat hanc pauper, ſat mihi, dicet, opum eſt.
Audiat hanc animi tumidus, tumor ille reſidet,
 Et ſubitò faſtus, altaque verba cadent.
Illius monitis gemmæ ſpernentur, & aurum,
 Et quidquid toties ſanguine vulgus emit.
Vivat, & æternùm tam felix Muſa ſuperſit,
 Cæteraque ut pereant, neſciat illa mori.

Irrita

Irrita non voveo: nullo non tempore vivet,
Victurique eadem tempora vatis erunt.
Omnia vaſtantis legem non ſentiet ævi,
Materię nec erit mora caduca ſuę.
Auguror, & fiet: fulvis quandoque coronis
Regales Siren exuet illa comas.
Sępè tuos arcus infringet, ſępè ſagittas,
Obruet illa tuas ſępè, Cupido, faces.
In lacrymas vinum, longa in jejunia luxum
Verret, & obſcœnos in pia vota ſonos.
Nec minùs evincet, claræ quoque murmura famę,
Ut ſęclis maneant omnibus, eſſe nihil.
Certè ego qui ſtulto tituli tangebar amore,
Credebamque aliquid, quas ſequor, eſſe Deas,
Ut legi tua ſcripta, Pater, mea protinus odi,
Et me damnavi, judiciumque meum.
Iratuſque mihi: Cœptorum deſine, dixi:
Quod fugit, & fallit, quis ſapienter amat?
Et jam diſſidium à Muſis benè ferre videbar:
Cura nec illarum, nec rediiſſet amor.
Exemplo tamen ipſe tuo mea ſacra reſumpſi,
Et, tua quo currunt æquore, vela dedi.
Plus aliquid ſpectas, quàm vatum vulgus, inane
Quos juvat à ſcriptis nomen habere ſuis.
Ipſe Deus ſola eſt ſtudiorum cauſa tuorum:
Meta tuis hęc eſt una petita rotis.
Hoc habeat votum noſtri quoque ſumma laboris,
Tendere ſic rerum nos per inane juvet.
Ipſe Deus noſtri pretium eſt, ſi cauſa, laboris:
O tanto felix auſpice quod ſit opus!
Hic modus: hęc noſtro ſignetur ſemita curru.
Irrita pars talis nulla laboris erit.

ELE-

ELEGIA X.

AD FRANCISCUM VIVERIUM Medicum Gandavenſem.

Cum juſſu Senatus ederet Opus medicum, quod inſcribitur, Antidotarium Gandavenſe.

QUas vires Natura, quibusque inſeverit herbis,
Tempore laus omni maxima ſcire fuit.
Hac ope, dum vixit, Priſco Podalirius ævo,
Eripuit certæ corpora ſæpè neci.
Cui non Phillirid̨e, doctique Machaonis artes,
Cui non Pęonię gratia nota manus?
Miſcuerant ſuccos: æger bibit: haud mora: venis
Cauſa mali, languor corpore pulſus erat.
Quid tamen ex illis, niſi nomen inutile reſtat,
Famaque, quæ miſeros, nil habet, unde levet?
Artis erit, Franciſce, tuæ felicior uſus,
Vivere, quæ multis, poſt tua fata dabit.
Tradita ſic chartis noſtros pervenit in annos
Utilis ars Coi, Pergameique ſenis,
Ars facit, ut valeant homines, non fama medentũ:
Arte mali ſemen, tollitur arte malum.
Tempus ad hoc multis vitæ nova cauſa fuiſti,
Auxiliis multi convaluere tuis.
Nec tua ſe tenuit patriis induſtria muris:
Non illam, quamvis maxima, Ganda capit,
Finitimas etiam latè ſe fudit in oras,
Et paribus viſa eſt paſſibus ire Salus.
Atque utinam rivis fons ille perennibus iret,
Currenteſque nihil ſiſtere poſſet aquas!
Irrita ſed voveo: ſcatebris arentibus undæ,
Tamque ſalutares deficietis aquæ.
Corporis iſte vigor ſeris tardabitur annis,
Nec poteris longas ſemper inire vias.
Paul-

Paullatim vires, & te tibi ſubtrahit ætas,
Morſque gradu ſtrepitum non faciente venit.
Ah! cur hæc ſacris non eſt medicabilis herbis?
Cur tantum terris invidet illa bonum?
Quid queror, aut timeo? docta tibi mente reperta eſt
Qua mortem fallas, effugiaſque via.
Quaque tuas artes, & opem poſcentibus adſis,
Nec careant uſu ſæcula ſera tuo.
Quæ vis Pæoniis, & quanta potentia ſuccis,
Et quæ temperies, ſcribere cura tibi eſt.
Hoc petit ut facias, pars cujus es, ipſe Senatus;
Utque petat, cenſet muneris eſſe ſui,
Gaudet amans populi populo prodeſſe Senatus:
Exigere illa tuam cura coegit opem.
Exigit hanc, quæ te tangit quoque publica cura,
Et pius eſt patriæ conſuluiſſe labor.
Tu Gande, præter nomen famamque relinques,
Per quod te nunquam Ganda carebit, opus:
Tunc quoque cùm vivis te mors exemerit, & cùm
Funebris exuvias clauſerit urna tuas.
Sæpè tua vires æger ſperabit ab arte,
Sæpè tua ſumet pocula miſta manu.
Poſteritas omnis ſic te præſente fruetur,
Auxiliis nunquam deſtituenda tuis.
Mors ſpolium de te nullum, niſi corpus, habebit,
Civibus hoc tantùm ſubtrahet illa tuis,
Quos meliore tui nunquam non parte juvabis:
Jamque cinis, multis cauſa ſalutis eris.
Plus ita quàm Pæon, pluſquam cũ fratre Machaon,
Quorum nil, præter nomen, habemus, ages.
Laude tua ſemper famaque ſuperſtite vives,
Nec velut hi, ſterili nomine clarus eris.
Proderis infirmis, ægriſque medebere donec
Humanum medica corpus egebit ope.
Nec ſinet, immẽſum quam nunc tranſmittis in ævũ
Victricem lethi, te medicina mori.

ELEGIA XI.

ANTONIO ENGRAND.

Monaſterii S. Petri in Monte Blandinio juxta Gandavum Abbati.

Cùm annua præmia juventuti ſtudioſæ Societatis Jeſu Gandavi donaret.

AOnii montes, celebrataque vatibus antra,
 Quid niſi nominibus ſunt modò nota ſuis?
Non illic Muſæ, non illic Phœbus, ut olim,
 Per virides lucos, & juga ſacra canunt.
Non Helicon, rigidas quod poſſit, ducere quercus,
 Non vada Permeſſi, quo teneantur, habent.
Deſerti lugent colles & flumina: Muſis
 Barbarus expulſis omnia victor habet.
Quid faciat? mæſtus per terras errat Appollo,
 Et ſtabilem toto quærit in orbe locum.
Dumque vagus fertur, dum luſtrat Belgica Tempe,
 Conſtitit ad ripas, advena Scaldi, tuas.
Blandinioque videns placitos in monte receſſus:
 Sit modus hic, ſedes hæc mihi, dixit, erit.
Mons ſacer, & montis dominus placuere: volentem,
 Me tenet hic, atque hic: dulcis uterque mora eſt.
Phocidos hic gratas ſenſim obliviſcimur umbras,
 Parnaſſique jugum, Caſtalioſque lacus.
Hic meritum eſt, Engrande, tuum: me figere ſedem
 Quòd juvet hic, plus tu, quàm locus ipſe, facis.
In pretio tibi ſum: tu me, comiteſque benigno
 Excipis hoſpitio: tu mea ſacra foves.
Auſpice te virtus ſtudio certaminis ardet,
 Et per te pretium dulce laboris habet.
Quod licet, & poſſum, reddam pro munere munus,
 Et noſtris opibus, carmine gratus ero.
Dixit, & impellens citharam, dominumq; locumque
 Extulit, & vivax nomen utrique dedit.

ELE-

ELEGIA XII.

AD JACOBUM VVALLIUM è Societate Jeſu.

Ut Poemata ſua in lucem edat.

FLos & amor vatum, quo Cynthius ipſe canente,
Et veniunt faciles ex Helicone Deæ,
Quando erit, ut magnis addat te fama poetis,
A tota dignum poſteritate legi?
Serta quidem lauroſque tibi properamus amici:
Munera privati ſunt tamen iſta laris.
Immenſum tua Muſa, nec arctius orbe theatrum
Exigit: hoc ſpatium laudis habere potes.
Quis tibi non canit hæc, & miſcet plauſibus iras?
Illa tibi iraſci me quoque cauſa jubet.
Quod potes, hoc igitur tantùm te poſſe ſciemus?
Solaque ſpes de te votaque ſemper erunt?
Utilis intereà, meliorque elabitur ætas.
Ceſſatum ſatis eſt: quò vocat ira, ſequar.
Nec mihi vindictæ eſt, quam non vereare facultas.
Muſarum cauſa eſt, & Deus ora movet.
Nec tibi, ſi cauſa victus vincaris & armis,
Turpe puta culpæ pœnituiſſe tuæ.
Invidiam, & lauros, & nomen, & omnia vatum
Prœmia Pierides jam meruere tuæ.
Sive gravi nixus canis arma viroſque cothurno:
Armis digna virum verba cothurnus habet.
Seu Latiam tentas Venuſina barbiton arte;
Proveniunt Latia carmina digna lyra.
Seu cantes elegos: Quo, dicat, Apolline Naſo
Implevit numeros iſte poeta meos:
Seu Deus increpuit thyrſo graviore furentem,
Nil vulgare ſonas: omnia pondus habent.
Sermo fluit purus, priſcoque ſimillimus auro,
Et quem Roma vetus non neget eſſe ſuum:

 Pars

Pars operis quæcumque tui, quæcumque legetur
  Pagina, me verum dicere teſtis erit.
Curarum intereà pretium tibi vile tuarum eſt,
  Si te nil aliud, quàm labor ipſe juvat.
Admonui quoties, debes tua carmina famæ:
  Fama tuum expectat non patienter opus.
Sic ego, ſed mihi tu, Muſiſque monentibus aures
  Obſtruis, & paucos poſcere carmen ais.
Quid culpam extenuas? non excuſabilis illa eſt.
  Quæ labor eſt meritus præmia ferre, ferat.
Quis, niſi mentis inops, ipſis jam dives ab Indis
  Dum redit, advectas in mare mittat opes?
Numquid Erythræo quas legit littore conchas,
  Rurſus Erythræo littore condit Arabs?
Quid tibi, quid Superis obſtas, tantumque recuſas
  Quantum optare ſoles, nec tua vota capis?
Ergo terra tuum cum corpore nomen habebit?
  Et qui te tumulus, tam bona ſcripta teget?
Sit tibi mens melior, nec poſtera neſciat ætas,
  Nec tua, te priſcis vatibus eſſe parem.
Marmora Lyſippus, vivoſque imitantia vultus
  Non tulit in cæco ſigna latere ſpecu.
Nec Venerem Cous poſtquam pinxiſſet Appelles,
  Paſſus in obſcuro delituiſſe loco eſt.
Tu tua ſcripta premes? potioraque marmore & ære
  Ingenii perdes tot monumenta tui?
Si furor antiquis placuiſſet vatibus idem,
  Quid Maro, quid Flaccus, quid modò Naſo foret?
Hæc eadem magno ſi mens veniſſet Homero,
  Quis vatum Aoniis ora rigaſſet aquis?
Finibus exiguis virtus, & inertia diſtant,
  Obruta ſi virtus ſemper, ut illa, latet.
Si Calamis nocti tantum tenebriſque laboret,
  Exactos Calamis quid mihi jactes equos!
Illa Syracoſii toties laudata Myronis
  Bucula, quæ domino, quæ ſibi fama fuit:
Plus propè, quàm domino, luci debere fatetur;
  Hæc vitam, hæc famam contulit, ille manum.

Ille

Ille dedit ſaxo vitam, lucemque mereri:
Quód vivat, quod adhuc nota ſit, illa dedit.
At tibi, ſi lateas, quid proderit eſſe poetam?
Si renuis laurum, quid meruiſſe juvat!
Quid dubitas, nimiumque times tua credere famæ
Carmina: nil illis cura quod addat habet.
Aude, quid trepidas? en cum lauroque tubaque
Fama tuas pridem conſtitit ante fores.
Hoc aude verſare tuos in pulvere currus:
Ne dubita, vinces: palma parata tibi eſt.
Sæpè aliquis lauroſque comis, ederaſque precatur,
Imploratque omnes, ſollicitatque Deas.
Nec veniunt ederę, nec circum tempora lauri,
Nec miſero Phœbus Pierideſque favent.
At, tibi quos vivo promittit Fama triumphos,
Paucis poſt cineres vatibus æqua dedit.
Ipſa tibi defert Pindi de vertice laurum,
Sertaque temporibus Calliopęa tuis.
Ecce tibi aſſurgit Phœbi chorus omnis, & orat,
Ut te reſpicias, &, quod es, eſſe velis.
Sarmaticas horrens Naſonis ſpiritus umbras
Dum fugit, & noſtram luſtrat & ambit humum,
Repperit hęredem, dominoque ævoque ſuperſtes
Incidit ingenio, magne poeta, tuo.
Hunc tu; quem nec hiems Scythiæ, nec Cęſaris ira
Perdidit, hunc in te non ſupereſſe ſines?
Hoc tu, ſi facies, tum te de marmore dicam
Exciſum è Scythicis pęctus habere jugis.
Hoc tu ſi facies, fiam de ſupplice vindex.
Cornua jam ſumpſi: dum licet illa cave.
Indice me (neque enim nomen culpamque tacebo
Nec mea cum paucis juncta querela venit)
Indice me, donec vates, ederæque vigebünt,
Diceris populi publicus ore reus.
Cedis? an obduras? nec te mea vota, nec iræ,
Nec te Parnaſſi numina magna movent?
Jam feror in pugnam: neque me reverentia vertet,
Aut pudor, aut tanti cauſa furoris amor.

Nec vani aſſultus, nec erunt ſine viribus iræ:
Pierides nobis, & dolor arma dabunt.
Trans ego Pyrenem, trans altas audiar Alpes,
Vena mihi felix ſit modò, parque tuæ.
Solis a b occaſu mea vox pertinget ad ortum,
Nec te poſteritas neſciet eſſe reum.
Sed, puto, flecteris: ſi falles, p gina teſtis
Hæc maneat culpæ tempus in omne tuæ.

ELEGIA XIII.

AD FRANCISCVM GANDAVILLARUM Epiſcopum Tornacenſem inauguratum.

AUguſtum, Franciſe, caput ſubmitte tiaræ,
Sume pedum ſacra Pontificale manu.
Non titulis, domuique tuæ data, maxime Præſul,
Munera, ſed meritis, judice Rege, tuis.
Digna quidem faſtis ſemper geſſere parentes,
Et Regem obſequiis demeruere ſuis.
Incorrupta fides, nulliſque infracta procellis,
Gloria Villanæ eſt, raraque fama domus.
Illa, fidem Belgi magno violante tumultu,
In tanto rerum turbine, firma ſtetit.
Hanc neque promiſſis convellere turba rebellis,
Nec prece, nec pretio, nec potuere minis.
Parte ſui magna ſoſpes ſe Belgica vobis
Debet, & hoc gaudens, grataque ſæpè refert.
Quid memorē innumeras, victorū præmia, lauros,
Majores toties quas meruere tui?
Hic acie vicit, muris h c depulit hoſtes;
Ille ſuo moriens ſanguine tinxit humum.
Perſtitit ille, ſuaque enſes in caſſide fractos
Retulit, & centum pervia ſcuta locis.
Immanem ille, & adhuc ſtillantem cæde bipennem
Atria victrici fixit ad alta manu:
Exuviaſque ducum, curruſque, haſtaſque cruentas,
Bellica virtutis pulchraque ſigna ſuæ.

Eſt

Eſt igitur, quo nunc frueris, tua, maxime Prǽſul,
Et majore etiam digna favore domus.
Sed genus, & proavos, & quæ non feceris ipſe,
Ceu tua vix eſſent, pæne aliena putas.
Pars minor eſt in laude tua laus tanta tuorum,
Multum illis debes, plus tamen ipſe tibi.
Quòd Latias olim virtus tua tranſiit Alpes,
Quòd te mirata eſt Martia Roma, tuum eſt.
Illic certantem quòd te ſtupuere Lycæa,
Doctaque promentem pectoris arma, tuum eſt.
Et veteres olim, mandato Regis, honores,
Et jam ferre novos, & meruiſſe, tuum eſt.
Progenies, serieſque ducum, laudataque Regum
Gloria principiis talibus orta venit.
Ah! valeat, quiſquis ceras nil præter avorum,
Magnaque nil præter nomina, laudis habet.
Qui tantùm famæ, tituliſque incumbit avitis;
Heu, quantum generi detrahit ille ſuo!
Demite virtutem, quæ nobilitatis origo eſt,
Jam Coſſi, & Decii quid niſi vulgus erunt?
Demite virtutem, totum mors tollet Achillem;
Ignotum Æneas nomen, & Hector erunt.
At tibi (quæ laus eſt vera, & pulcherrima) ſemper
Virtutem generi jungere cura fuit.
Inde tibi venit ſapientia Præſule digna,
Menſque capax tantæ ſumere molis onus.
Quid, quod in hoc ſcandis Leopoldo vindice culmen?
O quanto tua ſe gloria teſte probat!
Quid tua non poterit tanto ſub nomine virtus?
Sit, precor, auſpiciis non minor illa ſuis.
Nec tamen hic gradus eſt in tanto ſummus honore;
Et hoc ferre decus, quàm meruiſſe, minus
Sic auges nomenque tuum, nomenque tuorum:
Sic veræ fructum nobilitatis habes.
Illa via eſt, quà tu, quà gens Villana poteſtis
Creſcere; tu gentis laudibus, illa tuis.

ELEGIA XIV.
AD MARCHIONEM AYTONÆ.
Cum hoſti Moſam eripuit.

MIlitiam quiſquis ſpatio metiris & annis,
Falleris: ingenii eſt illa capacis opus.
Scilicet ars belli ſolo non diſcitur uſu:
Qui valet ingenio, protinus arte valet.
Lucullus belli fulmen, celeberrimaque inter
Nomina, quos habuit Martia Roma, ducum,
Antè licet nullis umquam verſatus in armis,
Ingenio miles duxque repentè fuit;
Et Ponti Regem, Europaque Aſiaque potentem,
Cui dederat victas Græcia tota manus,
Indomitumque & adhuc Romana cæde cruentum
Vicit, & amiſſas Roma recepit opes.
Ingenium felix nobis quoque vincit; & à ſe,
Quidquid vix aliis contulit uſus, habet.
Hoc duce quod metuas, nūquā tibi Batta ve deerit,
Cumque tuo creſcent gaudia noſtra metu.
Hic vir, hic eſt noſtræ mora depulſorque ruinæ,
Cui patria acceptum non periiſſe refert.
Non periiſſe parum eſt: etiam victricia ſigna
Fixit in hoſtili fixaque ſervat humo.
Ille Moſam, te ne quidquam obſiſtente, recepit;
Cumque Moſa, quæ nunc oppida capta forent.
Grande rudimentum primis quod præſtitit armis,
Quod dux optaret quilibet eſſe ſuum.
Si licet è factis res divinare futuras,
Battave triſte tibi Mars tuus omen habet.
Mars ſequitur plerumque duces: dux maxima belli
Alea, dux in ſe publica vota gerit.
At tu, perpetuos cui jam decrevit honores
Inter laurigeros bellica fama duces;
Ege, quem, Moncada, tibi Rex addit, honorem,
Ut titulos æques Marte togaque tuos.

Suc-

Succeſſum, quidquid conabere, ſemper habebit;
Hanc tua ſpem virtus major honore facit.

ELEGIA XV.

AD JOANNEM HAEFFENCKERUM è Societate Jeſu,

Sereniſs. LEOPOLDI Eccleſiaſten.

Cùm è Belgio in Germaniam revocaretur.

Ergò dividimur juncti modò? quique doloris
Supremus gradus eſt, non rediturus abis?
Et vox alloquitur mœſtos extrema ſodales,
Unumque ingeminat illa diſerta Vale?
Me miſerum! quàm nulla diu ſibi gaudia conſtant!
Quàm facilè in ventos diſſipat illa dolor!
Quid tenuiſſe viam per tanta pericula prodeſt,
Tam citò ſi nobis eripiendus eras?
Pænè erat optandum, nobis ne cognitus eſſes,
Non eſt ignotis pœna carere bonis.
Quæ te cauſa tamen noſtris avellit ab oris,
Et longas iterùm cogit inire vias?
Scilicet intellecta parùm facundia Belgis
Non habet hìc opibus digna theatra ſuis.
Auſtria te revocat, te Belgas illa repoſcit,
Te velut injecta vindicat illa manu.
Illa cupit pendere iterùm dicentis ab ore,
Et paſci verbis inſtituique tuis.
Auſtria quid ſpoliis exultas improba noſtris?
Speſque tuas noſtro læta dolore foves?
Hoc etiam cupidè pendet Leopoldus ab ore,
Hæc quoque vox illum ſuadaque docta tenet.
Quem petis, hic petiit: ſtudiis certetur utrimque
Fortior hic quamvis pluribus unus erit.
Fortior ah populis unus quoque pluribus eſſet,
Si non præferret publica vota ſuis.

Avelli patitur ſua te ſolatia Princeps,
  Datque pius victas utilitate manus.
Haeſſneckere vale: tua te facundia nobis
  Eripit, & , quo te gens tua poſcit, amor.
Nec tamen eripiet: comes indiviſus euntem
  Per juga, per ſilvas, per loca vaſta ſequar.
Tecum iter ingredior. Jam Rhenum flumẽ,& Iſtrũ,
  Jam video turres, magna Vienna, tuas.
Culmina jam Divum video, jam Cęſaris arces:
  Mœnia jam tango quo licet illa pede.
Jam procùl abſtractum patriis Germania Belgis
  Me tenet, & civem non negat eſſe ſuum.
Fas erit hìc notas audire & reddere voces:
  Multa loquar præſens hic tibi, tuque mihi.
Hìc lætos ſemperque alacres mihi cernere vultus,
  Hìc mihi facundo fas erit ore frui.
Quos benè junxit amor, nec ſeparat ultima tellus,
  Nec circumfuſis, quà patet, ęquor aquis.

ELEGIA XVI.

AD MATREM MISERICORDIÆ.

Pro valetudine ALOYSII LAVVENBACH *è Societate Jeſu.*

DIva, tibi cari tandem miſerere poetæ:
  Hic tua conſumpta poſcitur arte manus.
Altera jam ſilvas revocatis frondibus ęſtas
  Veſtiit, & ſilvas altera nudat hyems.
Cum jacet, & vitio tabeſcit pectoris ę er:
  Nec modus eſt tanti nec medicina mali.
Aſpicis, ut macies vultum depaſcat & artus?
  Vividus ut toto fugerit ore color?
Quid ſuper ex illo? pro corpore, corporis umbra eſt,
  Membraque vix, anima jam fugiente, trahit.
Nil miſerum leſtęque herbę, ſuccique potentes,
  Nil patrii cæli, nil juvat aura maris.

Nec

Nec quibus & ſocii, nec nos, quibus utimur, artes;
(Nam medicum fecit me quoque vatis amor)
Deficit, & pariter ſpes deficit ipſa medentum.
En agedum vati, Diva, medere tuo.
Fer bona mater opem: multos ſervabis in uno:
Tu vati, ille aliis cauſa ſalutis erit.
Dum tibi depulſis augetur gloria morbis,
Accedat titulis ſoſpes & ille tuis.
Te facilem ſibi ſenſerunt tot millia matrem;
Nec tamen in laudes turba diſerta tuas.
Hic oculos, lucemque tibi debere fatetur:
Quamque videt lucem, tam tua dona videt.
Carceris ille fores à te ſibi narrat apertas,
Donaque fert illa, qua modo vincla, manu.
Hic loquitur, cui poſſe loqui natura negarat:
Ipſaque ſe memorat vox opus eſſe tuum.
Quis tamen ex illis tradit miracula famę?
Victuro certè carmine nemo canit.
Te meus hic vates, modò des in carmina vires,
Carmine, quod tempus vivet in omne, canet
Quod modò tabe perit, vena tunc divite felix,
Inque tuas laudes fertile pectus erit.
Tunc neque jam labens, nec poſtera neſciet ętas
Te vati medicas applicuiſſe manus.
Omniaque agnoſcent, quod par ſibi ſęcula ſemper,
Mirabuntur opus, muneris eſſe tui.
Sed tamē hoc minus eſt, quam quòd te reſpicit unā,
Et toties aras volvitur ante tuas.
Nos quoque (ſi quid id eſt) & flentes vatis amici,
Ut puto, grata tibi turba, precamur idem.
Nam veneror, ſeu te deſertum in monte ſaccellum,
Seu vetus annoſo cortice quercus habet.
Hoc orant alii tua circum altaria fuſi,
Et multos lacrymas non retinere puto.
At mihi jam toto dolor hic non deficit anno,
Exercet ſomnos hęc quoque cura meos.
Quid tamen hęc proſunt cum tot ſuſpiria votis?
Num minus infeſto carpitur ille malo?

Quid rear? an de te, quaſi non ſuccurrere poſſis;
Omnia cùm poſſis, me dubitare putem?
Diva, velis tantùm; ſatis eſt voluiſse: reſurget.
Scimus, Diva, tuas omnia poſſe manus.
Hoc ego ſi dubitem, tunc in me languor ab illo
Tranſeat, & quidquid non tulit, ipſe feram.
Et, quo pœna mihi, nec vulnus acerbius eſset,
Æger, &, ut nunc eſt, ſit miſer ille diu.
Fer bona mater opem. Nam poſse, & velle mederi
Fixa docent aris plurima ſigna tuis.
Ipſe etiam titulus, tua quo ſignatur imago,
Exorare tuam pænè videtur opem.
Mater, non tua ſunt, ut cætera pectora matrum:
Omnia ſint unum, plus tua matris habent.
Adſis o mater, nec nominis immemor hujus,
Servandi partem ſpem mihi tolle mei.
Vivat, ſi meruit, cui de te ſcribere ſemper
Mens fuit, & per te ſi modò vivat, erit.
O cœli decus, o magni ſpes publica mundi,
O de te genito numine digna parens:
Per lacerum nati pectus, laceratàque ſpinis
Tempora, per fixum cuſpidis ære latus;
Perque tuum toties in nati pectore læſum:
Nam tua, quæ nati vulnera, ſemper erant:
Annue ſollicitis rerum mitiſſima votis:
Annue, nec vatem deſpice, Diva, tuum.
Sic tibi non deſint memores pendere tabellæ;
Sic in ſera tuus ſæcula cultus eat.
Sic tibi votivis niteant altaria flammis:
Sic niteant altis aurea dona tholis:
Sic cum tot populis videas & regibus orbem
Ante tuos humilem procubuiſſe pedes.
Fallimur? an ſubitò facies in imagine viſa eſt
Blandier? & gemitu tangitur illa meo?
Auguror: eveniet votorum ſumma meorum.
Accipies prona ſupplicis aure preces.
Qualia tunc, & quot pro ſalvo munera vate,
Quos tibi tunc flores, quot tibi ſerta feram!

Hunc

Hunc ego ritè diem memori pietate quotannis
Proſequar, & lætus per tua templa colam,
Natalemque meum ſolemni more vocabo.
Tam mihi, tam vati candida ſurge dies.

ELEGIA XVII.

S. ANDREÆ IN CRUCEM AMOR.

FLebat, & exceptum gremio mœſtiſſima Mater
Spectabat Nati corpus inane ſui,
Et ſtabat feralis adhuc, multoque rubebat
Sanguine crux alto conſpicienda jugo.
Vidit, & eliſo percuſſis aere pennis
Protinus in ſummo ſtipite ſedit Amor.
Exuit hic humero pharetram, ſelectaque prompſit,
Et tinxit Domini ſanguine tela ſui.
Quæ fuerant aurata priùs, jam tela rubebant:
Aurum ſanguineus texerat omne color.
Aſpicit has, tractatque manu, verſatque ſagittas,
Miraturque ſuum teliger ales opus.
Nec mora: quas habeant in ſaucia pectora vires,
Vulnera quæ faciant, experiamur, ait.
Protinus exarſit, quicumque eſt tactus ab illis,
Nec potuit flammas diſſimulare ſuas.
Ex illo pharetræ non ceſſavere, nec arcus;
Nullaque non pueri certa ſagitta fuit.
Gaudet, & inſtat Amor: creſcit ſucceſſibus uſus:
Telaque cum jecit plurima, plura jacit.
Viderat Audream montis juga ſacra petentem
Supplicio Domini facta cruenta ſui:
Lunauitque ſuos arcus, miſſaque ſagitta,
Quæ locus hic poſcit vulnera, dixit, habe.
Tactus erat: ſerpunt flammæ trajecta perurit,
Quo ſua tela puer tinxerat, oſſa cruor.
Nec mora: ſumma jugi celer in faſtigia fertur:
Et pietas vires, & novus addit amor.

Illic

Illic in media ſupplex procumbit arena,
Multaque cum lacrymis oſcula figit humo.
Et modò dum crucis eſt Dominiq; in imagine totus:
Crux, ait, o vitę ſit quoque meta meæ.
Et modò pro Domino Domini veſtigia tangit,
Impreſſas tamquam ſervet arena notas.
Hìc ſtetit: hìc jacuit; ſuccos hic hauſit amaros:
Sanguinis hęc guttas forſan arena bibit.
Hic tremuit nudus, figendaque brachia clavis
Prębuit: hoc ſtabat crux veneranda loco.
Talibus atque aliis dulcem nutribat amorem,
Materiem flammis ſufficiente loco.
Hinc crux in votis, crux illi ſemper in ore eſt,
Et penitus tota mente recepta ſedet.
Hanc amat, hanc optat, ſola ſuſpirat in illa:
Illius hanc animo noxque dieſque refert.
Sæpè videns altam procero vertice quercum:
O utinam de te crux mihi fiat, ait!
Interdum tereti circumdat brachia trunco,
Viſaque crux illi, quod tenet, eſſe fuit:
Mixtaque blanditiis ſuſpiria pectore fundens
Humectat lacrymis robora preſsa ſuis.
Denique quidquid agit, quoquo veſtigia vertit,
Non aliud votum pectus amantis alit:
Riphęi montes, & Achaica littora teſtes,
Quęque procul Scythico terra ſub axe jacet:
Quo ſpes cumque vocat, per dura per aſpera rerum
Circumfert Domini ſigna veranda ſui.
Stat crux in templis: ſtat crux ſublimis in aris:
Crux ſtat in æreis conſpicienda jugis:
Non tulit Impietas tot templa erecta, tot aras,
Sacraque tam multis fixa tropħea locis.
Captus erat; capto, Tua deſere ſigna, tyrannus,
Aut tua ſupplicium crux tibi, dixit, erit.
Quid facis? ignarus cupidum ſolaris amantem;
Quod tu ſupplicium, ſpem vocat ille ſuam.
Si neſcis; genus hoc pœnę pro munere poſcit,
Ut doleat, mortem, quodque minare, nega.

Crux

Crux illi regnis, crux vita carior ipſa eſt:
Hanc benè tormentis & nece credit emi.
Andreas fruitur votis: cruce pendet in alta,
Eſtque voluptati qui necat ipſe dolor.
I felix, & te dignum molire triumphum:
Jam ſperata crucis præmia victor habes.
Felix qui meruit, qua tu, quoque cuſpide figi,
Et Domino ſimilis, quà licet, eſse ſuo.
Hoc mihi contingat: nihil eſt quod poſcimus u trà:
Hac ego, dum vivam, cuſpide læſus eam.

ELEGIA XVIII.

AD SOMNUM.

Somne quies animi, curarum, Somne, levamen,
Et primus placidos inter habende Deos.
Seu prope Cimmerios tua te tenet aula jacentem,
Seu legis in tenera molle papaver humo;
Seu geminas aperis valvas, habituraque mittis
Somnia, ſeu mittis non habitura fidem;
Huc aves, & tacitis allabens leniter alis,
Noſtra ſoporifera lumina tange manu.
Decubui; ſed enim multo jam tempore noctis
Sum vigil, & laſso corpore; Somne veni.
Eja age Somne veni; nec enim tibi cauſa morandi
eſt:
Si qua foret, certè conſcius ipſe forem.
Nam neque quas colimus, Terror circũ volat ędes,
Nec ſedet ante fores anxia Cura meas.
Nec tibi trux Boreas, nec turbidus obſtrepit Auſter,
Æolius clauſum carcer utrumque tenet.
Nec canis ad limen, nec ſub trabe garrula Progne:
Garulla jam Progne, jam tacuere canes.
Nunc etiam nox alta favet, nunc humidus aer,
Lunaque ſomniferis humida rorat aquis.
Vicinis tantum foliis immurmurat aura,
Et rivus tremulæ lenè ſuſurrat aquæ.

Somne

Somne veni: criſtata cadet tibi cæſa volucris:
  Spargentur pennæ lacte meroque tuæ.
Ipſe feram tenerum placita tibi nocte papaver,
  Unde tuis nectam ſerta gerenda comis.
Ipſe tibi laudes, votivaque carmina ſolvam;
  Tu modò ne deſis laudibus ipſe tuis.
Tu reparas vires, reddiſque laboribus aptas:
  Tu ſiſtis lacrymas, ægraque corda levas.
Quod neque divitiæ poſſunt conferre, nec aurum,
  Quod nec honor titulis omnibus, ipſe potes.
Tu curas circum regalia ſceptra volantes,
  Et procul inviſos cogis abeſſe metus.
Tu ſævas acies tota cum viribus ira
  Exuis, & meliùs quolibet hoſte domas.
Quaque venis, ſecura quies comitatur euntem:
  Illa eſt grata tuæ cauſa, comeſque viæ.
Illa (nec invideo) per te tot millia mulcet:
  Cur non ſum de tot millibus unus ego?
An, quia fortunata patent tibi limina regum,
  Te pudet in parva pauperis eſse domo?
Sæpè tamen magni ſubiere mapalia Divi:
  Te certè tenues conſtat amare caſas.
A tibi dilectis quid te, precor, ędibus arcet?
  Et tua cur ſine te tempora noctis eunt?
Suſpice; dum cœlo labentia ſigna videbis,
  Ut properem, dices, quò vocor, illa monent.
Jam ſua declinat verſo temone Bootes
  Plauſtra: tuas tardus vincet an ille moras?
Fallimur? an cecinit? non fallimur: audio: rurſus
  Vicinæ cecinit nuncia lucis avis.
Ut puto, lux inſtat: quid adhuc o lente moraris?
  Jam tua prætereunt tempora: Somne veni.
Nil ago: blanditias, & non tibi debita verba
  Perdimus, o tenebris turpior ipſe tuis.
Somne niger, nigro cui pectus concolor ori:
  Ferree, nec mites inter habende Deos.
Noxia, Somne, quies, jacturaque maxima vitæ;
  Hæc, hæc ſunt meritis nomina digna tuis.

Nec

Nec te commendat generis, nec gloria rerum:
  Nec tibi majeſtas, nec decor ullus ineſt.
Quæ peperit Furias, quæq; Umbras nocte volantes,
  Dicitur hæc eadem te peperiſſe parens:
Eumenidum frater, metuendaque mortis imago,
  Sis procul, & longè lumina noſtra fuge.
Corpora quæ ſternis, quid ſunt niſi funera? ſpirant;
  Hoc unum vitæ, cætera mortis habent.
Mors vires, mentemque adimit. Quis mente, quis ore
  Quiſve manu promptus, te veniente, fuit?
Corporibus dulcem vitæ ſubducere ſenſum
  Et necis, & ſomni eſt ſemper inertis opus.
Sæpè etiam ſomnus cœpit, quod finxerat, eſſe:
  Morſque fuit, ſpecies quæ modò mortis erat.
Somnus in æternam centum Argi lumina noctem
  Clauſit, & immerito ſanguine ſparſit humum.
Spes Priami Rheſus cauſa non occidit una:
  Proditus à ſomno, cæſus ab hoſte fuit.
Quid referam Danai generos, in vulnera quorum
  Somnus fœmineas impulit ipſe manus?
Somnus amat fraudes: ſomno fraus uſa miniſtro
  Exitio populos, regnaque tota dedit.
Trojæ, quæ decimo benè ſe defenderat annò,
  Everſæ titulum quis niſi ſomnus habet?
Tene ego tam ſævum, & toties laudare nocentem,
  Et potui magnis annumerare Diis?
Cujus ope, ut perimant, ad inermia corpora ſemper
  Inveniunt faciles enſis & haſta vias.
Heccine ſunt, quæ pectoribus tu munera condi?
  Heccine, quam præfers, perfide, pacis opus?
An mentes ideò noſtras curaque, metuoque,
  Ad ſua ne vigilent damna, ſceleſte, levas?
Jurgia creſcebant, gravioraque verba parabam:
  Et ſatis irarum, nec minus oris erat.
Hoc metuit, credo. Venit ſopor, oraque preſſit,
  Atque impercepta lumina noſtra manu.

ELE-

ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

Elegia Caſta.

STat vetus, & multa denſiſſimus arbore lucus:
  Undique Phœbeat ſubmovet umbras faces.
In medio fugiens trepidat per gramina rivus,
  Et ſimilis fonti labitur uſque ſuo:
Priſca loco numen finxiſſet ineſſe vetuſtas:
  Certè illum Muſis fama placere putat.
Hic ego, neſcio quas, ſolabar carmine curas:
  In manibus vates unus, & alter erant.
Dignum erat æterna lauro, quodcumque legebam:
  Argutus candor, ſermo pudicus erat.
Hei mihi cur non ſunt, velut hæc, quoq; cætera, dixi,
  Carmina? cur quædam crimen amoris habent?
At, ſi caſta forent, quid erat divinius illis?
  Non ſinit hæc vates cauſa placere mihi.
In quibus utilitas le vior ſolet eſſe periclo:
  Tot mala, tot caſti damna pudoris habent.
Hæc ego dum mecum lacrymis indignor obortis,
  Inque leves auras verba querentis eunt:
Venit inæquali mœrens Elegeja paſſu:
  Ingenui facies plena pudoris erat.
Squalebat veſtis ritu conciſſa dolentis:
  Squalebant fuſæ mœſta per ora comæ.
Serta, ſed invitam velabant myrtea frontem:
  Plus quoque, quàm vellet, crinis odorus erat.
Bis conata loqui, pudibunda bis ora repreſſit:
  Auſa iterum, cauſæ proſpicienſque ſuæ:
Quod potes, o dixit, vates ſuccurre dolenti,
  Si modò ſim curæ pars ego parva tuæ.

Scis,

Scis, puto, quid doleam: non diræ crimina cædis,
Non lacrymas nobis funus, & urna movent.
Nec qui tot populos modò Mars collidit, & urbes;
Quamvis, ut populis, ſic mihi ſæpè nocet:
Cernis, ut inviſam Cythereja munera myrtum
Suſtineam caſtis, non mea ſerta, comis?
Turpis Amor numeriſque meis, & verſibus uſus
Hos miſeram cultus ſemper habere jubet.
Sim licet, & maneam, credi vetat ille pudicam,
Dum mea, qua Veneris tempora, fronde tegit.
Sed tamen indicium myrtus leve criminis eſset:
Nequitiæ faciunt mollia verba ream.
Quali ſcumque animi ſermo benè creditur index:
Certior obſcœno vix tamen eſſe ſolet.
Seu quia, quod peccant, ſtulti venerantur amantes:
Seu quia laſcivo fugit ab ore pudor.
Eheu, quàm magno mihi Cynthia ſæpè rubori eſt!
Ut lędat, per me Cynthia forma potens.
Nec minùs hac fallax, & adhuc verſuta Corinna,
Nec tantùm domini prima ruina fui:
Deliaque, & Nemeſis, mihique invidioſa Neæra,
Pluraque criminibus nomina clara ſuis:
Ars quoque, quæ vatem malè me feliciter uſum
Perdidit, heu! plures perdidit illud opus.
Felices, Scithici ſi tantùm frigora Ponti,
Nec gravior miſeris pœna luenda foret.
Quid referam, quoties fuerim perjura, datamque
In numeris tantùm juſſa tenere fidem?
O quoties foribus caſtis convitia feci,
Quę ſparſæ lacrymis permaduere meis!
O quoties populus pendentem vidit in illis,
A quo me puduit prætereunte legi!
Sæpè Venus comitem, comitem me ſæpè Cupido,
Sæpè etiam lenam fecit uterque ſuam.
Sępè aliquis juvenum, quem non Venus ipſa moveret
Me legit, & lecto carmine læſus abit.
Senſerat has in me vires vafer eſſe Cupido,
Nec mora: pro telis hæc mihi, dixit, erit.

Sæ-

Sæpiùs ex illo per terras errat inermis
 Tempore; ſed numeros tunc gerit ille meos.
Si qua fides, centum non expugnata ſagittis
 Pectora, blanditiis victa fuere meis.
Ergò ego plus valeo, quàm ſæva Cupidinis arma?
 Ergò ego ſum pejus, quàm Venus ipſa, malum?
O utinam potius periiſſem, & carmina mecum,
 Hac ego ſi virgo labe notanda fui!
Ars bona; ſed poſtquã furor hanc violavit amantũ,
 Exitium multis illa, mihique fuit.
O ſi me potiùs feciſſet flamma favillam!
 Quantum texiſſet criminis ille cinis!
Dii facerent ſaltem, ſi totam perdere nolint,
 Poſsem, qua non ſum parte pudica, mori.
Non ego nequitiæ cuiquam ſuſpecta venirem,
 Nec toties, ut nunc, dicerer eſſe nocens.
Nec, quibus, ut caſtam, ſolis placuiſſe decebat,
 Vitarent aliquid pectora caſta mei.
Tunc ego Pierias inter pulcherrima nymphas,
 Irem virginei fama decuſque chori,
Nunc neque me miſerã luctus, nec vita relinquet,
 Quæque dolet, numquam, nec dolor ipſe cadet.
Per mea nempe leves numquam morientur Amores
 Carmina: vivaces gratia noſtra facit.
At tu, non leviter mea quem ſuſpiria tangunt,
 Nec ſiccis audis tot mala noſtra genis:
Quid tantùm tacito miſeraris pectore flentem,
 Nec relevas luctus, qua potes, arte meos?
Quæ mihi me reddant, non ſunt Medeides herbæ,
 Nec de Theſſalicis gramina lecta jugis:
Nec quæ vicinas traducant carmina fruges;
 Sed mea: quæ vacuus dictat amore pudor.
Qua ſum læſa, mea quoque ſum curabilis arte,
 Quiddam habuit fati Pelias haſta mei.
Tu qui, quæ toties nobis laſcivia miſcet,
 Carminis odiſti crimina, carmen amas,
Scribe precor: caſti mea ſunt medicina libelli.
 Quid trepidus vires conſulis uſque tuas?

Aſpice

Aſpice tot vates priùs hoc feliciter auſos,
Par quibus, aut multo non minor eſſe potes.
Si non ingenio, ſi non æquaveris arte,
Quos priſcis meritò vatibus æquat honor;
Quæ potes, hęc ſaltem nobis ſolatia præbe,
Carmina: quæ ſalvo quiſque pudore legat.
Sic tibi Pierides faveant, & labe carentem
Concedant famam, diſſimilemque meæ.
Sic te, quod mecum Divos & Numina poſcis,
Exemplis ſuperent poſtera ſæcla tuis.
Deſierat dixi: Quos tu nos odimus ignes:
Paremus juſſis, Diva pudica, tuis.
Aut fuit, aut viſa eſt promiſſis lætior iſtis:
Ora minùs certè mœſta dolentis erant.
Sit rata noſtra fides. Roſeis pudor advolet alis:
Hoc duce præſcriptum Muſa teramus iter.

ELEGIA II.

Supplicium Cupidinis.

SAucius Idalia flebat ſub valle Cupido:
Et ſuberat lacrymis altera cauſa pudor.
Victorem toties victum ceſſiſſe pudebat,
Et pulſum turpi terga dediſſe fugæ.
Livebant artus: ſtillabant ſanguine venæ:
Immani lacerum vulnere pectus erat.
Flebat, &, ut læſos ſenſim dolor acriùs urit,
Jam patiens pœnæ vix erat ipſe ſuæ.
Fortè Venus niveos curru jungebat olores,
Addebatque avibus mollia frena ſuis.
Dum vehitur, medio curſu lamenta dolentis
Audit, & huc niveas pallida flectit aves.
Ut fletit, & toto laniatum corpore natum,
Et madidam circùm ſanguine vidit humum;
Excidit ipſa ſibi, lapſaque è vertice myrto
Linquitur: attonitæ voxque colorque fugit.
Sic Nioben natos internataſque peremptas
Marmoreo per. ibent diriguiſſe gelu.

Sic

Sic in piſce ſedens animos & frena remiſit
  Audita nati pallida cæde Thetis.
Hæc Veneris facies, hæc ipſa dolentis imago.
  Te quoque dum lacerum vidit Adoni, fuit.
Luminibus puerum tacitis & vulnera ſpectat,
  Quotque videt, totidem ſaucia mente gerit.
Nervi pæne patent, & parvi corporis oſſa:
  Nullaque pars plagis, nulla dolore vacat.
Armaque, de Superis ſpolium quæ ſæpè tulerunt,
  Viceruntque Jovem fulmina, fracta jacent,
Spicula cum facibus, pharetrçque, & lampas, & arcus
  Et pariter domini ſparſa cruore madent.
Convulſæ quoque ſunt, & rorant ſanguine pennæ,
  Hæc erat ex illo forma relicta Deo.
At Venus, ut potuit lacrymis diffundere luctum,
  Et ſua ſuſtinuit prodere ſigna dolor,
Unguibus ora ſecat, laniatque inſana capillos,
  Et trepida tundit pectora ſæpè manu.
Plorantemq; amplexa, comaſq; in ſanguine vertens,
  Et lacrymis ſpargens ſaucia membra ſuis:
Me miſeram! quis, ait, ſic in te ſæviit hoſtis?
  Aut quibus hæc telis vulnera facta putem?
Non licet hoc Superis: Superi ſenſere quid eſses,
  Cùm toties telis ſuccubuere tuis.
Nec lupa ſic in te potuit ſævire, nec urſa,
  Nec, mihi qui carum ſtravit Adonin, aper;
Nec lea, nec tigris, nec vipera plena veneno:
  Manſueſcit flammis hæc quoque turba tuis.
Sævior ille feris, diviſque potentior ipſis;
  In te qui potuit tam ferus eſse, fuit.
Eſse hominem credamne, aliqua de matre creatum?
  Non, non humani eſt pectoris ille furor.
Æthna neq; è ſcopulis, neq; Caucaſus edidit illum;
  Ingenio ſaxis aſperiore fuit.
Nec fortaſse tuis quiſquis fuit ille ſagittis
  Saucius, in merito pectore vulnus habet.
Forſitan & lacrymas noſtras irridet & iras.
  Heu quanto eſt pœnis dignior ille tuis!

Sic

Sic Venus: at lacrymas miſcẽs cum ſanguine natus,
Non mea ceſſarunt ſpicula, mater, ait.
Quondam aliis, at nunc domino nocuere ſagittæ:
Primaque tam magni cauſa fuere mali.
Infelix illas alieno fortè vibrabam
Sanguine tingendas, & rubuere meo.
Mens fugit admonitu, parſq; eſt meminiſſe doloris:
Sed tamen exponam dedecus ipſe meum.
Eſt locus Elyſiis par aut formoſior hortis,
De quo tu verbis concipe plura meis.
Innumeros ſummittit humus viridiſſima flores,
Præcipuè niveos: eminet ille color.
Quos inter trepidat cryſtallo purior humor,
Quem gracili labens murmure rivus agit.
Ille vagus quidquid felicibus alluit undis,
Veſtit odoratis & ſine labe roſis.
Forma loci ſuperat flores, quos innuba laurus
Cingit, & æternis undique palma comis.
Naſcitur hic Zephyrus, campumq; tepentibus auris
Et liquido mixtis nectare mulcet aquis.
Sed nuſquam myrti, nuſquam cum vite racemi,
Gens odio, nobis quidquid amatur, habet.
Virginitaſq; pudorq; colunt loca. Vulgus amantum
Exulat, & flammæ conſcia turba meæ.
Nemo quid ſit Hymen, quid ſint connubia curat:
Omnibus eſt odio, ceu grave crimen, amor.
Pars flores in ſerta legunt; pars carmina dicunt,
Qualia gens noſtri non canit ulla chori.
Non Umber, non Naſo tuus, non ipſe Tibullus:
Fama licet nihil his dulcius eſſe pu et.
Quilibet ex illis nec te, pulcherrima mater,
Reſpicit, aut curat, noſtra nec arma timet.
Dant animos illis ſcuticæ, ſetæque rigentes,
Et labor, & longa pallida membra fame.
Pars quoque numinibus faciunt convitia noſtris:
Pars vocat impuros, pars negat eſſe Deos.
Fabula dicor ego, & vanum ſine corpore nomem:
Tu pelagi ſpumis vanior eſſe Dea.

Nec mora, commotus dictis, pharetraque ſolutâ
  Quàm grave ſit, dixi, diſcite numen Amor.
Luna vique arcum, ſelectaque ſpicula miſi,
  Plus quibus occulti nulla furoris habent.
Jupiter his tactus ſe diſſimularet in auro,
  Rurſus & ad Spartes tecta volaret olor.
Quas ego ſelegi, nulli nocuere ſagittæ:
  Credibili populus durior ille fuit.
Quid facerem? pudor eſt nil proficientia tela
  Perdere; ſed victum major abire pudor.
Hei mihi! cur majora meis ſum viribus auſus?
  Cur ego tam præceps in mea damna fui?
Omnia cur ſprevi? nam non fore proſpera nobis
  Prælia, funeſtæ voce monebar avis.
Quiſquis bella parat, validumq; inſurgit in hoſtem,
  Si ſapiat, vires conſulat antè ſuas.
Omina nec ſpernat, ſeu vox ſeu penna minentur:
  Magna fides avibus: vaticinantur aves.
Ex humeris pharetrã,& ſegnem ſuſpendimus arcũ,
  Ardenteſque novo ſumpſimus igne faces.
Et feror in medios, &, quà tulit impetus iram,
  Tentavi flammis ſaxea corda meis.
Senſerunt (quis enim noſtros non ſentiat ignes?)
  Leniter ardores ire ſub oſſa meos.
Atque aliquis ſubitã luctando extinguere flammam
  Dum parat, hoſtili corripit arma manu.
Meque tenet, ſocioſque vocat, Captuſque tenetur,
  Hæc loca qui nobis invidet hoſtis, ait,
Dixerat: extemplò circùm affluit undique,& in me
  Comparat armatas gens inimica manus.
Quid facerem puer, & tam multos unus in hoſtes?
  Quidve animo nobis tunc ſuperaſſe putas?
Populeæ veluti frondes, quibus ingruit Auſter,
  Aut ut canna, Noti quam ferit aura, tremit:
Sic ego pœnarum pallens horrore tremebam,
  Lampadas è digitis excutiente metu.
Nec mora: pars ſtimulis, pars acri verbere pulsat,
  Pars ſecat hamatis corpus inerme flagris.

Funibus

Funibus hic, nodiſque; hic ferro ſævit & igni?
  Meque ajunt meritis ferre minora meis.
Ille meam extinctis conculcat lampada flammis;
  Hic manibus pennas vellit; at ille comas.
Ille meos frangens arcus, quos frangimus arcus
  Eſte meæ teſtes ſignaque mentis, ait.
Quiſque furit, noſtroſque dolens ulciſcitur ignes,
  Sævaque crudeles adjuvat ira manus.
Aſpicis ambuſtos circum mea colla capillos?
  Et ferrugineis livida terga notis?
Stipitis ardentis, mater veſtigia cernis
  In caput illiſi; cauſaque parva fuit.
Clarus erat juvenis titulis ac ſanguine, cujus
  Contigeram timido limina prima pede,
Me viſo vultumque trahit, ſubitoque flagrantem
  E medio torrem corripit ille foco.
Impingitque ferox humeris arſere capilli,
  Stridoremque uſto ſanguine plaga dedit.
Sic ferus ille meos compeſcuit ignibus ignes:
  Flamma fuit flammis fortior illa meis.
Alterius pectus mea vix libarat arundo,
  Vindice cùm ſaxo verberat ille meum.
Nec modus, aut requies: repetitos ferreus ictus
  Ingeminat; nec me non meruiſſe juvat.
Utque tuis meritis reddatur gratia, dixit;
  Accipe vulneribus vulnera digna tuis.
Quid fles? diſce puer, quid ſit præcordia lædi.
  Nam tua plus noſtris tela doloris habent.
Arguis immeritò mea, dixi, ſaxee tela,
  Queis nihil immenſus blandius orbis habet.
At tibi de ſcopulo ſaxumque & pectus eodem eſt,
  Quo tua, quo toties pectora noſtra feris.
Quòd niſi jam parcas, fiam de ſupplice vindex,
  Et faciam telis comminuare meis.
Ille tenens noſtro ſtillantem ſanguine cautem,
  Oſtentanſque mihi, talia verba refert,
Hoc, puer, antè tuo molleſcet ſanguine ſaxum,
  Quàm fiat facibus cor mihi molle tuis.

Ure ferum, & torque: poſſunt molleſcere rupes,
  At non durities pectoris illa mei.
Tu licet Auſonias, ſpectacula lubrica, ormas
  Obijcias oculis improbe ſæpè meis,
Et molles nimiùm riſus, agileſque choreas,
  Pluraque quæ nobis Roma videre dedit:
Antè tamen Tybrim Solyme bibet, ipſaque ſtabit
  Roma Palæſtinis conſpicienda jugis,
Quàm tua conſueto non tundam pectora ſaxo,
  Supplicio meritis conveniente tuis.
Dixerat: intereà pœnarum mille figuris
  Vindicat offenſas cætera turba ſuas;
Maxima pars nullas: ſatis eſt voluiſſe videri
  Lædere, ſupplicii dicar ut eſſe reus.
Singula quid memorem? non ſi noctéſque, dieſque
  Mille mihi voces oraque mille ſonent,
Pęnarum ſpecies & nomina dicere poſſim.
  Præcipuas etiam longa referre mora eſt.
Credis & hoc nobis? certiſſima pignora veri
  Cerne cicatrices: hæ dubitare vetant.
Per vepres aliquis nudum volvitque, rapitque,
  Spiculaque inſultans hæc, ait, adde tuis.
Omnia vincentes hæc vincunt tela ſagittas:
  Si dubitas, armis iſta retunde tuis.
Quæ toties jactas cedunt tua ſpicula ſpinis.
  I nunc, & titulum cuncta domantis habe.
Ah miſer intereà ſpinis lacerabar acutis,
  Et, quæ cernis adhuc, vulnera mille tuli.
Vepribus & verbis pariter lædebar; at illi
  His mihi ſunt viſi mitius eſſe malum;
Barbare, clamabam, ſi te neque forma, nec ætas,
  Nec quæ non merui vulnera ferre, movent:
At proſit tenues tibi nil nocuiſſe ſagittas.
  Eſt aliquid jaculis crimen abeſſe meis.
Quid faceres læſus, qui ſic ſine vulnere ſævis?
  Sanguine, nec ceſſas, jam nemus omne rubet.
Et, quaſi parva feram, verbis quoque lædis amaris,
  O his aſperior linguaque menſque rubis!

Abri-

Abripit hæc ſantem noſtro quoque ſaucius igne
Neſcio quis, ſed non tactus ad oſſa ſenex.
Atque ita:quid rapidas jactas,puer improbe,flãmas
Urat cuncta tuus, te meus ignis, ait.
Me ſimul accenſis veſtigia figere prunis
Cogit,& in medio detinet igne pedes.
Heu malè tam ſævis teneros ulciſceris ignes,
Tolle tuos, clamo, jam periere mei.
Non ſic Antiphates in me, non ſæviat Atreus,
Non qui mendacem torruit igne bovem;
Non qui ſanguineos artus & cruda voravit
Viſcera: plus iſtis tu feritatis habes.
Talia vociferans auras plangore replebam,
Cùm venit ignoti pallida forma viri.
Quique tuo toties alios, ait, urere tentas,
Parce puer noſtro ſaucius igne queri.
Clamores compeſce: tuos ſedabimus æſtus,
Frigora ſi nullum flammaque fędus habent.
Dixit, & in campum nivibus me raptat opertum,
Corporaque amplecti de nive facta jubet.
Hìc, velut è terra fertur feciſſe Prometheus,
Corpora de gelida finxerat ille nive.
Pugnabam levibus contra mala frigora flammis;
Sed victæ nivibus ſuccubuere faces.
Stagnum erat: afflatas ſtagni frigentibus alis
Riphæus leviter vinxerat Eurus aquas.
Me trahit huc poſitis miles crudelior armis,
Quàm fuit, infeſta cùm tulit illa manu.
Ille reluctantem pedibus, fruſtraque precantem
Raptat, & in gelidæ margine ſiſtit aquæ,
Et ſubitò ſecum ſtagnum rapit aſper in altum:
Diſcedens glacies pondere rupta fuit.
Et collo tenus immergit, gelidiſque ſub undis
Per longas cruciat membra tenella moras.
Diffuſum totos abiit mihi frigus in artus,
Et glacies humeros collaque læſa ſecat.
Ipſe mihi eſt viſus concreſcere frigore ſanguis.
Heu ubi tunc flammæ vis erat illa meæ?

Quid tibi, clamabam, mecum eſt duriſſime rerum?
 Non tua ſunt facibus corda petita meis.
Quid tibi cum glacie, qui gaudes ignibus? ante
 Pœnitet ardoris, quo truculente cales?
Curam hanc mitte puer: ſi qua eſt in pectore noſtro,
 Illa ſub his, inquit, flamma fovetur aquis.
Hi fluctus glacie pariter ventoque ſonantes
 Noſtro, ſi neſcis, ſunt in amore faces.
At tua perdenda eſt, qua multos improbe gaudes
 Perdere, digna ſub his flamma perire vadis.
Sis licet igne patris, matriſque ferocior undis,
 Ille ferox modica nempe domandus aqua es.
Nec priùs hinc, victum quàm te fateare, recedes.
 Hic ſpolium de te debet habere lacus.
Quamque vides ſtagni creſcentem in margine, fagi
 Hoc in rugoſo cortice carmen erit:
Quod de Leucadia priſcis à vatibus unda
 Traditur, hic domito fecit Amore lacus.
Hactenus: at nobis ſenſi torpere medullas,
 Intimaque infelix ſerpere in oſſa gelu.
Hæc, & quæ taceo, ſum paſſus plura, meaſque
 Quilibet in pœnas ingenioſus erat.
Ut licuit, madidis, & adhuc ſtillantibus alis
 Proripui turpi me celer inde fuga.
Dum fugi, frondes inter lucumque virentem
 Vidimus in molli ſtragula picta toro,
Inque toro juvenem: cohibebant arcta jacentis
 Serica vincla manus, ſerica vincla pedes.
Me tremit hic viſo: nodoſque & vincula pugnat
 Rumpere: pugnantem fortiter illa tenent.
Tuque meis ſaltem, dixi, ſuperaberis armis,
 Aut reprimas vincta, ſi potes, illa manu.
Ille (fide majus) linguam ſibi dentibus aufert,
 Et mea cum multo ſanguine in ora jacit.
Non nocuiſſe mihi teneram cum ſanguine linguam
 Forſan, & hoc telum mole fuiſſe putas?
Crede mihi, mater, gravius non ſenſimus iſto:
 Igne, gelu, ſpinis acrius illud erat.

Ergò

Ergò iterùm fugi victus, lenteque volanti
Ipſe loci limes jam propè viſus erat.
Ecce virum nudo recubantem in ceſpite vidi:
Obruerat feſſi lumina victa ſopor.
Certa mihi ſaltem ſopitum vincere ſpes eſt.
Victrices, dixi, ſentiet ille faces,
Vix leviter diſtrictus erat, ſenſitque; mihique
Percutit os plena terque quaterque manu:
Percutit, & ſomno premitur: mihi protinus ingens
Naribus, & læſo manat ab ore cruor.
Spes quoque tunc victa eſt: nam quæ ſupereſſet in hoſtem,
Cui contra inſidias excubat ipſe ſopor?
Undique ſic pulſi, ſcelerata relinquimus arva,
Vix oneri penna ſufficiente ſuo.
Dum feror, Hoc ſupereſt, pendens ſuper equora, dixi,
Ut dem cæruleis nomen amoris aquis.
Ante oculos nomen tua ſors erat Icare, cùm ſol
Vicino pennas ſolveret igne tuas.
Tunc didici, ſenſique miſer freta longa remenſus,
Debilibus pennis findere quid ſit iter.
Finierat: flebant: & ſe non omnia poſſe
Vincere, ſe victus teſte fatetur Amor.

ELEGIA III.

AD FERDINANDUM DEL PLANO è Societate Jeſu.

Dum Elegias meas ſæpiùs exigeret.

Quid mihi deſidiam toties, & crimen inertis
Objicis, & verſus exigis uſque meos?
Da veniam faſſo: vix ſunt mihi carmina tanti,
Ut toties à te ſegnis, inerſque vocer.
An quia non omni mitto tibi menſe volumen,
Me torpere putas, deſidiamque ſequi?

Siqua fides, nec deſidiam, nec pinguia ſector
  Otia, nec ſomnos præmia magna voco.
Ut cupiam, dulces nequeam dimittere Divas:
  Sirenes cymbæ ſunt ea turba meæ.
Qui vacat, & torpet, nec, quid ſint carmina, neſcit,
  Ille mihi lignum creditur, ille lapis.
Scribo; ſed ut ſcripſi, damno rude carmen, & odi:
  Exitus eſt ſtudii ducta litura mei.
Verba miſer fruſtrà non provenientia quæro;
  Aut quæ proveniunt, non placitura reor.
Nunc quoque, ni rurſus dicturum, Ignave, timerem,
  Hoc quodcumque vides, omne litura foret.
Nam mea dum priſcis committo carmina ſcriptis,
  Sivæ tuis Naſo, ſive Tibulle tuis:
Et pudet, & noſtræ ſubeunt faſtidia venæ,
  Meque rudem, quamvis non putor, eſse queror.
Et modò Pegaſeos demens accuſo liquores,
  Et modò laurigeri plectra, lyramque Dei.
Pulpita quin etiam, & calamos fregiſſe recordor,
  Utque puto, dolor hic, iraque juſta fuit.
Quin etiam nuper, Muſæ diſcedite, dixi,
  Doctaque cum veſtris turba valete modis.
Muſæ dulce malum, ah quondam mea cura, valete.
  Non ego ſum, fruſtrà qui miſer eſse velim.
Iam ſatis adverſo curſum tentavimus amne.
  Hęſit & in dubiis noſtra carina vadis.
Phæbe vale: tua jam nobis inſania longe eſt,
  Illecebris videor poſſe carere tuis.
Riſit, ut audivit Phæbus, vultuque ſereno,
  Partem, inquit, fati diſce poeta tui:
Cùm nec apis flores, nec amabit flumina cygnus,
  Nec teneræ blandi tempora veris aves:
Tunc quoque tu Muſis poteris ſpirare relictis,
  Tunc quoque te nullus carminis uret amor.
Hoc tibi nec volucrum linguæ dixere, nec alæ,
  Nec tibi ſidereo lævus ab axe fragor,

Nec

Nec pecudum fibræ, venturi perfida ſigna;
Sed Phœbus. Phœbo ſcire futura licet.
Dixerat: erubui; ſubituſque per oſſa cucurrit,
Quem ſæpè in venis ſenſimus ante, calor.
Vera tamen dixi: verum quoque dixit Apollo:
Sed ſolet in Divis certior eſſe fides.
Cura redit, teneros tantùm ſpectando libellos;
Si non aſpiciam, ſat meminiſſe fuit.
Vincor, & adverſas iterùm lubet ire per undas:
En iterùm in Syrtes, & vada blanda feror,
Sic ubi deſeruit Scaldim ſtatus æquoris æſtus,
Mox redit, & pleno rurſus in amne tumet.
At tu parce, precor, creſcentes poſcere luſus,
Semper habent juſtæ commoda magna moræ.
Quod tumet Autumno maturis nectar in uvis,
Ante diem ingratus ſuccus, & aſper erat.
Quid fuit antè ſeges, niſi ſpes & inutile gramen?
Tempore proveniunt vina, ſegeſque ſuo.
Quid teneras prima ſegetes evellis in herba?
Quid de vix nata Maſſica vite petis?
Creſcenti ſpatium da, Ferdinande, poetæ.
Nunc herbæ, quodam tempore meſſis erunt,

ELEGIA IV.

AD ADRIANUM COOLS è Societate Jeſu.

Cùm ad ſcribendum hortaretur.

SIc te Phœbus amet, doctæque, Adriane, ſorores,
Et capiti nectant debita ſerta tuo.
An mea tam felix tibi Muſa videtur, ut ævo
Majus & invidia condere poſſit opus?
Nam quid multa monens toties hortaris, ut auſim
Credere me famæ, judicioque tuo?
Parce, precor, leve tot ſtimulis impellere pectus:
Ne mea diligerem damna, monendus eram.

Scilicet Icarios miſerum tentare volatus,
Et Phaethonteis curribus ire jubes.
Impetus eſt, fateor, nobis in carmina magnus;
Et pueris illis impetus acer erat.
Hic fuit exitio. Quoties caret impetus arte,
Frangitur, & vires conficit ipſe ſuas.
Infelix Phaethon, quis te furor egit in illas,
Per quas ſæpè pater palluit ire vias?
Ah! patrios tibi ſat currus, inſane, fuiſſet,
Et nitidas auro poſſe videre rotas.
Ignipedumque jubas mulcere, & lucida colla,
Gemmeaque admota tangere lora manu.
Et ſatis ingentes propiùs ſpectare columnas,
Nixa quibus rutili regia patris erat.
Nec minùs argenti radiantes lumine valvas,
Claraque formoſis limina chryſolithis,
Purpureaſque fores Auroræ, & plena roſarum
Atria ſecuro tangere poſſe pede.
Tum neque præcipitem, Jove te feriente, dediſsent
Fulminis ardentes igne, ſuoque rotæ.
Nec te populea flerent ſub fronde ſorores,
In ſilvam verſis ad tua buſta comis.
Et tibi, qui vitreo feciſti nomina ponto.
Fruſtrà ſollciti, cura, dolorque patris:
Ni levior pennis, quæ te vexere, fuiſſes,
Hoc, ex quo rueres, non placuiſſet iter.
Sed plumas captare leves, quas moverat aura,
Cereaque ignara rumpere vincla manu.
Hoc ſatis & tutum fuerat ſic tangere pennas,
Dum pater ambobus triſte parabat opus.
Tutiùs o quanto numquam hic, Adriane, volaſſet;
Alipedes alter non agitaſſet equos!
Nunc quoniã nimiùm nimiùmq; eſt auſus uterque,
Hic periit pennis, curribus ille ſuis.
Sic redeunt, quicumque nimis ſublimia tentant;
Et tu me pennas ſumere, amice, mones?
Alta petat, quicumque ſua gaudere ruina
Suſtinet: à nobis ſit procul iſte furor.

Mi

Mi ſatis eſt humilem tenues errare per umbras,
  Quà teneras lauros fons Heliconis alit.
Et ſpectare nemus, cujus ſua tempora cingit.
  Frondibus, & vatum tempora cingit Honor.
Illic aſpiciam lætis pendentia ramis
  Barbita, ſed digitis non temeranda meis.
Illic priſca tuos venerabor, Roma, poetas,
  Et quibus hi certant, Græcia docta, tuos,
Et non ceſſuros priſcis, niſi tempore, vates,
  Æmula quos tantæ Belgica laudis habet.
Hos ego ſecurus mirabor in æthera fama
  Tendere; mirantem nulla ruina premet.
Hoc noſtrum ſit opus, curarum hæc ſumma mearũ:
  Hoc mea ſi ludat flumine cymba, ſat eſt.
Me miſerum! unde mihi ſubit hęc ſapientia pectus?
  Utque priùs, vacuum non ſinit eſſe metu?
Ite procul ſegnes curæ, procul ite timores:
  Non ſunt ſollicitæ carmina mentis opus.
Forſitan his vivam ſapienter legibus olim;
  Nunc me, nec pudor eſt, deſipuiſſe juvat.
Dum cavet, & metuit, magnis prudentia votis
  Sæpè nocet; certè non favet illa meis.
Si nimiùm Æſonides ventos timuiſſet, & undas,
  Vellera Phryxeæ num retuliſſet ovis?
Dædalus æterno clauſurus carcere vitam,
  Credere ſe cælo ni foret auſus, erat.
Si dubium pavidus Martem vitaſſet Achilles,
  Iliacas victor quis laceraſſet opes?
Scilicet audendum eſt: audentes dexter Apollo,
  Et Muſæ faciles, & furor ipſe juvant.
Torqueor heu! ne fors pœnam pro laude reportem.
  Terminus eſt altæ ſæpè ruina viæ.
Quidlibet eveniat: nocet hæc ſapientia nobis,
  Qua neque, ſi cupiam, me puto poſſe regi,
Nec timidos Virtus animos, nec Gloria curat:
  Utraque torpentes deficit ante manus.
Quo tu cumque vocas, faciles, Adriane, ſequemur,
  Securi, quo nos fataque, forſque ferant.

D 5 Jam

Jam mihi, jam multis, olim quoq; noſtra placebunt
Carmina, judicio ſi placuere tuo.

ELEGIA V.

AD MARCHIONEM AYTONÆ,

Donec veniret Sereniſſimus Cardinalis, Infans Hiſpaniæ Ferdinandus, Belgii & Burgundiæ Gubernatorem.

MOncada, Aragonum genus alto à ſanguine Regum,
Quem proavis æquant fortia facta ſuis;
Spes & amor patriæ, Belgique extrema timentis
In tam præcipiti tempore certa ſalus;
Sive paras bellum trepidis fatale Batavis,
Seu fraudes aperis, perfidiamque domas;
Si licet, ingentes pauliſper ſupprime curas;
Et placidos vultus ad mea verba refer.
Et facies; vates tibi ſunt in amore, manuque;
Tunc quoque, cùm vatum carmine digna geris.
Non ego, quas alibi meritis impleveris oras,
Nec tua, quæ Cæſar prædicat, acta canam;
Nec quot, quàm felix legatus adiveris urbes:
Forſitan hæc alios, nos bona noſtra movent.
Mi ſatis eſt, per te capiant quæ gaudia Belgæ,
Dicere, & auſpiciis omnia nata tuis:
Et memorare diem, te quo Rex magnus Iberum,
Quod Superis curæ nos probat eſſe, dedit;
Et dixit: Moncada regat, reddatque per urbes,
Dum veniat Frater, regia jura meas.
Ille meos Belgas, quo cœpit Marte tueri,
Pergat, & occultis obvius ire dolis.
Poſſum ego, dum vigilat, fraudeſq; avertit & hoſtẽ,
Curarum partem ponere, Belga metum.
Dixerat: ingenti plauſu mandata feruntur:
Ipſa ſibi reddi patria viſa fuit.

Nec

Nec ſpes vana fuit : nil conjurata nocentum
  Fœdera , nil poſſunt hoc vigilante doli .
Teſtantur ſervata ſuo Bouchinia Regi
  Mœnia , totque aliis oppida ſalva locis .
Tu quoque cùm fremeres animis infeſtus & armis ,
  Quem ſis expertus , Battave , teſtis eris .
Intrepidus Moncada,animoque ipſe agminis inſtar,
  Viribus oppoſuit millia multa tuis .
Ivit , & oblato certamine ſæpè repreſſit ,
  Et modò terrentes terruit ipſe duces .
Ivit , & auſuros (ut erat timor) omnia fregit ;
  Et rerum facies verſa repentè fuit .
Hoc vigil , & curas animus ſimul acer in omnes
  Fecit , & in Regem ſancta Deumque fides .

ELEGIA VI.

AD PROCERES

DOMUS GANDA-VILLANÆ

In auſpicatiſſima FRANCISCI GANDA-VILLANI Epiſcopi Tornacenſis ,
conſanguinei ſui initiatione .

VIllani proceres , quorum virtutibus olim
  Se majus nomen maxima Ganda dedit :
En iterùm veſtros è vobis ortus honores
  Auget , & heroum nobile ſignat iter .
Ecce venit Præſul viduæ gratiſſimus urbi :
  Jam gaudet votis illa potita ſuis .
Jam patruo ſimilis , virtutis imagine ; Præſul
  Sufficitur , Patrui dignus honore Nepos .
Dicta dies fulſit : ſua ritè inſignia ſumit ,
  Vos hilares plauſus , & bona verba date .
Dextra pedũ gerit; ex humeris nova purpura pedẽs
  Defluit , & lato ſyrmate verit humum .
Annulus in digitos , fideique inducitur obſes ;
  Cingit honoratas infula ſacra comas .

Spectandi ſtudio concurritur undique; turbæ
His quoque, qui properant, præripuere locum.
Hos capit auguſtæ ſpecies pulcherrima pompæ:
Illos ſacrorum ſplendor, & ordo tenet.
Multos Pontificum majeſtas ſancta moratur,
Sed rapiunt omnes Præſulis ora novi.
Finis adeſt ſacris. Nunc ad ſperata venite
Oſcula: ſacratam porrigit ille manum.
At vos præcipuè, quorum de ſanguine natus
Hoc meruit, veſtra non ſine laude, decus.
Scilicet unius virtus, & gloria felix
Quod generis ſocios, tot quoque laudis habet.
Vos celebrate diem, veſtriſque inſcribite faſtis;
Exigit hæc inter tot monumenta, locum.
Cumque recenſebunt patrum decora alta nepotes,
Hinc etiam, dicent, crevit avita domus,
Lectaque cum fuerit ſeries longiſſima rerum,
Deletæque acies raptaque ſigna ducum:
Plus aliquid ſpoliis, plus magnis, ſacra triumphis,
Virtutumque index infula major erit.
Nobilitas ſolis non eſt ſpectabilis armis:
Hanc quoque majeſtas Religionis alit.
Magnorum obſequiis ſe devovet utraque Regum;
Sed cauſam hæc hominis, protegit illa Dei.

ELEGIA VII.

TORNACENSIS POPULI in ejuſdem præſulis ſui conſecratione gaudia & vota.

PRoſpera lux oritur. Tandem ſua prę mia Virtus
Accipit, & meritis munera parta ſuis.
Ecce pedum, mitramque, & ſacra inſignia Præſul
Villano genitus ſanguine ritè capit.
Fama volat, repletque urbes rumore ſecundo,
Per liquidas pernix aere lapſa vias.

Ante

Ante alios, petit hæc veſtras, gens Narvia, ſedes
  Męniaque aligero tranſilit alta pede.
Perque vias urbis, per compita, perque penates,
  Perque domos lætum nunciat re diem:
Ire diem, quo Villano de ſanguine Præſul
  Succedit Patruo, non minor ipſe, ſuo.
Protinus excutiunt męſtas nova gaudia curas
  Civibus, & tetricæ tædia longa moræ.
Omnibus idem animus lætos diffundere vultus,
  Et ſtudii & ſenſus edere ſigna ſui.
Pars memorat dotes, & docti Præſulis artes:
  Pars cenſet titulis nobile ſtemma ſuis.
Pars animos populi nec ſpe ſolantur inani,
  Et facilem dicunt in ſua vota Deum.
Scilicet ingenti rerum ſapientia moli
  Par erit, & tantum ferre valebit onus.
Illam exercebit communis cura ſalutis,
  Et morum, exemplis quos reget ipſe ſuis,
Quam populo ſternunt tantorum exempla virorū,
  Hæc ad recti apicem certa breviſque via eſt.
Aurea virtutum revireſcet protinus ætas,
  Nec lolium, aut ſpinas cultus habebit ager.
Felices jam lacte fluent & nectare rivi:
  Illic è foliis roſcida mella cadent.
Talibus, atque aliis incendunt mutua dictis.
  Pectora, ſpeſque ſuas, lætitiamque fovent.
Hæc ſincera quidem, ſed non eſt plena voluptas;
  Ex aliqua minuit gaudia parte dolor.
Optatæ toties nec enim ſpectacula pompæ,
  Cara nec abſentes Præſulis ora vident.
Quid facitis cives? nihil eſt hac luce dolendum;
  Hæc quoque poſſe dabit Præſulis ore frui.
Mens adeat, coramque putet ſpectare triumphum:
  Inſtructa eſt oculis mens quoque noſtra ſuis.
Et levis eſt, leviorque avium pernicibus alis;
  Fulminis in morem, quò lubet, illa volat.
Non illam montes non illam ſiſtere poſſunt,
  Flumina, non longæ, difficileſque viæ:

Hęc

Hæc vos Bruxellæ mediam deducet in urbem:
 Per medias turbas hæc quoque pandet iter.
Cernitis in ſacra fulgentem fronte tiaram,
 Et radians auro chryſolithiſque pedum?
Intentos oculos auguſto paſcite vultu
 Præſulis; hæc vobis gaudia ferre licet.
Cùm benè ſpectaſtis; ſacræ poſt oſcula dextræ,
 Lætitiæ ſignum proſpera verba date.
Dicite: Cumæos felix Antiſtes in annos
 Vivat, & è noſtris augeat ille ſuos.
Dicite: Quæ toties dedit, & tot commoda nobis,
 Creſcat, & æternùm floreat iſta domus.
Dicite: Noſtrarum quæ nobis gloria rerum eſt,
 Et fuit, ut dignum eſt, nos regat iſta domus.

ELEGIA VIII.

AD MARCHIONEM AITONÆ.

Cùm Hollandorum obſidione Bredam liberaſſet.

NOn caret eventu vigilans prudentia; finem
 Quem ſequitur, rarò non habet illa ſuum.
Hac, Moncada, novis veteres ſucceſſibus auges,
 Et ſuperas armis vota fidemque tuis.
Senſimus hanc iterùm vigilem, patriæq; ſalubrem,
 Cùm timuit Batavas anxia Breda manus.
Hinc illi trepidantem infeſtis undique ſignis,
 Et ſubita celeres obſidione premunt;
Jamque adeò Martem de more ligonibus orſi,
 Valla parant caſtris & loca tuta ſuis.
Non alio Batavus mavult decernere ferro.
 Hoc valet: hoc ſtricto tutius enſe vocat.
Nec mora (virtutem fas eſt & in hoſte probari)
 Credibili citiùs non leve ſurgit opus.
Protinus aggeſtis ſtant propugnacula glebis,
 Foſſaque loricas circuit alta ſuas,

Ac

Ac velut è cæſæ narratur dentibus anguis
  Agminis armati nata repente ſeges ;
Non ſecùs è terris ſubitas erumpere moles,
  Nec fieri manibus tam citò poſſe putes.
Fama tuas, Moncada, ſimul pervenit ad aures,
  Caſtra ſimul, pugnæ plenus amore moves.
Nec tamen aut factas, aut victas deſeris arces.
  Sicut erat, clauſum flumen utrimque manet,
Quà Trajectinis ſeſe infert mœnibus, & quà
  Mœnibus elapſas in mare volvit aquas.
Te Mars ardentem, ſperataque pugna trahebat,
  Ibat & exemplis miles in arma tuis.
Scivit, & ad nomen venientis palluit hoſtis,
  Et trepidum caſtris murmur it: Ipſe venit.
Ipſe venit, muſſant; non eſt mora libera nobis.
  Cedimus? an vitæ nos piget? ipſe venit.
Et venit, & nobis ſpes in certamine nulla eſt;
  Incolumes ſola poſſumus eſſe fuga.
Ilicet excuſſit manibus formido ligones,
  Expulit & caſtris arma viroſque ſuis.
Fit fuga; tu quamvis longa regione viarum
  Diſtares, neque adhuc viſus ab hoſte fores.
Dum licuit, ſibi conſuluit gens provida; ſerò
  Scilicet à viſo ſæpè fit hoſte fuga.
Te quoque plus armis jam ſenſerat eſſe timendum,
  Prælia nec tanto cum duce tuta geri.
Quid facies armis, qui ſolo nomine vincis?
  O immortales inter habende Duces!
Parcite Mavortis ſoboles fortiſſima; veſtri
  Maxima pars Ductor roboris ipſe fuit.
Non vires, gladiique regunt, ſed provida Martem
  Conſilia, & vani pectus inane metus.
Sic olim Curius plus ſe quàm milite geſſit:
  Scipio ſic magno victor in hoſte fuit.

ELEGIA XIV.

AD MATHIAM CASIMIRUM
SARBIEVIUM E SOCIETATE JESU,

POETAM LYRICUM.

ROmaræ fidicen citharæ, qui ſidera tangis
  Vertice, & ignavam deſpicis ales humum:
Pace tua, quamvis nec certius alta Cleanthis,
  Nec Samii fuerint ora locuta ſenis:
Semita Dircæi non eſt tamen invia cygni:
  Ivit, & hanc pennis repperit alter olor.
Nec minus eſt auræ, qua ſe levat æmulus ales.
  Nec ſpatio nubes inferiore ſecat.
Nec malè ceratis ad ſidera nititur alis
  Æquoreis nomen triſte daturus aquis.
Æthereas animas teſtor, Zephyroſque, Notoſque
  Et quæcumque tuos detulit aura modos,
Si tua, Sarbievi, ſperaſſet carmina Flaccus,
  Et factum fieri poſſe putaſſet opus:
Forſitan æquari vatem non poſſe negaſſet,
  Quem vigor in cœlum, plurimaque aura levat.
Felix, credibili major quem concitat ardor!
  Judicium ſuſperas vatis & orbis idem.
Non abit in pejus ſemper vitioſior ætas:
  Nec quamvis ſemel eſt ferrea, ſemper erit.
Nomine noſtra ſuo eſt melior, dicique meretur
  Aurea, carminibus nobilitata tuis.
Hæc ego vos, Muſæ, veſtroque in monte virentes
  Jam pridem lauros edidiciſſe reor.
Hæc ubi cantatur, nec ſaxa, nec æquora ſurda,
  Nec ſunt indomitæ turba tirenda feræ.
Vos eritis teſtes Getico ſub ſidere cautes:
  Quique Licaonio, Ponte ſub axe jaces:
At neque ſolus habes auritas, Sarmata, rupes,
  Miranteſve tenes, Viſtula, ſolus aquas.

Et

Et Rhodope,& ſcopulis veniũt plaudẽtibus Alpes,
Nullaque non montes gens videt ire ſuos.
Hęc Rhodanũq;Padũq;tenẽt,hęc carmina Rhenũ
Oblitos nctas, ut priùs, ire vias.
Hæſit ſæpè Tagus, fulvaque reclinis in urna
Dixit: Eunt auro purius illa meo,
Sæpè aliquis nulla vates hæc legit in umbra,
Et circùm viridis protinus umbra ſletit.
Cui licèt, hæc gelida nemorum ſecurus in umbra;
Belga ſed, heu! lituos inter & arma canit.
Sic tantùm in patriis cantaſſet montibus Orpheus,
Cùm ſilvis itidem ſaxa ſecuta forent.
Nec minùs Aonias lapis aſcendiſſet in arces
Evectus numeris, magne poeta, tuis.
Nec minùs his captus, qui vexit Ariona, Delphin
Æquoreis ludens exiliiſſet aquis.
Me certè tua Muſa ſui dulcedine cantus
Abripit, & memorem non ſinit eſſe mei.
Sæpè fui, ceu vaticinans, aliena locutus,
Et fuit abrepti carmen in ore tuum.
Sæpè locuturus diuturna ſilentia feci,
Aut rupit medios lingua retenta ſonos.
Mens abit, & ſubitò tacitum mirantur amici;
Me rapiunt numeri, cygne canore, tui.
Sive jubes in Threicium capere arma tyrannum,
Pænè minax digitis ſumitur haſta meis.
Sive ſuper nubes ſublimis & æthera tendis,
Ipſe levi videor nube repentè vehi.
Sive per auſonios ſpatiaris lauriger hortos,
Me Zephyri & Floræ regna ſubire puto.
Seu mœrente canis teſtudine flebile carmen,
Palleo, nec fletu lumina noſtra carent,
Seu triſtes hilari ſolaris pectine curas,
Defluit ex animo cura dolorque meo.
Sive pios caſtæ ſuſpiras mentis amores,
Urimur: ardentes ſunt tua verba faces.
Denique me formas ſubitò convertit in omnes
Qualiſcumque operis pagina lecta tui.

Hos

Hoc eſt & volucres cantu fluvioſque morari:
  Hoc eſt aerea ducere ſaxa via.
Hoc eſt fulmineas auferre leonibus iras:
  Hoc agnis rapidos conciliare lupos.
Pegaſides Divæ, veſtro date debita vati,
  Quæ poſſint Clarium certa decere Deum.
Quid precor? exiles lauro redimite poetas:
  Vos mihi, ſi merui, nectite ſerta Deæ.
Nam tua, Sarbievi, cùm ſilvæ plectra ſequantur,
  Ad crines properat laurea ſponte tuos.

ELEGIA X.

AD ANTONIUM SANDERUM.
Iprenſis Eccleſiæ Canonicum.

Cum de Euchariſtia ſcriberet.

NAturæ mores alii, cauſaſque latentes,
  Et cœli referant, Oceanique vices:
Unde nives, aut qua prorumpat origine fulmen:
  Tantus in eliſis nubibus unde fragor:
At cur alterno tumidum mare ferveat æſtu:
  An ſecum æquoreas Cynthia mutet aquas:
Cur Boreas ſiccis, madidis cur evolet alis
  Auſter, & in fontes unde perennis aqua.
Hæc alii: tu dic illum, quem fulmen, & imbres
  Et Dominum agnoſcit mundus uterque ſuum.
Vade Deo plenus: qui te ſua ſacra docentem
  Non ſinit humanas, ut priùs, ire vias.
Te tua cura juvet, quem nil mortale ſequentem
  Ducit in occulti conſcia ſacra Dei.
Hìc res ignotas oculis & ſenſibus hauris:
  Quodque ſtupent Superi, pandis amoris opus.
Quanta, & quot faciant paucæ miracula voces,
  Numine cum verbis adveniente, doces.
Ut B cchi & Cereris veſtigia ſola ſuperſint,
  Utque tegant, quem non cernimus, illa Deum:

Utque

Utque oculis legemque ſuam, moremque ſecutis
  (Hi quoque falluntur) non ſit habenda fides.
Ah! furor eſt oculos hic conſuluiſſe manuſque:
  Altior eſt tardis ſenſibus illa fides.
Demens, qui brevibus naturæ finibus arctat
  Numen, & immenſum claudit amantis opus!
Primus amor docuit naturę excedere fines:
  Primus amor nullum cœpit habere modum.
Ille etiam nobis epulas de Numine fecit:
  Hic & convivas omnibus eſſe licet.
Sed tamen innocui veniant: procul impia turba,
  Quam Venus & vinum, prędaq; frauſq; juvant;
Cui ſcelus occultum malè conſcia pectora terret,
  Fabula cui præſens creditur eſſe Deus.
Conſcia mens ut cuique ſua eſt, ita ſemper in illam
  Cum Domino veniunt vitave, morſve ſuo.
Sic roſa turpe genus ſcarabeos enecat illo
  Quo capit, & caſtas nectare paſcit apes.
Hæc, Sandere, doces: orbis probat: una docentem
  Non fert impietas, armaque vana movet.
Illa giganteo molitur bella furore.
  Vecordes, quos hæc ſub ſua ſigna vocat!
Qui, quia non capiunt, divina oracula damnant,
  Senſibus hæc menſi ſacra Deumque ſuis.
Heu nox alta! Deo de ſe non creditur ipſi:
  Illius eſt levior, quàm ſua cuique fides.
I contra armatum ſolis clamoribus hoſtem,
  I Sandere: tibi cauſa Deuſque favent.
Priſca Patrum ſeries venit auxiliaribus armis:
  Cum Latio in partes Græcia docta venit.
Et favet ipſe tibi, pro quo pia bella capeſſis,
  Hac ope dux, miles, caſtraque ſolus eris.
Quàque feres greſſus inimica per agmina victor,
  Turbida disjicies cum duce ſigna ſuo.
I felix, meritum victor moiire triumphum:
  Illius ſpatium, quà patet, orbis erit.
Priſca Fides niveis præcedet vecta quadrigis,
  Et dabit occultum ſigna venire Deum.

Ipſe

Ipſe manu felix cæleſtia ſcripta tenebis,
  Stans in laurigeris lauriger ipſe rotis.
Pone tuos currus captivo vincula collo
  Turpi progenies edita Nocte feret.
Ibi detractis capiti Fraus perfida larvis,
  Nudatoque ſuos deteget ore dolos.
Atque Odium veri, gaudenſque ambagibus Error,
  Conſiliique expers indociliſque Furor.
Impietas tortos agitans pro crinibus angues,
  Per totidem linguas ſibila vana dabit.
Totque trahi captam ſeſe indignata catenis,
  Diſcerpet colubros ore furente ſuos.
Hunc meritò, Sandere, parat tibi Fama triumphum:
  At fruſtrà meritis par cupit eſſe tuis.

ELEGIA XI.

AD BEATAM VIRGINEM,

Quæ Alſembergæ, prope Bruxellas, titulo ***STELLÆ MARIS*** *colitur.*

QUaliter abreptam procul à tellure carinam
  In medio jactat ventus, & unda mari:
Haud aliter Belgas, tot jam labentibus annis,
  Volvit, & huc illuc Martius æſtus agit.
Hei mihi! tot fluctus inter, fremituſque, minaſque,
  Quæ navim in cæco gurgite ſtella reget?
Nil hìc Oebalij fratres, nil clara Coronæ
  Lumina, nil proſunt magna minorque feræ.
Puppibus hæc aliis faveant, curſumque ſecundent;
  Talia non ſpectat ſidera noſtra ratis.
Diva, decus cæli, cælo formoſior ipſo,
  O lux, quæ nulla condita nube lates:
Tu melior timidis affulge ſtella carinis:
  Tu dubios curſus, velaque noſtra rege.
Aſpice, quàm ſævis belli convulſa procellis
  Naufragij trepidet Belgica noſtra metu.

De-

Deprenſa eſt medias inter Symplegadas Argo,
Obrutaque inſanis pænè fatiſcit aquis.
Per te Tiphyn habet: per te regat ille, tuoque
Sidere ſecuras præbeat unda vias.
Te ſpectat, ſiduſque vocat Leopoldus amicum:
Tutus inoffenſum te duce ſperat iter.
Te duce, nec Libycas metuat perrumpere Syrtes,
Nec ſua non æquis credere vella Notis.
Si tibi mons placuit, montiſque in vertice templum,
Hungara quod monitu ſtruxit Eliſa tuo,
Quod Caroli toties, toties ſubiere Philippi,
Et patriæ priſcos turba ſecuta duces:
Si placuit, qui nunc te protegit auſpice Belgas,
Quemque tuos ſtratum vidimus ante pedes:
Incipiat per te, depulſis æthere nimbis,
Et, quia poſt nimbos, lætior ire dies.
Tunc tibi votivos perſolvet victor honores:
Inſcribet donis, quæ feret, ipſe ſuis:
HÆC TIBI PRO SALVIS LEOPOLDUS MUNERA BELGIS.
Diva tuis titulis, muneribuſque fave.

ELEGIA XII.

IN OBITUM LAMBERTI VERREYKEN, equeſtris turmæ Præfecti, ad Silvam ducis tormenti ictu interempti.

Ex perſona fratris, Ludovici Franciſci Baronis de Geves, Audientiarii, &c.

PLangite Pierides: citharamque aptate dolori,
Lætaque turbatis demite ſerta comis:
Atratoque habitu lacrymis accedite noſtris,
Aptaque funeſto dicite verba die.
Occidit infelix Mavortis crimine frater,
Occidit, & ſecum gaudia noſtra tulit.

Quod

Quod ſupereſt, mutam fuſi lugemus ad urnam,
Et cineri lacrymas, altera juſta damus.
Silva premebatur Batavis circumdata ſignis,
Nec ſpes obſeſſis parva ſalutis erat.
Fama priùs, mox & miles perculit hoſtem
Regius. Ah! prohibet tangere plura dolor.
Inſtat Iber: Batavi erumpunt: in prælia miſſum
Te dolor & virtus conſcia, frater, agunt.
Non caput eſt tectum galea, non pectora ſcuto;
Pro ſcuto, & galea dextra animuſque tibi eſt.
Sic in ſanguineam quondam leo prodit arenam,
Et viſo tumidas excutit hoſte jubas.
Non illum lato terrent venabula ferro,
Non illum valida lancea torta manu.
Pugna fit: impulſo properè ſuccurritur hoſti:
Sed virtus numero cedere turpe putat.
Quid facis heu frater? numero tibi cedere fas eſt:
Jam famæ ſatis eſt: ad tua caſtra redi.
Me miſerum! totum pulchrè temerarius agmen
Suſtinet, & famæ nil niſi damna timet.
Collis erat: pugnam de colle videbat iniquam
Bergius, & redeant, ſignaque dentur, ait.
Signa tubæ dederant: illi parere coacti
Pugnando referunt in ſua caſtra pedem.
Plauditur incolumi, mediaque è morte recepto:
Tam fortes properat tangere quiſque manus.
Macte animis frater: tibi Rex jam ſolvet honores,
Ad quos ipſa tibi Gloria fecit iter.
Expectat legio jam te Germana Tribunum,
Hæc meritis merces eſt tibi parta tuis.
Heu ſpes fallaces! heu ſortis vota futuræ
Neſcia! quàm parva ſtantque caduntque mora,
Quid miſer exultas? & Rex, & vivida Virtus
Imponunt capiti ſerta caduca tuo.
Frendet adhuc Batavus, tormentaq; pergit in hoſtem
Eminus, atque iras exonerare ſuas.
Machina detonuit: pila fulminis impete venit:
Tu cadis: avulſum diſſipat illa caput.
Dextera

Dextera tum primùm, quæ ſumpſerat, arma remiſit:
Fortuito virtus vulnere tanta perit.
Volvitur in præceps hoſti quoque flebile corpus,
Et tepidam latè ſanguine tingit humum.
Care jaces frater; nec te tua dextera, nec te
Eripuit miſeræ gloria parta neci.
Nil homini certum eſt: mediis tranſverſa triumphis
Mille repentè viis mors inopina venit.
Non hìc ſcuta valent, non æs, non ferrea caſſis:
Non Neptune tua mœnia ſtructa manu.
Quàm benè pugnabant olim, cum mœnia cives,
Cùm vigor & robur gloria Martis erant;
Cùm ſpes in dextris, cùm quod mittebat in hoſtem
Bellica tormentum tela, laceratus erat.
Tunc poterant fortes virtutem extendere factis:
Tunc ſuus ex merito quemque manebat honor.
Tunc aciem contra, belli mora, ſtabat Achilles:
Tunc Hector murus civibus alter erat.
At nunc, ſi redeant, Therſites ſternat Achillem:
Hector ab ignava concidat ipſe manu.
Ah pereat, quiſquis fatalem repperit uſum
Pulveris, & ſævo fulmine pejus opus!
Pila ſatis fuerant, & lethifer arcus, & enſis.
Cùr ad fata novas repperit ille vias?
Imbuere, ut quondam Siculi fabricator aheni,
Ipſe ſuum primus debuit auctor opus.
Tene igitur, frater, diſcerpſit ahenea peſtis?
Debuit hæc titulum mortis habere tuæ?
Hei mihi! quàm multos globus hic percuſſit in uno!
Spes noſtræ quantas abſtulit ille domus!
At tu dignus eras fatis melioribus uti,
Pluraque virtutis præmia ferre tuæ.
Sed tamen hoc melius, quàm ſi ſine laude periſſes,
Et procùl ignota contegereris humo.
Nunc tua te virtus magnis heroibus æquat,
Gloriaque ad cineres & tua buſta ſedet.
Raraque res pietas, ſanctique in milite mores
Altera militiæ fama fuere tuæ.

Quà

Quà licet, hæc noſtrum minuunt ſolatia luctum?
Hæ laudes totum te vetuere mori.
Terra tuos cineres accepit, cetera cælum,
Famaque: pars minima eſt, quam tegit urna, tui.

EPISTOLA HEROICA.

ALEXANDER FARNESIUS,

Dux Parmenſis,

PHILIPPO II. HISPANIARUM REGI.

Suadet, ut in urbibus Belgij à ſe recuperatis Collegia Societatis JESU *collocet, ſingula pro arcibus futura.*

EN iterùm juſtam Deus & Victoria cauſam,
Proque tuis, & te quæ geris arma probant.
Auſpiciis, Rex magne, tuis Antuerpia ceſſit:
Quo ſteterant hoſtis, ſtant tua ſigna loco,
Ære ſonant turres, tormentis mœnia: plauſu
Pars populi melior, totaque caſtra fremunt.
Ignes, lætitiæ teſtes, per compita lucent:
Pulſa loco Pietas ad ſua templa redit.
Ipſe triumphali ſe cingit arundine Scaldis:
Cujus eant, ipſæ ſcire videntur aquæ.
Urbs tam firma ſitu, tam lato flumine tuta,
In via virtuti credita pænè fuit.
Hæc tamen urbs, flumenq; tuo jam Marte recepta
Spem facit hoc recipi cetera poſſe modo.
Urbs tibi ſuccubuit, cujus dum mœnia luſtrat,
Vallaque cum foſſis, ingeniumque loci,
Et lato ad muros ſpatiantem gurgite Scaldim,
Volventem refluas, æquoris inſtar, aquas,
Tanti operis molem humano ceſſiſſe labori
Ipſe fidem victor vix ſibi miles habet.
Ex quo ſcuta virum, galeaſque, & fortia volvens
Corpora purpureis Moſa cucurrit aquis,

Cùm

Cùm Trajectinos infecit ſanguine muros
  Perfidiæ vindex militis ira tui,
Nulla fuit tanti victoria, nulla triumpho
  Dignior: hac viſa eſt Belgica bené capi.
Flandria nūc ſalva eſt, nunc ſalva Brabantia; totque
  Oppida quæ cepi, nunc ego capta reor.
Nunc demum (gratare tibi) tot vicimus urbes,
  Quot rapuit pulſo noſter ab hoſte labor.
Vicimus heu urbes, tumidum non vicimus hoſtem:
  Victus adhuc vires, te laque fractus habet.
Tela, quibus fruſtrà clypei galeæque reſiſtant,
  Nec quibus occludant murus & unda viam.
Quas habeant victi viris, quæ tela requiris,
  Quæ dextra frangi non puto poſſe tua?
Sunt ſcelera & fraudes, quas ſuggerit impius error,
  Qui ſe fucata religione tegit.
Non hoc militibus, non hoc compeſcitur armis,
  Hoc nulla belli vincitur arte malum.
Objicias illi cum turribus ardua celſis
  Mœnia, quas & humus quaſq; habet unda moras;
Tranſiliet foſſas, muros penetrabit & arces,
  Invenietque ſibi, qua via nulla, viam.
Mille feras portis, & ahenos objice poſtes;
  Laxabit nullo clauſtra feraſque ſono.
In portis vigilet, vigilet per mœnia miles;
  Quà furtim ſubeat mœnia novit iter.
Troja ſtetit ſoſpes, dum virtus miſcuit arma,
  Præliaque oppoſitæ conſeruere manus.
Non armis illam cæleſtibus acer Achilles,
  Non gemini Atridæ, non Telamone ſatus,
Non anni domuere decem, non mille carinæ:
  Tam fortem exitio fraus tamen una dedit.
Fraus metuenda tibi eſt: fraus Religionis amictu,
  Tecta caput longa protrahit arma mora.
Illa furens latè per campos errat & urbes:
  Horrida Styx illa nil, puto, pejus habet.
Crinibus abruptos in vulgus projicit hydros,
  Peſtiferaque implet pectora tacta lue.

E Hæc

Hæc ferro & flam̃is, hæc cæde & ſanguine gaudet:
  Inijcit hæc avidas in tua jura manus.
Unica lex illi nullas agnoſcere leges,
  Quas libertati credit obeſſe ſuæ.
Pro Superi! quid non pejor ſucceſſibus audet,
  Dum lex, & judex, & Deus ipſa ſibi eſt?
Ipſo perfidiæ & ſcelerum molimine credi
  Sancta cupit: cauſam Numinis, inquit, ago,
Plus tibi quam Mavors nocet hęc: hęc una rebellat,
  Hæc amat in dominum quæ gerat arma ſuum.
Nec parcit Superis: Superos explodit, & ipſum
  Accuſat ſcelerum, quæ facit ipſa Deum.
A ſe direptis infert incendia templis;
  Invitis fiunt ignibus illa cinis.
Cumque videt flammas, animos accendit ab illis.
  Adjicit & factis verba nefanda ſuis.
Urite cum templis Divos, ait, urite flammæ,
  In Divis animi pignora clara mei.
Talibus indignas ſeſe exhortatur in iras,
  Quodque Deum lædit, faſque piumque vocat.
Quæ violat Superos, quæ cęlum oppugnat, & ipſum
  Numen, Principibus parceret illa ſuis?
Nec terras malè grata tuas ſpoliaret & urbes?
  Nec, quicquid raperet, crederet eſſe ſuum?
Credat ut eſſe ſuum, ſatis eſt rapuiſſe, rapinis
  Paſcitur; has belli præmia juſta vocat.
Sed quia bacchantem reprimis, frænaſque rebellem,
  Nec finis ut ſpoliis creſcat inulta tuis?
Et quia, quæ rapuit, repetis, repetita tueris,
  Teque tuis opibus ne premat illa, vetas;
Acriùs inſurgit, convitiaque inſuper addit,
  Teque venenato livida dente petit.
Te vocat immitem juſto pro Rege tyrannum;
  Quodque ſibi credat mobile vulgus habet.
Hoc odium teneros cum lacte inſtillat in annos,
  A teneris diſcit te violare puer.
Nota cano: non hoc, quamvis ſit perfida, quamvis
  Vana ſit & mendax, ipſa negare poteſt.

At

At tu bella moves, & multo milite pugnas,
Ut rapias illi quod priùs illa tibi.
Quid tamen arma juvant toties victricia, quidve
Ante tuos ſupplex Flandria tota pedes?
Si maneant animi, quales dum bella gerebat,
Telaque ſi ſolæ depoſuere manus?
Si maneant animi ſub amica fronte rebelles,
Et ſubitò erumpat credita flamma cinis?
O quoties vincenda tibi tua Belgica reſtat!
O quoties Hydræ colla ſecanda novæ!
Hei mihi ſi fruſtrà ſuperaſſe tot oppida dicar,
Et toties fruſtrà victor in hoſte fui!
Ut tamẽ has vindex extinguere ſanguine flammas
Coner, & ultrici cæde piare nefas,
Utque rebellantes tibi ſe ſubmittere cogam,
Invitoſque tuo ſubdere colla jugo,
Quid tibi ſubmittent niſi vultum rurſus & ora,
Quæque iterùm fallant, quid niſi verba dabunt?
Credemus verbis iterum celantibus iras,
Experti, flammas quas tegat illa cinis?
Eheu quàm facile eſt animum non prodere vultu,
Quodque in mente latet, diſſimulare nefas!
Ergò age bellorum cum bellis ejice cauſam,
Inque ſuo tantum ſemine tolle malum.
Cum qua venerunt, diſcedent bella; redibit
Hac abeunte, abiit quæ veniente, fides.
Marte tuo peſtis non eſt ſuperabilis illa:
Si poſſet ſubigi Marte, ſubacta foret.
Infeſto medici non ſanant omnia ferro
Vulnera, nec quodvis tollitur igne malum.
Apta ſuo hæc medicina loco eſt: quibus obſuit ignis.
Sæpè ſalus membris ſuccus & herba fuit.
Me quoque deficiunt artes: mea ferrea dextra eſt:
Vix mollem hæc poſſunt vulnera ferre manum.
Et tamen ut coeant, quaque eſt opus arte leventur,
Judice me poſcunt militis illa manum.
Quæ tanto cupiatque malo, poſſitque mederi,
Turma virum eſt: JESV nomen & arma gerunt.

Cùm ſtudia illorum (memini) moreſque notaſſes:
Gens hæc, dixiſti, nomine digna ſuo eſt.
Illa tuis addet, quo adhuc, Rex magne, triumphis
Defuit, & tandem plena trophæa feret.
Et quoniam ſanare tuos, non perdere mens eſt,
Utilis hæc victis hoſtibus hoſtis erit.
Non illi validis torquentur pila lacertis,
Nec ſævo rigidum cingitur enſe latus.
Nec gerit illa manu clypeos, nec ſpicula verſat,
Nec ferro pectus, nec tegit ęre caput.
Priſca fides illi, pietaſque ante omnia curæ eſt:
His armis acies inſtruit illa ſuas.
Bella movet vitiis, virtute armata Deoque,
Pulſaque ſæpè ſuis ſedibus illa fugat.
Vidi ego juratos in mutua vulnera cives,
Qua tulerant ferrum, fœdus inire manu.
Qui tantos motus, tantos compeſceret ęſtus,
Ex iſto ſolers agmine miles erat.
Viribus invadit, quoſcumque invadit, amicis
Hæc manus: illa nihil palma timoris habet.
Averſas blandè capit hæc violentia mentes.
Ingenio populi convenit illa tui.
Adde, quod in teneros dum per vigil excubat annos,
Diſcat ab hac, quid ſit turpe, decenſque puer.
Diſcat &, ut regum Domino, rerumque parenti,
Sic quoque ſervandam Regibus eſſe fidem.
Viderat hanc aciem. totoque expalluit ore
Impietas, vanas intonuitque minas.
Adverſaſque ſuis formidans artibus artes,
Creſcit in exitium gens, ait, iſta meum.
Gens pia, creſce precor, furiamq; exſcinde nefandã;
Quod perdit populos regnaque, perde malum.
Tu monſtri fraudes oculos deducis ad ipſos:
Tu quæ tecta cupit probra, latere vetas.
Per te mille doli, per te mendacia mille,
Fictaque religio, pernicieſque patent:
Stulta quibus levitas, hebetiſque amentia vulgi
Plaudit, & inſana credulitate favet.

Nil

Nil niſi libertas deceptis ſemper in ore eſt,
Ah quantum miſeris impoſitura jugum!
At tu conſiliis, precor o, Rex, annue noſtris,
Si tibi, ſi cupias conſuluiſſe tuis.
Dum licet, illorum clades averte tuaſque,
Et dubiis rebus, quam potes, affer opem.
Ut validum bello frangas, & viribus hoſtem,
Et Batavo figas regia ſigna ſolo:
Summa tamen belli reſtabit, vincere victos.
Huic operi una cohors deſit, & una ſat eſt.
Unam militiæ, ut vincatur Belga, cohortem
Adde tuæ: caſtris deficit una tuis.
Illius auxiliis citiùs vigilique labori,
Quàm Marti cedet gens tibi cara tuo.
Illa cohors, belli cauſas, fera pectora plebis
Flectet, & imperiis reddet amica tuis.
Vincant caſtra viri, Belgas hæc vincet; & hoſtem
Hac ſubiget, qua plus parte timendus erat.
Hanc tua militiam partire per oppida victor:
Quotque datis ſtabilem juſſeris eſſe locis,
Tot, mihi crede, tuis impones urbibus arces,
Quæ faciant, ne quis reſtet ab hoſte metus.

EPISTOLA HEROICA.

HIPPOLYTUS PHÆDRÆ.

RESPONSIO.

MIrabar, quid crebra ſibi ſuſpiria vellent,
Fixaque luminibus lumina ſæpè meis.
Et blandæ nimiùm voces, quæque ora ſilentis
Mutato toties ſigna colore dabant.
Nec poteram veræ ſimilem mihi fingere cauſam,
Cur gemitus nullo læſa dolore dares.
Jam ſcio, tendebas caſſes mihi: detegit illos
Impia ſacrilega littera ſcripta manu.
Non tibi lædendi ſtudium, dignumque noverca
Ingenium, quamvis magnus ademit amor.

Privignis aliæ miſcent aconita novercæ,
Tu me, quàm poſſis lædere, pejus amas.
Perlegis? an primis te frangit epiſtola verbis,
Tollere cum voto ſpem quoque viſa tuo?
Perlege; ſed timeo, ne ſcribam molliùs æquo,
Et deſint animo ne mea verba ſuo.
Nec reſcripſiſſem: ſed ut es ſine mente, vereınur,
Ne tibi tu dicas: Vicimus, ille tacet.
Ut tibi ſim facilis, nec, quæ petis, ipſe recuſem,
Turpiter, & nullo victa pudore, rogas.
Quod ſimul ut legi, de Divis queſtus, & ipſo,
Si tuus eſt proavus, quem pudet eſſe, Jove:
Jupiter hoc probrum, dixi, ſtirpiſque, tuumque
Diſſimulas, & adhuc crederis eſſe Deus?
Plecte, pater, crimen: quid in alta Ceraunia ſævis?
Aut quid in immeritum fulmina perdis Athon?
Hæc ſpectas, & adhuc ſpectaris Phœbe? neque illa
Viſa Thyeſtea res tibi digna via eſt?
Non trepidos avertis equos? non conſcia ſaltem,
Ne videant neptem, lumina nube tegis?
Sic ubi te juſtæ Superum devovimus iræ,
Viſa minor merito noſtra querela tuo eſt.
Scilicet idcircò populos vitamus, & urbes,
Illecebraſque aulæ, fœmineoſque choros;
Idcircò ſilvas colimus, caſtæque Dianæ,
Laude pudicitiæ, proxima cura ſumus,
Ut ſpolium noſtri referas infame pudoris?
Hoc meruit virtus, hoc meus ille rigor?
Talia conanti meritò tibi dicere lingua
Hæſit, & in primo deſtitit ore ſonus.
Non calamum excuſſit digitis ſcribentibus horror?
Non opere in medio diriguere manus?
Non ſubijt ſaltem mandantem talia ceris
Te pudor? at ceras erubuiſſe reor.
Quid queror extinctum tibi non veniſſe pudorem?
Peſſima facundam te quoque cauſa facit.
Exemploque Jovis tam deteſtabile crimen
Contendis fieri poſſe, nec eſſe nefas.

Hoc

Hoc propriū ſceleri eſt: larvam ſibi ſemper honeſti
Quærit, & hoc velo cępta pudenda tegit.
Invitam ſed ais, qui Divis imperat ipſis,
Et Divum Deus eſt, ſcribere juſſit amor.
Ficta canis, nocuiſſe tibi ſua tela, ſuiſque
Uri te flammis ipſe Cupido negat.
Stipite te Stygio, ſanieque tumentibus hydris
Perculit, & ſtimulat de tribus una ſoror.
Nec regnat laſcivus amor (quid inania fingis
Regna?) nec in ſuperos jus habet ille Deos.
Caſta Diis mens eſt, caſti ſine crimine mores,
Et cęlo digni, diſſimileſque tuis.
Sed finxit Superos peccandi exempla libido,
Ut nil turpe ſibi duceret eſſe nefas.
Pirithoum Theſeus, inquis, nobiſque tibique
Prætulit: hoc quæ te credere cauſa jubet?
Nemo igitur fidum colat, aut inviſat amicum:
Si facit, externum prætulit ille ſuis.
Quod carpis furioſa, tuoque in conjuge damnas,
Laudares, ſana ſi modò mente fores.
Nomen inextinctum longo laudabilis ævo
Eſt habitura patris Pirithoique fides.
Quid ſit amor, ſentis? furor eſt: poſt omnia mentem
Eripit: exemplo res manifeſta tuo eſt.
Quid quereris fratrem clava cecidiſſe trinodi?
Opprobrium veſtræ ſuſtulit illa domus.
Quod niſi feciſſet, cæſus pater eſſet ab illo,
Quis non, quod Theſeus fecit, in hoſte facit?
Curæ cuique ſua eſt medio in diſcrimine vita:
Natura, ut perimas, ne perimare, docet.
Quamquam hæc culpa tuæ eſt, ſi qua eſt modò culpa, ſororis:
Illa viam docuit, conſiliumque dedit,
Judicium tibi pervertit mentemque libido:
Quæ bona ſunt damnas, impia facta probas.
In vitiis recti ſpeciem reperire laboras,
Ipſaque te virtus judice crimen habet.

Crimen amicitia eſt, crimen tibi, nolle perire?
Res pia, quem ratio damnat & horret, amor.
At repetit pęnas maternæ injuria cædis:
Saucia Theſeo concidit enſe parens.
Eſto: me genitor, quo matrem, læſerit enſe:
In te quod fecit, præter amare, ſcelus?
Quàm benè Theſeo caderes quoque victima ferro
Et, ſi digna Dii dent tibi fata, cades.
Occidit infelix ſine cauſa, & crimine mater:
Non ſatis in pœnas mors foret una tuas.
Quam mihi tu ſuades, vindicta eſt tetrior illo
Crimine, quo genitrix à patre cæſa fuit.
Scilicet inceſti caſtam placabimus umbram,
Peſſima tu pellex, pejor adulter ego?
Si quid adhuc manes, matremque à funere poſſet
Lædere, quid gravius, quod pateretur, erat?
Te ne ut amem,quæ,cùm revocas delicta parentis;
Me laceras? nam ſunt dedecus illa meum.
Ad genus, & natos majorum infamia tranſit.
Huic pater eſt; illi cauſa ruboris avus.
Tantalus eſt Pelopis, Menelai dedecus Atreus;
Naturam Danaus, Paſiphaeque tuum.
Multa Patri licet objicias, tamen omnibus illis,
Quod tibi nunc votum eſt, turpius eſſe puta.
Nec refero cæſæ ſolatia nulla parentis:
Fęmina jam non eſt ulla verenda mihi.
Nunc omnes odiſſe licet: nunc odimus omnes;
Te quoque, quam ſoleo matris habere loco.
Atria veſtibulum ſunt aulę vaſta paternę:
Sendet in his veterum barbara pręda ducum.
Hic ſpectare licet pictas ex ordine pugnas,
Cęſaque Theſea plurima monſtra manu.
Immanemque ſuem, populumque è nubibus ortum,
Et bovis, & fratris cornua fracta tui.
Cercyonemq; Scininą; & cum Scirone Procruſten,
Et pulſata nigri tertia regna Dei.
Hęc mihi ſpectanti, quamvis in imagine tantùm
Viſa, tamen cauſę ſępe fuere metus.

Te

Te tamen hæc inter pictam ſi monſtra viderem ,
Tu mihi, tu terror maximus una fores.
Et meritò : quid namque tuis furioſius auſis?
Nullum odium eſt iſto majus amore ſcelus,
Quò magis admiror, quid ſit tibi ſcribere, famam
Nunc quoque cùm violas, labe carere tuam.
Quam, ſi labe vacat, cur non ſtultiſſima ſervas ?
Cur, quod habes, ſummum prodigis ipſa decus.
Pulchriùs hæc magnos ornat, quàm purpura, reges?
Hanc ſceptrum, hanc titulos, hanc diadema puta.
Hac ſine dedecorant honor & ſua nomina magnos:
Hac ſine majeſtas regibus ipſa probro eſt.
Nec tamen, ut jactas, fama eſt tibi criminis expers,
Perdidit hanc, quiſquis non retinere cupit.
Quod tibi præ noſtris ſordet tua regia ſilvis;
Judice me, ſilvæ te quoque, Phœdra, decent.
Sed quales, meritòque, tuam tenuere ſororem .
Cùm ſine ſe Theſei vidit abire rates.
In quibus humani nuſquam veſtigia cultus,
Sed videas ſolis cognita luſtra feris.
Illic venandi ſtudio teneare licebit;
Illic horteris per juga ſumma canes.
Ut pedibus noſtras tangas impura nefandis?
Si ferat hoc, ſilvis non benè virgo præeſt.
Nec tibi mens damis, nec mens eſt retia cervis
Tendere, nec curſu præmia noſtra ſequi.
Præda tuis ego, quam captares, retibus eſſem:
Præda tuis ego, per ſilvas quam ſequerere forem.
Antè precor novus Actæon in montibus errem,
Et lacer à canibus devores ipſe meis.
Quòd Venerem tollam, quòd agã ſine conjuge vitã,
Eſt mea judicio ruſtica ſilva tuo.
Ruſtica ſit ſanè, vitiis aulæque, tuiſque
Dum caret, & caſta eſt, quodq; ſequamur, habet.
At ſtudiis eſt clara meis, infamis, & ipſis
Deteſtanda feris, te veniente, foret.
Cur, ne deficiam, metuis mihi ? nempe labores
Alterna requie, vitaque noſtra carent.

Falleris: alta quies ſibi mens eſt conſcia recti:
Hac fruor, hæc ſemper pectora noſtra fovet.
Hæc mihi per montes, præruptaque ſaxa vaganti,
Qua recreor, comes eſt, ægraque corda levat.
Quàm juvat hic aulæ ſtrepitu, fumoque carentem
Et procul invidia vivere, teque procul!
Ad requiem ſatis eſt patulæ ſub tegmine fagi,
Et temerè in viridi procubuiſſe ſolo.
Illic è ſilvis veniens, aut vallibus aura,
Frondeaque ardores ſat levat umbra meos.
Interea gemit in patriis avis Attica ſilvis,
Et violare toros admonet eſſe nefas.
Quid requiem ingeminas? requies in crimine nulla eſt.
Ex illo, ſi qua eſt, nata Mægera fuit.
Hoc unum tædis animos ardentibus urit,
Hoc unum Stygias condit in oſſa faces.
Ipſa tuas furias, & cæcos conſule motus:
Non ſecus ac thyrſo concita Baccha, furis.
Mentis inops raperis, nec adhuc, niſi mente, ſceleſta es.
Si re peccaſſes, quò rapere re modo?
At mihi (ſic dives promiſſis littera ſpondet)
Conjugii dos eſt Creta futura tui.
Nil agis: ut violem tam ſanctæ fædera legis,
Non mihi tu tanti, totaque Creta tua eſt.
Regna mihi ſpondes? ut te, ſic odimus illa.
Quæ mihi ſunt odio, finge placere tamen.
Qui potiar, niſi per fratrum, patriſque cruorem?
Hoc quoque tu ſuades? hoc tuus auſit amor?
Ah! te Demophoon miſeror, teque inclite Theſeu:
Te, quia Phædra uxor; te, quia Phædra parens.
Forſitan hoſtiles iras, aut bella timetis:
At Phædræ vobis eſt metuendus amor.
Eſte tamen de me ſecuri: tendere ſolis
Inſidias labor eſt noſter, eritque feris.
Unicaque ambitio eſt, ne figat miſſa lacertis
Alterius plures, quàm mea cuſpis, apros.
Quid

Quid mihi cum regnis? ſi rex, qui ſuſtinet angi,
Et ſemper trepida ſceptra tenere manu.
Omnes ſi Superi dicant mihi: Regna capeſſe;
Hoſtibus hæc, dicam, Dii date, quæſo, meis.
Hei mihi, curarum quot millia, quotque timorum,
Quot luctus circum regia tecta volant!
Nec regno careo: regnum mihi libera mens eſt.
Et proba, quam captam nulla cupido tenet.
Imperat hęc odiis, & amoribus; imperat iræ,
Et domat imperio ſpemque metumque ſuo.
Exulat hinc procerum livor, ſcelerumque repertrix
Ambitio, & quidquid ſceptra timenda facit.
Et regnum mihi ſunt ſilvę: dominamur in illis,
Deque feris, tamquam, gente tributa peto.
O valeant populi, regum tormenta ſuorum:
Ingenium ſenſi mitius eſſe feris.
Has inter Pietas habitat, Rectumque, Pudorque
Cęleſteſque ipſi: non habet aula Deos.
Hiſtorias quid ſtulta mones peccare docentes?
Te petis, & telis conficis ipſa tuis.
Ex his, quos memoras, cujus placet exitus? aut quod
Flagitium lentè pęna ſecuta fuit?
Arſerit Oenides in Męnalia Atalanta;
Prima ſepulchralis fax fuit illa rogi.
Infelix juvenis pariter cum torre flagrabat:
Tam miſeri mater funeris auctor erat.
Mater erat: quid ſi, quod tu mihi, Phędra, fuiſſet?
Ah! ego ſic potius ſim tibi flamma, precor.
Vulcani temeraſſe torum quàm nollet Adonis,
Tunc cùm fulminei dente cadebat apri.
Auroram Cephalus, Cephalum vindicta ſecuta eſt,
Dum procul uxorem credidit eſſe feram.
Credidit, & miſſo rupit præcordia telo:
Exitio, unius vulnus utrique fuit.
At tu, ſi pudor eſt, exemplis talibus uti
Parce: fugam ſceleris, non ſcelus illa docent.

D 6 Pæ-

Pena comes culpæ eſt : ſpecta modò ſingula : numquam
Impuros claudo deſerit illa pede
Nemo nocens impunè fuit : ſi cętera deſint,
Mens ſibi delicti conſcia pœna ſua eſt.
Sic mihi pro ſtimulis addis, ſtultiſſima, frenos,
Et me, ne faciam quo petis, ipſa mones.
Eſſe putas aliquid, ſi fratem Juno virumque
Det tibi, quod me ſis præpoſitura Jovi.
At mihi ſi vel te, vel Erinnyda nubere cogat
Jupiter, huic dicam : Medea triſtis habe.
Fata quid accuſas? ſi vis ea vincere, vinces
Prætendis vitio nomina vana tuo.
Cur metuis, veſana, parùm Minoia credi?
Curve times, ut ſis dedecus ipſa tuis?
Pone metum tamen; ut poſſis Minoia credi:
Quod petis à nobis, hoc voluiſſe ſat eſt.
Peccavit, quicumque cupit peccare : voluntas
Sola, nec adimiſſo crimine, crimen habet.
Jam jam Cecropias hæc ibit fama per urbes,
Et quà ſpargit avus lumina, rumor eris.
Ipſa tui fies index manifeſta doloris;
Conceptum haud poteris diſſimulare nefas.
Cur ita vaticiner, quæris? quia victa furore es.
Talis amor furor eſt, indiciumque ſui.
Si tamen hoc urget fatum Minoidas : at nos
Sanguis Amazonidum, turba pudica, ſumus.
Si legem legi vis cedere; cedat honeſtæ
Turpis, Amazoniæ Gnoſſia, veſtra meæ.
Sed benè conveniunt contraria, judice Phædra,
Nam nitor, & noſtro pulvis in ore decet.
Et rigor, & cultus, & vincti flore capilli,
Neglectæque decent & ſine lege comæ.
Horrida nunc placet, hirſutiſque accommoda ſilvis;
Quæ primùm placuit, candida veſtis erat.
Et cur non mores potiùs mirare pudicos?
Hac tibi, non formæ laude probandus eram.

Cùm

Cùm faciem tantùm laudas, cultuſque, comaſque,
Ponentis laqueos uteris arte lupæ.
Sic blandum tenui dum fundit arundine carmen,
Decipit incautas carminis auctor aves.
Credula ſic tenero dum Siren pectora cantu
Mulcet, in exitium cæcaque ſaxa trahit.
Scimus, quæ lateant illo ſub gurgite Syrtes.
Noſtra per has numquam cymba feretur aquas.
Nec precibus,nec me lacrymis,nec laude movebis,
Hic pergam ſilvis durior eſse meis.
Hos ſcopulos vincam, montanaque ſaxa rigore:
Quem meliùs celebres, me decet iſte rigor.
Ut pelago rupes, tibi ſic rigor ille reſiſtet.
Sentiar hoc uno vir tibi, Phędra, modo.
Interea caput hoc, incenſa dolore repulſę,
Mille per inſidias docta noverca pete.
Ex quibus ut partem vitemus, non tamen omnes,
Quamlibet admiſſis effugiemus equis.
Si ve tamen ferro me perdes, ſive veneno,
Multo, quàm nunc es, lenior hoſtis eris.
Non ego, ne peccem, diſcerpi in fruſta recuſo.
Sępè, quod eſt durum ferre, tuliſse juvat.
Et juvat, & pulchrum eſt vitę pręferre pudorem
Sic occumbentes mors vetat ipſa mori.
E ventura cano: ſic nobis ſomnia dictant.
Non mea ſunt nulla ſomnia digna fide.
Nunc deturbari videor mihi rupibus altis;
In mare nunc mergi, vorticibuſque premi,
Nunc mihi nocturnis fodiuntur viſcera telis,
Perque cor, & venas enſis inanis abit.
Excutiunt pavidos ſimulacra minacia ſomnos,
Et vigili quęro vulnera vana manu.
Nunc loris velut implicitus raptorque, trahorque,
Quaque trahor, longas ſanguine ſigno vias,
Aſtitit ipſe nigris Morpheus mihi nuper in alis,
Et querulo tales edidit ore ſonos:
Infelix juvenis, tua, ſi potes, effuge fata.
Non tibi nox vanos objicit atra metus.

Mo

Mox inhibens curſum fugientis: Siſte quadrigas,
Inquit, in ancipiti ne lacerare fuga.
Sic ait, & ſomnus me deſeruere, deuſque:
At non deſeriit pectora noſtra pavor.
Inde vigil mecum repetens mea ſomnia, dixi:
Nox aperit nobis, quòd feret una dies.
Namque per hos ſemper volitas manifeſta tumultus:
Igne micant oculi: diſſipat aura comas.
Et modò ceu tædas fugient tendis in ora:
Et modò ceu ſtimulas in mea fata patrem.
Hæc me non modicè, fateor ſpectacula terrent:
Parte aliqua voto ſunt tamen apta tuo.
Ad nos dant aditum, & patimur: ſic denique, Phędra,
Non aliter nobis aſpicienda veni.
Qua me cumque petes rabie, quocumque furore,
Nil audere tuo pejus amore potes.

ELE-

ELEGIARUM
LIBER QUARTUS.

ELEGIÆ
DE CHRISTO PATIENTE.
ELEGIA I.

Amorem de Deo triumphare.

Diſcite quid ſit amor. Res eſt antiquior ipſo
  Tempore: dumque fuit Numen, & ille fuit.
Parque Deo quamvis nihil eſt, tamen imperat illi,
  Et ſibi ceu victum cedere ſæpè jubet.
Ante mare & terras, cælique volubilis axes,
  Cùm ſpecies rerum nulla, nec orbis erat,
Illi dixit Amor: Terras & ſidera conde.
  Nec mora; lucebant ſidera, ſtabat humus.
Lucidus ex illo certa vice volvitur æther:
  In medio conſtans aere pendet humus.
Viderat oppreſſos ſcelerati fraude tyranni
  Vincula mortales non patienda pati;
Præcipiteſque rapi turmatim in tartara prædas,
  Nec miſeris ullum ſtragibus eſſe modum.
Nō tulit hoc miſerās Amor, & cū Numine queſtus:
  Ipſe tuum vindex aſſere, dixit, opus.
Juſſerat: obſequitur Deus, & ſua ſidera linquens
  Protinus in noſtram devenit exul humum.
Tantaque Majeſtas moribundi corporis artus
  Induit, & naſci paupere matre tulit.
Nec pudor adſtantes inter vagiſſe juvencos,
  Nec pudor in fœno decubuiſſe fuit.
Ultima ferali quis neſcit in arbore paſſum?
  Quis morti neſcit ſuccubuiſſe Deum?

Omnia

Omnia juſſit Amor, cœlo dat jura, nec ipſo
Omnia cui parent, regna minora tenet.

ELEGIA II.

Chriſtum ingenti patiendi deſiderio ſemper arſiſſe.

JUnge triumphales currus Amor: indue lauro
Tempora: de magno pone trophęa Deo.
Succubuit Deus ipſe tibi: tua juſſa ſecutus
Exilium regno prętulit ille ſuo.
Utque ſuum ſervaret opus, tulit omnia, & ingens
Nos vitę pretium credidit eſſe ſuę.
Heu pietas! quantas aluit ſub pectore flammas!
Quanta illi, & quoties vota fuere mori!
Non ita ſuſpirat, ſolvique miſerrimus optat,
Quem rigida vinctum compede carcer habet:
Non ita Sarmaticis exul confectus in oris
Ad patrios ardet poſſe redire lares:
Ut nos morte ſua meritę ſubducere morti
Arſit, & in pœnę totus amore fuit.
Hęc nondum geniti, hęc inopi naſcentis in antro,
Hęc dura in ſtipula vota jacentis erant.
Vagierat: Mater frigus nocuiſſe putavit,
Aut rigido lędi ſtramine molle latus:
Quàque poteſt, ſtipulas & fęnum molliùs ęquat;
Quàque poteſt, frigus lenit, & arcet ope.
Nil agis o Mater: dolor hic, & cauſa doloris
Materna tolli ſedulitate nequit.
Non tantum plorat, quia cannę & ſtramina lędunt,
Et quia plus duro ſtramine lędit hiems;
(Quamvis & plorat, quia cannę & ſtram na lędũt,
Et quia plus duro ſtramine lędit hiems:)
Quantùm quòd longi mora temporis obſtat amanti,
Et videt extremum tam procul eſſe diem.
Si liceat, jam flagra pati, jam ſaucius altę
Affigi cupiat brachia parva cruci.

Ipſa

Ipſa crucis mora tormentum eſt cruce durius ipſa:
Hanc puer, hanc cauſam, cur lacrymetur, habet.
Creverat, & pariter patiendi creverat ardor:
Jamque fabri patris non leve tractat opus.
Ah quoties, dum ſolus erat, fabrilia ſignans
Inſtrumenta oculis, talia verba dedit!
Malleus en, clavique, & trabs, tranſverſaque ligna,
Juſſaque porrigimus brachia; lictor ubi es?
Sic ait, exertaſque manus, corpuſque trabali
Aptat amans trunco, vulneribuſque parat.
Collis erat: collem felix umbrabat oliva,
Non procul à muris urbs Solymea tuis.
Illic corpus humi proſternere ſępè ſolebat,
Illic flens tota ducere nocte preces.
Oſcula mille dabat terrę, quia primus in illam
Omnibus è venis ſanguis iturus erat.
Sępè preces inter: quando te ſanguine tingam
Humida nunc lacrymis, dixit, arena meis?
Sępè ſalutavit, tunc cùm veniebat in urbem,
Conſcia ſupplicii tecta futura ſui.
Luſtrat & interdum, quod poſtmodò ſępè fatiſcens
Sub cruce purpureum ſanguine fecit iter:
Dumque videt montem vincendę Mortis arenam,
Qua metam pœnis & ſibi fixit Amor;
Tum verò vultus oculoſque ardere videres,
Nec flammas pectus poſſe tenere ſuas.
Hęc eadem exercent nocturnam viſa quietem:
Pœnarum ſeries ordine tota redit.
Tunc quoque ſępè manus ratus eſt offerre catenis,
Terga flagris, ſpinis tempora, colla cruci.
Brachiaque extendit vanum captantia lignum,
Impia ceu pręſens cum cruce turba foret.
Quin etiam interdum velut inclinare videtur
Exanimum collo deficiente caput.
Somnus abit; ſed enim ſpecies objecta futuri
Non abit: hanc verſat, perpetuamque facit.
Surgit, & ex imo ſuſpiria pectore ducit,
Quęque feret, jam nunc ferre paratus, ait;
Ludis

Ludis Amor, vinciſque Deum; cogiſque fateri,
Noſtra propè imperii eſſe minora tuis.
Poſſum ego luctantes pelago compeſcere ventos,
Et murmur trepidis eripere omne Notis.
Cùm libuit, vitæ lucique cadavera reddo:
A nutu pendent Vitaque Morſque meo.
Quoslibet alterius poſſum ſanare dolores:
Tollere non poſſum, te prohibente, meos.
Non ego dedignor tibi cedere victus, & ultrò
Addere captivas in tua vincla manus.
Sed, mihi quæ victor facies, quid vulnera differs?
Cur mihi crux nondum dulce ſubitur onus?
An decet, aut ęquum eſt tua te mandata morari?
Cur, quæ ferre jubes vulnera, ferre vetas?
Aut non urgeres, aut me parere volentem,
Imperium ſineres & tua juſſa ſequi.
Scilicet expectanda dies, & temporis ordo.
Tolle moras: illa simpiger odit amor.
Hei mihi! tam lento mea cur pede labitur ętas?
Hei mihi! cur annos non venit ante ſuos?
Quàm vellem menſes, ſineret Pater, ocyùs ire;
Et ſolito volucres ocyùs ire dies!
Ite dies, horæque, levi properate volatu,
Inviſaſque mihi præcipitate moras.
O quàm grata mihi venies, aſperrima quamvis,
Quæ vitæ venies hora ſuprema meæ!
Quamvis tot paries, quot habes momenta, dolores;
Te tamen hanc ipſam, qua loquor, eſſe velim.
Ah! propera, & tecum nullas non adveheque pœnas:
Sola mihi pœnæ pœna levamen erit.
Ut properes, & tę curras velociùs ipſa,
Advenies votis ſerior hora meis.

ELE-

ELEGIA III.

Futuros cruciatus Chriſto præſentium ſemper doloram cauſam fuiſſe.

CHriſte, quid ætatem, menſeſque, annoſque morantes,
Quid quereris lentis paſſibus ire dies?
Et quaſi nunc iras, quibus in te ſæviet olim
Crudelis Solyme, non paterere, gemis?
Parce queri: quidquid vitæ tibi fluxit ab illo,
Quo cœpit primùm tempore, pœna fuit.
Expletur ſitis iſta tibi, qua fervidus ardes:
Plena quid in mediis flumina quæris aquis?
Si, niſi morte, tamen non pones mortis amorem,
Utilior votis eſt mora longa tuis.
Hæc tibi ſupplicium eſt: hæc mortes mortibus addit
Hæc, quidquid faciet barbara turba, facit.
Dicere fas mihi ſit: Non eſt mora. Nonne furentum,
Dum te ſic cruciat, prævenit illa manus?
Si nondum cervice geris manibuſque catenas,
Nec lacerant ſacrum ſpinea ſerta caput;
Si nondum tibi velluntur de corpore veſtes,
Nec perfuſa tuo ſanguine terra rubet;
Nec duris graviora ſonant convitia flagris,
Nec te pendentem crux ſubeunda tenet:
At tibi ſęvitiæ mens non ignara futuræ
Hoc facit, & tanti cauſa doloris amor.
Illa videt quidquid poterunt odiumque furorque;
Quodque videt patitur, nec dolor ullus abeſt.
Jam nunc ſævit in hac, quamvis non ſauciat artus,
Liċtorum rabies, vulneraque alta facit.
Illic proditio, perjuraque verba tuorum,
Et ſicca levior fronde futura fides.
Vincula ſunt illic, ferroque ſonante catenæ,
Et, quo figetur, lancea fixa loco eſt.

Illic

Illic carnifices, illic clavoſque, crucemque,
Et quæ te lacerant vulnera ſemper habes.
Hic quoque ſtat Genitrix, teque in cruce pallida ſpectat,
Quotque videt plagas, tot putat eſſe ſuas.
Hic pariter tecum luctuque & mole laborum
Obruta, mille neces ſuſtinet ante necem.
Quid gravius, cùm pendebis moriturus in alto
Stipte; quid gravius, cùm moriere, feres?
Ah quantò levior tibi erunt ſcuticæque, vepreſque,
Et crux, & ferro vulnera facta dolor!
Nec tibi decedit, ſeq inevitabilis hæret
Ante oculos tanti ſemper imago mali.
Urit, ſeu medios proſperas docturus in agros:
Urit, ſeu latebras, & loca ſola petis.
Ac veluti cervus Libani nemus inter odorum,
Cui procul incautum fixit arundo latus;
Paſcua ſeu, campoſque fuga transmittit apertos
Saucius, è puro ſeu levat amne ſitim,
Fruſtrà quærit opem: lateri lethale cruento
Telum hæret: finis mors erit una mali.
Sic mortis ſenſu numquam cariturus amaro
Vivis, & hæc luctus finiet una tuos.
Intereà crux in votis, & pectore toto eſt.
Hanc velut abſentem nocte dieque vocas.
Somnia te cruciant veras imitantia pænas,
Nec tibi nox ſævo eſt mitior ulla die.
Cur igitur tibi creduntur, mala tanta ferenti,
Tempora ſupplicii lenta venire tui?
Votum in amante novum eſt: quod adeſt, expoſcis, & optas,
Quæ jam nunc pateris vulnera, poſſe pati.
Quid credam? votiſne tuis tua vota repugnent?
Immemoremne tui te quoque reddat amor?
Quod petis, hoc tecum eſt: neque crux fatalis amantem
Deſerit, aut ſummum deſeret ante diem.

ELE-

ELEGIA IV.

Mentis, quàm corporis ſenſum Chriſto acriorem fuiſſe, & perpetuum.

AH! malè nil ferro gravius rude vulgus & igni,
 Carnificiſque putat durius eſſe manu.
Maxima ſupplicii pars eſt, quam conſcia rerum
 Mens, nondum tacto corpore, prima ſubit.
Dum ferrum & flammas dum proſpicit omia ſævæ
 Inſtrumenta necis, ſevitiæque modos:
Dum nihil ignorat, triſtique in imagine tota eſt,
 Jam patitur quidquid pœna doloris habet.
Et mentis magis eſt, quam ſenſus corporis, acer:
 Hic dum percipitur deficit, ille manet.
Quid doluit, ſubito teli qui ſaucius ictu
 Concidit, & lethi neſcius antè fuit?
Quid doluit, quem ſecutum, ſomnoque fruentem
 E molli rapuit mors inopina toro?
Gethſemani colles, tuque o Calvaria rupes,
 Et quæcumque Dei cæde madebis humus,
Pontificumque aulæ, & Latiæ prætoria turmæ,
 Tuque æther ſenſus ſigna dature tui,
Totaque, quæ meritò rerum Natura dolebis,
 Ah! quota pars vobis nota doloris erit
Nec mare tot fluctus, nec habet tot littus arenas,
 Nec tot vere novo gramina mollis humus.
Quot te Chriſte, premunt ex omni parte dolores.
 Solus quæ pateris, tu numerare potes.
Omnia cernentem pars non latet ulla futuri.
 Heu quantum pœnæ prævius horror habet!
Sic rapient: ſic percutient: ſic vincula ſtringent:
 Sic hi, ſic illi vulnera, totque dabunt:
Sic adigent, & tot, tamque altè in tempora ſpinas,
 Hæc procerum, hæc turbæ verba furentis erunt.
Sic rigidi ſcindent clavi palmaſque pedeſque:
 Lancea ſic pectus per latus acta petet.

Tali-

Talibus, atque aliis mens exercetur amantis,
Ut lapis aſſiduis quem mare pulſat aquis.
Excipit hibernas clementior aura procellas:
Nulla venit rebus mollior aura tuis.
Tempus, & ipſa dies cui non medicina dolori eſt?
Spes etiam curas & dolor ipſe levat.
At tibi nil pœnæ rapidi fuga temporis aufert,
Nec tibi ſpes ulla m credula monſtrat opem.
Nec tuus exhaurit ſeſe dolor ille; nec umquam
Expletur lacrymis, egeriturve ſuis.
Inveniunt noſtri centum ſolatia luctus:
Nulla tuis niſi mors eſt medicina malis.
Menſque licet triſtes poſſit divertere curas,
Se tamen in pœnis detinet ipſa ſuis.
Ipſa ſibi, quæ ferre poteſt, ſolatia demit;
Nec mœrore ſuo poſſe carere velit.
Non illam requies, non dulcis imago futuri,
Non nox adveniens, non reditura dies,
Non illam maternus amor, vultuſque ſuorum;
Non patrium cælum, non Pater ipſe levat.
Nate Deo, quanam poſſum te dicere cauſa
Tot mala tam longo tempore velle pati?
Scilicet ut ſerves, à quo ſic læderis, hoſtem,
Et læſus partes conciliantis agas
Et quiſquam tanto victus non cedit amori?
Immemor & luctus ſuſtinet eſſe tui?
Suſtinet, & curas aliò traducit inanes,
Securus, quid amor, vulneraque iſta velint.
Vana juvant, fertur præceps quò cæca libido,
Et furor, & levitas, ambitioque rapit.
Ah! tibi nec mens eſt hominis, nec, quæ tibi vitam
Prima dedit, noſtri ſanguinis illa fuit.
Ferree, ſi te nec ſpinæ, nec vulnera tangunt
Illa, quibus cautes indoluiſſe ferunt:
Ferree, ſi lacrymam nec ſanguinis elicit imber,
Nec qui ſe fuſo ſanguine prodit amor.
Hoc eſt, quod gravius loris urebat amantem,
Hoc eſt, quod clavis, quod cruce majus erat.

Me-

Metimur miſeri flagris, ſpiniſque dolorem;
At nec ſpina dolor flagraque ſummus erant.
Summus erat gens dura ſuæ ſibi cauſa ruinæ,
Et tanti fructus nullus amoris amor.

ELEGIA V.

Amorem Chriſti in mediis tormentis adbuc inexplebilem fuiſſe.

EN tibi, Nate Deo, lux optatiſſima tandem,
Et ſuprema, tui teſtis amor's, adeſt.
Tempus ad hoc ſola quæ vulnera mente tuliſti,
Nunc etiam toto corpore fixa geris,
Nunc pateris quidquid quantumq; optare ſolebas:
Nec voti pars eſt ulla caduca tui.
Nunc ſaltem pietas finem tua contigit, &, quo
Se probet, & paſcat, nil, puto, majus habet.
Sanguine ſudaſti: rivi fluxere cruenti;
Ora, ſinus, veſtes, ipſa madebat humus.
Carnifices duris oneratum colla catenis
Saxa per & duras te rapuere vias.
Cæſus es, & rapta paſſus tot verbera veſte,
Quot pulſat Tyriam fluctibus æquor humum.
Forſan & auxiſti feſſis in verbera vires,
Ut votis eſſet par tua pæna ſuis.
Quæ membris ſpecies? unum ſunt omnia vulnus:
Iæne patent ſævis oſſa retecta flagris.
Fuſtibus impacti pervadunt tempora vepres,
Et lacerant totum perfodiuntque caput.
Quò color, & vultus, quò frontis gratia fugit?
Lumina quò ſtellis lucidiora tuis?
Iſta decens facies multo jam verbere livet:
Lumina ſanguineo fracta tumore rubent.
Sanguine concreti pendent ſuper ora capilli,
Totaque nil formæ forma prioris habet.
Quid probra commemorem, teque execrantia verba
Impiaque in mores ora ſoluta tuos?

Mens

Mons quoque conſperſu ſanie, taboque reorum,
Tot tibi pęnarum meta, tenendus erat.
Huc laceris quamvis humeris te ferre coegit
Impia gens duram durior ipſa crucem.
Altius o quanto ſpinas in tempora fixit,
Tam grave, cùm quateret colla ferentis, onus!
Ah quoties ingreſſus iter ſuccumbere trunco
Viſus es, & lacera fronte ferire ſolum!
Ah quoties ſtimulis foderunt terga jacentis,
Et latera, & duris tempora plena rubis!
Intactæ fuerant, nec ſectæ verbere plantæ;
Aſpera pro duris ſaxa fuere flagris.
Dum foderis ſtimulis, huc dum raptaris & illuc,
Perque ſalebroſas cogeris ire vias;
Saxa tibi geminas ſecuerunt aſpera plantas,
Ne pars immunis vulneris ulla foret.
Jamque jugo tandem ſuperato montis iniqui,
Spiritus exhauſtum vitaque pænè fugit.
Hæc pateris; nec adhuc patiendi expleta cupido eſt
Quo ſeſe tandem limite ſiſtet amor?
Reſpice quid redimas, pretiũq; expende quod offers.
Non homines tanti, totaque terra ſumus.
Solvere ſi pretio mercem ſuperante volebas,
Plus ſatis una tui gutta cruoris erat.
Omnia nunc livent: nunc undique & undiq; vulnus,
Et cruor. Ah nimiùm prodigus ipſe tui es!
Saltem ſi qua tuo, quamvis minor, eſſet amori
Gratia, non omni parte pigendus erat.
Cui tuus eſt ſanguis, cui ſunt tua vulnera curæ?
Atque utinam noſtri ſumma ſit iſta probri!
Sæpè etiam meriti merces injuria tanti eſt:
Eheu cultori meſſis iniqua ſuo!
Te tamen urit amor, gravioraque ferre paratus:
Paſcimur his pœnis, non ſatiamur, ais.
Quas amor infligit, mea ſunt ſolatia pœnæ:
Hoc benè ſedatur flumine noſtra ſitis.
Barbaries in me vires exhauriat omnes,
Addat & innumeris vulnera plura, ferem.

Non

Nondum ſunt omni vacuæ mihi ſanguine venæ:
  Quidquid adhuc ſupereſt, hauriat illa precor:
Utque facit, mihi det faciles in amore miniſtros:
  Mercedem noſtras ſentiet illa preces.
Ipſos, qui faciunt, luſtrabunt facta nocentes
  Vulnera: mors culpæ noſtra piamen erit.
Sic pius extenuat quidquid peccamus, & ipſe
  A noſtro vires crimine ſumit amor.
Membra quidem, laceroſq; artus, corpuſq; fatiſcens,
  Deficiunt nervi, deficiuntque pedes;
At non deficiunt animi: majoribus ultrò
  Objiciunt ſeſe, ſufficiuntque malis.
Utque novis ingens alimentis paſcitur ignis,
  Materieſque illum vincere nulla poteſt;
Sic alit ipſe ſuos, augetque doloribus ignes;
  Quique nihil non fert, nil ſatis eſſe putat.
Plura & plura pati, & graviora prioribus optat:
  Votaque ſucceſſum, quem ſibi poſcit, habent.
Barbaries & Amor paribus crudeliter inſtant
  Viribus, infeſtas expediuntque manus.
Conjuraſſe putes: expleri plena furoris
  Barbaries neſcit ſanguine, neſcit Amor.

ELEGIA VI.

In Chriſtum contumelioſiſſimè denudatum.

QUid tibi vis crudelis Amor? quem barbare tandem
  Vulneribus ſtatues, ſævitięque modum?
En iterùm venis manant ſtillantibus artus:
  En iterùm multo ſanguine terra rubet.
Diripitur veſtis: veſtem concreta tenebant
  Vulnera; quà trahitur, detrahit illa cutem.
Parcite carnifices miſerum convellere corpus:
  Nil niſi jam lacerum, quod laceretis, habet.
Quæ coeunt, horrent mollem quoque vulnera tactũ:
  Quid properè injecta rumpitis illa manu?

F Nil

Nil agimus, tumidi ritu torrentis aguntur,
Obvia qui ſubitis omnia ſternit aquis.
Undique prorumpit ſanguis, manatque per artus,
Quoque poteſt velat corpora nuda modo
Non diſpar membris ſpecies, cùm militis ira
Hæc eadem flagris dilaniaſſet, erat.
Quid potuit tantis dignum committere pænis,
Nullius culpæ, Judice teſte reus?
Ecce tremens aſtat rapto ſpoliatus amictu:
Jamque pudor plus, quàm pœna, doloris habet.
Sol, quod mox facies, radios nunc ſubtrahe terris,
Auctoremque tuum, teque diemque tege.
Ah faceres: ſed quem tenebris involvere velles,
Officio non vult ipſe latere tuo.
Non minui cupit ipſe ſuas, ſed creſcere pænas.
Pars bona te lucem dempta negante foret.
Carnifices, ubi nunc quamvis ſordentia vela,
Tecta quibus facies illius antè fuit?
Quæ laceros artus, veſtri quoque ſigna furoris,
Parte aliqua ſaltem ſordida vela tegent.
Qualicumque, precor, circumdate corpus amictu:
Munere pro magno vilis amictus erit.
Ah rude ne textum lacero nudoque negate.
In ventos abeunt irrita verba? negant.
Ergò qui foliis ſilvas, qui cortice truncos,
Qui veſtit campos gramine, veſte caret.
Sic tibi ſe Natus, Genitor, ſuaque omnia nudus
Immolat: hoc ſeſe victima more litat.

ELEGIA VII.

Dolores Chriſti in Crucem acti.

Quid mirer prius hìc? aut quid doleamve, querarve?
Mens abit, hoc & ſe deſerit ipſa loco.
Aut hìc, aut nuſquam quot ſint in amore dolores;
Aut hìc, aut nuſquam, quid ſit amare patet.
Ecce

Ecce (nefas viſu) nudum, totiſque trementem
  Artubus arripiunt injiciuntque cruci,
Ah ſatis eſt pœnæ: quid adhuc gens dira paratis?
  Ulteriorne poteſt tot gradus eſſe malis?
Nil vos hæc ſpecies, nil vos lacerata flagellis
  Corpora, nil ſpinis tempora rupta movent?
Nil humeris crux in montem perlata cruentis,
  Quodque ſuo madidum ſanguine fecit iter?
Non potuit toties, & per tot vulnera fuſus
  Veſtram aliqua ſanguis parte levare ſitim?
Nil mala tanta movent: creſcit creſcentibus illis
  Sanguine ſe paſcens ſuppliciiſque furor.
Ille jacet pronus, caroque dat oſcula ligno;
  Injectaque tenet robora dura manu.
Dumque tenet: Salve mea crux, mea gaudia, dixit:
  Aſpera, ſed quamvis aſpera, cara tamen;
Tam ſperata mihi, quàm formidata nocenti.
  Plura loqui lacrymæ carnificeſque vetant.
Corripiunt pronum, vertuntque in terga ſupinum,
  Preſſaque nodoſo brachia fune ligant.
Atque ita diverſi geminos utrimque lacertos
  Diſtendunt: validas adjuvat ira manus.
Juncturis emota ſuis dant oſſa fragorem:
  Abrumpenda humeris brachia pæne putes:
Nec convulſa minùs crurum internodia ſolvunt,
  Dum tendunt, odio vim geminante, pedes.
Hei mihi! quis teneat lacrymas? majora minantur
  Artifices ſcelerum; non habet ira modum.
Pars tenet injecto diſtentos fune lacertos,
  Pars fera ſanguinea concutit arma manu.
Malleus in dextra eſt, rigidum tenet altera clavum,
  (Aſper, & obtuſa cuſpide clavus erat]
Dira viris facies, torvis in vultibus iras,
  Inque oculis facinus, quod meditantur, habent.
Me miſerum! ſtringunt clavos, magnoque furentes
  Perque manus adigunt impete, perque pedes.
Rumpuntur venæ, nervi rumpuntur, & oſſa;
  Sanguinis en rivi fluminis inſtar eunt.

Dum geminant ictus, dum mons & ſaxa reſultant
Ictibus, heu quantus tranſit ad oſſa dolor!
Eſſe homines credamne, quibus tam triſtis imago
Nil animum, qua ſunt ſaxa movenda, movet?
Si quibus eſt tantum circum præcordia ferri,
Aſpiciant ſiccis hæc in amante genis:
Hæc ego dum ſpecto, cor quod mihi durius ære eſt
Rumpitur, & ſenſum commiſerantis habet,
Proh! ſupreme Pater patientem talia Natum
Aſpicis, & ceſſas? iraque lenta tua eſt?
En crux aerias & cum cruce corpus in auras
Tollitur; in plagas omne recumbit onus.
Corpora ſuſtentant ſoli pendentia clavi:
Vulnera, quod clavis nititur, auget onus.
Tormentum! quo Sol condat ſua lumina viſo,
Et mundo radios, officiumque neget.
Ipſa quod impietas, ſpatium modò præbeat iræ,
Horreat, admiſſi tacta dolore ſui.
Sævitiæ cumulum tantis convitia pœnis
Adjiciunt, tamquam crux foret ipſa parum.
Jam Deus in trunco ſpectabilis undique pendes;
Hoc tua ſe dignum gloria culmen habet?
Quis tibi, nate Deo, patienti talia ſenſus?
Par animus tantis ſuſtinet eſſe malis?
Hoc etiam placida toleras, ut cetera, mente,
Et vultu votis convenientetuis?
Tam fera nec gemitus, nec vox tormenta ſequuntur?
Ah ſilet: uſque adeò nos patienter amat.
Quis ferat hæc, niſi tu, cujus patientia finem
Non habet, ut finem non habet ipſe dolor?
Hæccine, quam toties, & tota mente petiſti,
Totque modum votis impoſitura quies?
Hæccine dulcis amarities, hæc illa voluptas,
Quæque ſuis curis gaudia miſcet Amor?
Primum aliis votum eſt nullos ſentire dolores,
Quamque ſecuta fuit ſpes bona, ſorte frui.
Venantes ſua præda, ſeges ſperata colonos,
Tuta juvant nautas littora, palma duces.

Vota

Vota pati tua ſunt, tua ſunt ſolatia pœnæ,
Summaque crudelem haudia ferre necem.
Crux tibi deliciæ, meſſis ſperata dolores,
Convilli requies, palma petita mori.
Muſa ſiſte vocemque premens, nihil eſſe fatere,
De tanto dici quidquid amore poteſt.

ELEGIA VIII.

Latronem in cruce ſervatum omnibus ſpei exemplum eſſe.

MOrtales ſperate. Di placabili ira eſt;
Vincitur, & nullos ſubmovet illa reos.
Depoſitis etiam præſtò eſt clementia cauſis.
Omnibus atque omni tempore tota patet.
Nec mihi qui ſteriles cauſetur perditus annos;
Nec mihi quis vitæ tempora ſera ſuæ;
Nec ſcerum numerum. Tot ſint, quot in æquore fluctus,
Quot ſilvis frondes, frigoribuſque nives;
Pœniteat tantum; cauſam dolor ipſe perorat,
Nec lacrymis ſeris ulla repulſa venit.
Latro ſit exemplo: trunco pendebat in alto,
Quoſque dabat gemitus, jam morientis erant.
Flebat, & ad Dominum vertebat pallidus ora.
Hoc ſatis, ut veniam conſequetur, erat.
Pro Superi! quantum gemitus valuere precantis,
Verbaque! Divorum gaudia munus habent.
Felix, infami quamvis in ſtipite pendes,
Tam brevis, & facilis cui dedit aſtra labor!
Quamquam convictus ſcelerum es, quodque ipſe fateris,
Morte peris vitæ conveniente tuæ;
At voti jam pignus habes, quod fallere neſcit:
Jam, reor, aſperitas excidit ipſa crucis.
Frangite lictores, jam ferro frangite crura:
Hoc illi nullum munere majus erit.

Jam pænaſque novas, nova jam ſibi vulnera poſcit,
Solaque, quod cruciet, iam mora mortis habet,
O ego quàm cupiam ſic fixus in arbore mortem,
Hæc mihi ſi dentur præmia, ferre tuam!
At tu quid dubitas veniam pacemque precari,
Qui ſcelerum pendes, ſuppliciique comes?
Tempus adeſt aptum precibus: dabit ille roganti,
Qui jam morte ſua, quod tibi donet, emit;
Me miſerum! avertit vultus, Dominũmque ſceleſtis
Inſequitur verbis, & negat eſſe Deum.
Heu cadit in quemquam tantus furor! heu ſibi quiſquam
Tot bona tam prono danda favore negat!
Nate Deo, per ego hunc, quo nos dignaris, amorem,
Per ſpes, quas de te fontibus eſſe jubes,
Per genua hoc mortis, per quæ tibi corpore toto
Vulnera ſunt animi pignora certa tui:
Hic mihi, quem ſpernit ſibi tam dementer iniquus,
Hic mihi contingat, te miſerante, favor:
Sic, quos te pietas pro nobis ferre labores
Impulit, excipiat publicus orbis amor;
Sic bona ſpes ad te facilem, veniæque paratum
Invitet trepidos, alliciatque reos.
Non tua, quę cęlo miſeros clementia donat,
Parcior eſt umquam, diſſimiliſque ſui.
Nec ſpes deſtituit: cuivis, diſcrimine nullo,
Fontibus ex iiſdem, vulneribuſque venit.
Cur ego diffidam? quæ ſonti verba Latroni
Dixiſti moriens, hæc mihi dicta puto,
Dixeris hæc uni, ſatis eſt. Oſtendis in uno,
Spes de te quantas omnibus eſſe velis.

ELEGIA IX.

In inſultantes Crucifixo Deo.

HEu Solyme ſcelerata, reiſque nocentior ipſis,
Quos ad ſupplicium, quod meruere, vocas!

Tu ne

Tùne Deum medios inter pendere latrones,
Quaque illi pereunt lege, perire jubes?
Ut ſcelerum ſocius, qui pœnæ eſt, eſſe putetur!
Sic geminas, inſons ut videare, nefas?
Sanguine crudeles oculos gens impia paſce,
Deficit exhauſto ſanguine vita Deum.
At vos ſacrilegi jam ſaltem parcite l nguis:
Quis ſupereſt odiis, ſævitiæque locus?
In cruce ſuſpendi voluiſtis: pendet in illa:
Mille pati inſontem vulnera: plura tulit.
Morte mori lenta: lenta jam morte necatis.
Contenti tantis jam precor eſte malis s
Tot quid abeſt pœnis? deerant ſua vulnera menti
Scilicet. Hæc linguis pars laceranda fuit.
Impia gens erras. Tormenta immania ſemper,
Pluraque, quàm potuit corpore, mente tulit.
Me miſerum! perſtant, viſoque à ſanguine vires,
Quo deliniri debuit, ira capit.
Confuſæ inſurgunt voces, ſed percipit omnes
Verba, quibus petitur, ſingula virus habent.
Non ſenſus, animique latent: introſpicit illos.
Quid non hinc etiam, quo crucietur habet?
Hinc amor, hinc odium certant. Vos, ſi quid acerbis
Reſtat adhuc odiis, addite; vincet amor.
Tollite clamores, linguiſque inſtate protervis,
Ut, quem jactavit, ſe probet eſſe Deum;
Ut ſeſe eripiat letho, ferroque refixas
Expediat plantas, expediatque manus.
Non illum immanes retinent in ſtipite clavi.
Quòd meneat, noſtri fixus amore manet:
Seque, quod exigitis, non ſervat, ſervet ut omnes
Omnes vult pretium ſanguinis eſſe ſui.
Hoc eſt, cùm minimo poſſit vos perdere nutu,
Cur toleret lentus, diſſimuletque nefas.
Hoc eſt, cur graviùs læſum irritantia Patrem
Crimina, quàm pœnas ſentiat ipſe ſuas,
Nec, quia non plectit, non plectere poſſe putetis.
Juſta ſibi longas imperat ira moras.

Hac quoque, quæ fixa eſt, vellet modò, crimina vindex
 Plecteret, hac fulmen mitteret ille manu.
Mitteret, ah! fulmen? precibus, non fulmine certat.
 Pro vobis pendens in cruce vota facit;
Conciliatque Patrem lacrymans, veſtroque furori,
 Quam veniam vos non poſcitis, ipſe petit.
Quà licet, excuſat facinus quoque; ſupplicat ultrò,
 Invidiamque ſuæ detrahit ipſe neci.
Parce Pater, dixit, nec quod gens cæca meretur,
 Morte luat; partem criminis error habet.
Quid facies, hoſtem qui ſic miſeraris, amanti,
 O majeſtatis non memor ipſe tuæ?
Læderis, & læſus veniam peccantibus oras.
 Materiam veniæ crimina noſtra facis.
Ipſe ſubis pœnas, pęnarum præmia nobis
 Reddis; &, ut reddas, res tibi parva mori eſt.

ELEGIA X.

De titulo Crucis.

HÆc quoque ludibriis deerant? illudere morti
 Debuit appoſitis ſcripta tabella notis?
Cùm pelagus, cùm terra tibi, cùm ſerviat æther,
 Regnaque ſint meritis iſta minora tuis;
Hoc, quod eras, probro verti, crimenque putari,
 Cauſaque ſupplicii debuit eſſe tui?
Scripſerit hoc judex, tãquam tua crimina, nomen,
 Et titulum mortis juſſerit eſſe tuæ;
Ille tamen vero ſcripſit te nomine regem.
 Majeſtas ſed enim, pompaque regis ubi eſt?
An crux infamis ſolium tibi; purpura ſanguis?
 An clavi manibus debita ſceptra tuis?
Carnifices, populuſque furens, geminique latrones
 Sunt tibi, quæ ſtipet regia turba latus?
Voxque ſalutantum, diræ? convitia plauſus?
 Omnia paupertas quæ tibi dempſit, opes?

Nu-

Nudus, & irriſus, fixuſque in ſtipite pendes:
  Majeſtas regi convenit illa Deo?
Crede tamen Solyme: regum rex maximus ille eſt.
  Quem tibi venturum ſæcula priſca canunt.
Sit reus, invidiæ moriens ſit victima veſtræ,
  Ille reus, judex veſter & orbis erit.
Nate Deo, tibi nos, tibi quem debemus honorem
  Solvimus, & ſolium volvimur ante tuum.
Quamvis in media pallens jam morte teneris,
  Quamvis nil, pendens in cruce, regis habes:
Majeſtas non tota latet. Quod terra, quod æther;
  Quod mare dent luctus triſtia ſigna ſui:
Quod procul adverſo cæli feſtinet ab orbe,
  Et retrò celeres Luna reflectat equos,
Quod Solis vultus, quod ſe, cęlumque, diemque
  Occulat, imperij vis manifeſta] tui eſt.
Tu modò pallentes revocas ad corpora manes,
  Etumuliſque cies oſſa ſepulta ſuis.
Tu modò perpetuis frenas Plutona catenis,
  Et mortem moriens ſub tua jura trahis.
Inſultet Solyme: plus te nos eſſe fatemur,
  Quàm titulus ſcriptis præferat ille notis.
Nunc quoque te, cùm ſumma trahens ſuſpiria ſenſim
  Deficis, æternum credimus eſſe Deum.
Nunc quoque cùm pendes ſine ſenſu & ſanguine corpus,
  Nos mœſti lacrymas, nos tibi vota damus.
Tempus erit, tibi cùm ponent inſignia reges,
  Et figent aris munera digna tuis:
Et crucis ad truncum curvato poplite fuſi
  Submittent pedibus ſceptraque, ſeque tuis.
Templa tibi ſurgent Pariis innixa columnis:
  Fumabunt ſacris dona Sabæa focis.
In templis tua cum titulo ponetur imago,
  Qualem nunc pendens in cruce nudus habes.
Ad latus hinc ſtabit lacrymans & pallida Mater;
  Hinc comes, eximium quem tibi fecit amor.

Illa potens rerum, cujus victricibus armis
  Nilus, & Euphrates, totaque ceſſit humus:
Illa ſuos faſces, animoſque, orbemque ſubactum
  Imperiis ſubdet maxima Roma tuis,
Expelli luſtrata Jovem Capitolia cernent,
  Et tibi, cui ſoli debita, thura ferent.
A populo tua crux, lacerumque in imagine corpus,
  Quodque alto pectus vulnere rupit Amor,
Et rigidi ſentes, & ſparſi ſanguine vultus,
  Sæpè tibi grati cauſa doloris erunt.
Quanta dabunt viſis & quot ſuſpiria clavis!
  Hi quoque non paucis vulnera ſæpè dabunt.
Hoc ipſum in ſummo quod pendet ſtipite nomen
  Jam cælum ſupplex, tunc quoque terra colet.
Hoc metuet, fruſtraque fremẽs horreſcet Avernus,
  Totaque Styx imis exululata vadis.
Quantum, & quale decus tibi tunc infamia præſens
  Quantus, quæ modò fers, probra triũphus erunt

ELEGIA XI.

Ad Virginem matrem ſtantem ſub cruce.

QUid genitrix nato geminas ſine fine dolores?
  Crux in ſupplicium non erat una ſatis?
Altera crux nato eſt matrem ſpectare dolentem:
  Nec minus hæc pœnæ; plus quoque forſan habet.
Ipſa vides lacera guttas è fronte cruentas.
  Perque oculos illi currere, perque genas.
Ipſa vides manibus, pedibuſque erumpere rivos
  Sanguinis: & nervis oſſa ſoluta ſuis.
Sic natum ſpectare vocas ſolatia mater?
  Hoc juvat? hæc luctum ſcena levare poteſt?
Non potes, ut cupias, ſolantia dicere verba:
  Verba loquuturæ frangit in ore dolor.
Non ſtrophio ſiccare ſacros, non veſte cruores:
  Crux illum manibus ſubmovet alta tuis.

Non,

Non, ubi finierit mors illi ſæva labores,
Lumina materna condere fracta manu.
Parce, precor, ſaltem nato, ſi parcere neſcis
Ipſa tibi: lacrymis uritur ille tuis.
Nec tibi ſolamen præſens poteſeſſe, nec illi:
Illius luctu læderis, ille tuo.
Nate Deo, qui fers, quæ te niſi ferre videret,
Barbaries ferri poſſe vel ipſa neget:
Te teſtor, ſenſumque tuum: te ſæviùs urunt,
Quàm tua, quæ de te vulnera mater habet.
Hoc quoque non neſcis mater: ſcis quodlibet illi
Supplicium luctu lenius eſſe tuo.
Diſcedet tecum, ſi tu diſcedere poſſis,
Illius ex aliqua parte, tu uſque dolor.
Narrabunt alii quæ verba noviſſima: quales,
Pro quibus arenti fuderit ore preces:
Quid biberit ſitiens: quid deficiente rogarit
Voce Patrem; quàm non immemor ille tui;
Ut fractis oculis, in duro ſtipite, vitam
Clauſerit; ut fixum ruperit haſta latus.
Hæc alii referent: at tu pallebis, & ipſa
Pectore materno, quæ tulit ille, feres.
Quid facies præſens, ſi, quæ perceperis abſens,
Singula ſunt animo plaga futura tuo?
Me miſerum! ſtat fixa loco, truncũque madentem
Sanguine perfundit fletibus uſque ſuis.
Nunc lacrymis madidos convertit ad æthera vultus,
Nunc tenet in nato lumina fixa ſuo.
Heu quid agat? maneat? prohibet dolor; inde recedat?
Fortior immotam ſub cruce ſiſtit amor.
Dure Amor! has ſerva ſleges? ſic jungis amantes?
Quàm non ſunt regni mollia jura tui!

ELE-

ELEGIA XII.

De Chriſti morientis ſiti, & derelictione.

OMnia nunc illi, qui poſſidet omnia, deſunt.
Poſcentem gelidę deficit auſtus aquæ.
Exhauſere labor vires, ſudorque, cruorque
Fuſus, & in tantis nox vigilata malis,
Et via per pręceps, humeriſque injecta cruentis
Illa trabis moles, ſævitieſque necis.
Ferte citi lymphas: lymphæ ſolabitur hauſtus,
Arenti quàm vix indicat ore, ſitim.
Heu fera barbaries! morienti lympha negatur:
Pocula, quæ ſpumant felle, bibenda ferunt.
Et tamen hæc libat: fauces ſimul urit & ora
Peius, amarities, quàm ſitis ipſa, malum.
O iterùm duris erumpite rupibus undæ!
Saxa dabunt vobis rupta dolore viam.
Qui rore, & pluviis ſitientes irrigat herbas,
Arida qui vernis imbribus arva juvat,
Qui ſcatebris fontes, qui fontibus evocat amnes,
Veſtram deficiens nunc eget auctor ope.
Eſſe quid hoc dicam? de clavis nulla, nec ulla
De cruce; de ſæva ſola querela ſiti eſt.
Cętera, tamque diu tacitè tormenta ferenti,
Crede mihi, ſolæ non ſitiuntur aquæ.
Quæ petit in tantis ſitiens ſolatia pœnis,
A nobis, non à fontibus illa petit.
Hei mihi! Supremę neque nos movere querelæ:
Nos quoque cum multo pocula felle damus.
At, reor, è cęlo venient ſolatia: cęlum
Audiet, & vanas non ſinet eſſe preces.
Ah! tantùm tenebris ſe conſcius occulit ęther,
Et luget dominum, non juvat ille ſuum.
Te ſaltem, genitor, nati ſuſpiria tangant
Ultima; te poſcit vox morientis opem.

Alpi-

Aſpicis, ut verſet ſupremo languida motu
 Lumina? vix cervix ſuſtinet ægra caput.
Et quamvis tenues fugiant cum ſanguine vires,
 Deſtituatque ſuus corpus inane vigor;
Attollit tamen exangues ad ſidera vultus,
 Utque poteſt, oculis quærit, & ore patrem.
Singultumque trahens imo de pectore: Mene
 Deſtituis, clamat, tu quoque care pater?
Quæ toties movere, nihil jam ſumma parentem
 Verba movent: natum deſeruiſſe putes.
Magne pater, neque tu nati miſerere ferentis
 Ultima? nec pietas illa paterna ſubit?
Nec te perpetuis exacta doloribus ætas,
 Nec mors ipſa movet, cauſaque mortis amor?
Hoc quoque, Chriſte, feras opus eſt, tam mitis in omnes.
 In te ſuſtineat durus ut eſſe pater.

ELEGIA XIII.

Ad B. Virginem, Filio jam in cruce mortuo.

Occidit: in pectus cervix inflexa recumbit.
 Occidit, exanimum de cruce pendet onus.
Quæ mens, quis tibi nunc, mater mœſtiſſima, ſenſus:
 Mors pariter vitam non rapit iſta tuam?
Ah! plus quàm vitam rapuit, cùm ſuſtulit illum,
 Qui tibi ſpes omnis, vitaque ſolus erat.
Ferreus ah! nimiumque tibi crudeliter hoſtis,
 Luctibus his cauſam qui tibi cumque dedit.
Quid loquor? ille ego ſum, ſenſi: nil quærimus ultrà:
 Me peragis vultu, Diva, ſilente reum.
Nil opus eſt verbis: oculi lacrymęque loquuntur.
 His lacrymis vocem ſenſimus eſſe ſuam.
Ah fateor, tuus ille meum, mœſtiſſima, crimen
 Eſt dolor, hæc operis ſunt monumenta mei.
Noſtra nocens anima eſt: quæ fles, ego vulnera feci:
 Hæc quoque noſtra manus ſanguinolěta nece eſt.

Hic

His mea te natumque malis dementia merſit.
Mens fugit admiſſi plena pudore ſui.
Hic lacrymas fudiſſe parum eſt. Non, omnis apertis
Exhauſtus venis ſi mihi ſanguis eat:
Non, ſi me Scythicæ ſcindant in fruſta ſecures,
Membraque diverſis diripiantur equis;
Non, ſi Trinacrij damnatus voce tyranni
Torrear in tauro, ſæve Perille, tuo;
In caput hoc non ſi totus deſæviat æther,
Æqualis merito pœna ſit ulla meo.
Quid faciam infelix? quò ſpes, quò carbaſa vertam?
Quod mihi perfugium, quis mihi portus erit?
Ad tua, nate Dei, ſupplex me vulneras verto.
Sola meum poſſunt illa piare nefas.
Illa, precor, veniæ mihi ſpes, & gratia fiant;
Aut hac, aut nulla parte juvandus ero.
Sævitiæ monumenta meæ mihi gratia fiant?
Et proſint manibus vulnera facta meis?
Sic eſt, cujus ego ſum funeſtiſſimus auctor,
Hæc mors placandi ſpes mihi ſola tui eſt.
Dicam equidem, quamvis res dictu eſt horrida. dicam:
Impietas nobis utilis ipſa fuit.
Pænè fide majus: prodeſt ſua culpa nocenti.
Eſt noſtri fructus criminis ipſa ſalus.
Quas merui; Deus ipſe ſuo dat ſanguine pœnas:
Quem læſi, pro me ſuſtinet eſſe reus.
Quàm plectar meritò, flammiſque perennibus urar,
Si mea non tangat pectora tantus amor!

ELEGIA XIV.

Ad Dei matrem, exanime filij corpus gremio ſuſtinentem.

TEne ego (nec movear?) videam, mœſtiſſima matrum,
Complexam nati membra cruenta tui?

Deque

Deque tuis oculis illius in ora cadentes
  Aſpiciam lacrymas, contineamque meas,
Ecce ſuo tecum rerum natura parenti
  Ingemit, & quotu, funere læſa dolet.
Sol, tam funeſtæ ne ſpectet crimina cędis,
  Avertit vultus, oraque mœſta tegit.
Sub pedibus mugit tellus: convulſa dehiſcunt
  Marmora: lugubris fertur ad aſtra fragor.
Lugentes errant manes: tumuliſque ſub ipſis
  Et gelidos cineres tangit, & oſſa dolor:
Non hoc ſpectator potuit de funere quiſquam
  Lumina, non lictor ſicca referre domum.
Qua ſcuticas ſtrinxit, qua vim, qua vulnera ſævus
  Intulit, hac tundit pectora nuda manu.
Pars etiam turbæ, quo tot convitia fecit,
  Hoc gemit, hoc rabiem devovet ore ſuam.
Omnia cùm doleant, uni mihi pectora conſtent
  Rupibus, & ſciſſis aſperiora jugis?
Unus ego immotus funus tam flebile poſſim,
  Et tua non madidis ora videre genis?
Non rigor hic meus eſt tua me, tua flentis imago
  Sauciat: utque facit, fauciet uſque precor.
Vulnera ſeu ſpectas, totidemque in pectore ſentis;
  Effice ſint animo tot quoque fixa meo.
Oſcula jungenti ſeu frontem ſpina cruentat;
  Me tuus hic urat, conficiatque dolor.
Seu tibi, quæ nato, fixit præcordia cuſpis;
  Per medium nobis hæc quoque pectus eat.
Carnificum ſeu terret adhuc te vultus; in illis
  Horreſcam facinus, devoveamque meum.
Seu quocumque alio veniunt è fonte dolores;
  Et meus erumpat protinus inde dolor.
Qui ſum cauſa tui, ſim pars quoque, Diva, doloris,
  Et minuam luctus hac ego parte tuos.
Me meminiſſe decet, cùm ſub cruce pallida ſtares,
  Quæ fuerint nati verba ſuprema tui.
Ille mihi moriens: Serva communis amorem
  Matris, ait; tibi jam, quæ mihi, mater erit.

Hinc

Hinc crevit, creſcatque precor, qui tempore ab illo
  Me tenet, & totum ſe tibi debet amor.
Omnia, quæ pateris, mihi ſint communia tecum:
  Ni fuerint, nati nomen inane gero.
Quid? me non lædant, quæ lędunt vulnera matrem?
  Hoc quoque barbaries oderit ipſa nefas.
Nec ſatis eſt, ſi noſtra tuis ſuſpiria jungam:
  Te, mea, te cupiam, vita, dolente mori.
O illo mihi contingat tabeſcere luctu!
  Felix, ſi lethi cauſa ſit iſta mei.

ELEGIA XV.

Memoriam vulnerum Chriſti retinendam.

SI quis es, in triſti qui fixus imagine ſpectas,
  Quæ tulerit pro te vulnera, quotque Deus,
In lacero numquam tot vulnera corpore cernes;
  Quot tulit ars numerum pingere nulla poteſt
At ſunt, quæ rapiant animos, penituſque morentur.
  Lumina, quæque ſuo ſunt ſpecioſa loco.
Aſpice, quàm lato patefactum pectus hiatu,
  Quantaque ſint manuum vulnera, quãta pedum.
Illa cicatricem non ſunt ductura: patebunt,
  Donec, qui moriens illa recepit, erit.
Illa ſui retinet victor monumenta triumphi,
  Et libertatis dulcia ſigna tuæ.
Non hęc tam clavi, nec acuto lancea ferro,
  Nec populi fecit, carnificumque furor;
Quàm qui cauſa fuit tantorum prima dolorum,
  Totque Deum plagas ferre coegit, amor.
Redde vicem meritis. Quæris, quo munere poſſis?
  Aut quid, qui gratum te cupit eſſe, velit?
Non petit, ut clavis ſcindi plantaſque manuſque,
  Tempora nec ſpinis ut patiere fodi;
Non ut flagra tuos lacerent immaniter artus,
  Perque tuum ſtridens tranſeat haſta latus:

Pla-

Plagarum tantùm te vult meminiſſe ſuarum.
Quis minor eſt autem, quam meminiſſe, labor?
Hoc ſatis eſt illi, ſitu, quę vulnera pro te
Saucius ille tulit corpore, mente geras.

ELEGIA XVI.

Etiam nos Chriſti doloribus cauſam dediſſe.

EST mihi ſanguineę crucis & pendentis in illa
Numinis artifici picta tabella manu.
Hęc mihi ſępe animi ſopitos ſuſcitat ignes:
Nonnumquam lacrymas provocat illa meas.
Nuper in hac oculis, & toto pectore fixus
Spectabam populi triſte furentis opus.
Spectabam laceros clavis immanibus artus,
Quodque unum in toto corpore vulnus erat.
Heu dirum facinus! dixi: Tène, optime rerum,
Perdere cognatę ſic potuere manus?
At tibi pro ſcelere hoc, gens impia, quale mereris
Exitium juſti vindicis ira ferat.
Dira fames dentes in mutua corpora vertat,
Quæque ex ſe genuit viſcera, mater edat.
Ferro exciſa cadas: undent tua ſanguine templa:
Det cladi lacrymas hoſtis & ipſe tuę.
Inque tuas pergat victor ſęvire ruinas,
Donec, quę ſaxis ſaxa revellat, erunt.
Longa mora eſt: jam nunc tellus, precor, ima dehiſce:
Non ſatis ad tantum eſt intremuiſſe nefas.
Hęc ego cum gemitu indignans; & plura parabam,
Juſtaque, dicebam; quo vocat ira, ſequar.
Cùm ſubitò, qualem volucres, dum nubila findunt,
Viſa fuit nobis aura dediſſe ſonum.
Stabat Amor; ſed non ſolitis circumdatus armis,
Nec pueri cultus, qui ſolet eſſe, fuit.
Non humeris pendent pharetrę, non aureus arcus,
Non manus inſtructas ventilat igne faces.

Al-

Altera tela haſtam, duros tela altera clavos,
 Hamatoſque vepres, flagraque ſæva tenet:
Nec rigidi funes, nec crux, nec ahenea deſunt
 Vincula: purpureus tinxerat illa cruor.
Ut vidi, ut ſtupui! vultuſque oculoſque minaces,
 Armaque miratus, talia verba dedi:
Quid tibi, blande puer, cum tam crudelibus armis?
 Quid tenera tractas non tua tela manu?
Non tua, quæ ſpargis, quamvis immitibus urunt
 Ignibus, invidiam ſpicula cædis habent.
Iſta Scythas, Beſſoſque truces, ſævoſque Gelonos,
 Barbariemque avidam ſanguinis arma decent.
Queſtus eram; vultu cùm protinus ille ſevero,
 Quos tua, quos, inquit, devovet ira reos?
Quid Solymam accuſas, dictiſque inceſſis amaris,
 Non priùs auditum quæ fuit auſa nefas?
Funeris illius, quod Sol, quod terra, quod æther
 Horruit, Auctor ego, primaque cauſa fui.
Nec piget eſſe reum: facto quoque glorior illo:
 Hinc decus, hinc rebus gloria ſumma meis.
Me ſine quid poterant odium, rabieſque nocentum?
 Me ſine quæ poterant lædere tela Deum?
Illi ego mortales artus, pœnæque capaces,
 Membraque quæ poſſent verbera ferre, dedi.
Illi ego fluxuro replevi ſanguine venas:
 A me, quo culpam diluat orbis, habet.
Ex illo mihi crux, clavique, vepreſque cruenti,
 Sævaque pro telis haſta fuere meis.
At tibi mens illis non eſt ſuperabilis armis:
 Tu, quod Amor neſcit vincere, pectus habes.
Et rupi tumulos, & manes flere coegi,
 Saxaque ſunt flammis mollia facta meis.
In te deficiunt vires: & cautibus ipſis,
 Et cineri major, quàm tibi ſenſus ineſt.
Hæret, & in medio ſiſtit victoria curſu,
 Te mihi difficiles injiciente moras.
Quid modò damnabas populum? tu durior illo,
 Non benè peccantes arguit ipſe nocens.

Tu

Tu quoque, tu tanti pars es non parva furoris:
  Tam flendæ titulum tu quoque mortis habes.
Membra cruentabant illi, ſed amantis in imum,
  Quæ tu cumque facis vulnera, pectus eunt.
Illorum ſceleri multum quoque detrahit error:
  Militibus notum non ita Numen erat.
Tu nil, dum peccas, potes ignorare, nec ullo
  Nomine ſævitiam diſſimulare tuam.
Plus tua culpa meis, ſi neſcis, ſæviit armis;
  Quodque ita ſævierint, hæc quoq; culpa tua eſt.
I nunc, carnifices diris inceſſe querelis,
  Immemor ipſe tua de feritate queri.
Dixit, & irato ſimilis diſceſſit in auras.
  At mihi cum lacrymis venit in ora rubor.

ELEGIA XVII.

Chriſtum à peccantibus iterùm crucifigi.

HOc verū eſt, renovare tuos commiſſa dolores
  Crimina? nec ſatis eſt illa luiſſe ſemel?
Mille lacer plagis, nudusque, & fixus in alto
  Stipite commoto viſus es orbe mori:
Et tamen eſt aliquis tam durus & aſper, ut auſit
  Vulnera peccatis tot renovare ſuis?
Nos quoque, nate Deo, numero cenſemur in illo!
  Hei mihi, cenſemur: culpa fatenda mea eſt.
Nam quid diſſimulem? nil ſum niſi crimen & horror,
  Ipſaque quod tellus ferre gravatur onus.
Peccarunt oculi, peccarunt ora manuſque,
  Peccarunt celeres in mea damna pedes.
Nec mihi mens inſons; ſceleratior omnibus illa eſt:
  Hinc venit culpis maxima cauſa meis.
Quos benè debuerat dominæ compeſcere more,
  Turpiter eſt motus illa ſecuta ſuos.
Sum reus: hæc brevis eſt actorum ſumma meorum.
  Sum reus: eſt crimen crux tua morſque meum.

Ergò

Ergò ego ſuſtinui tua ſcindere membra flagellis,
 Teque cruentatum pars ego magna fui?
Tene ego percuſſi, rapuique à vertice crines,
 Et ſputis facies eſt tua ſparſa meis?
Tène ego calcavi trunci ſub mole jacentem,
 Tanquam oneri truncus non ſatis ipſe foret?
Hæc crux, hi vepres, hi ſunt mea crimina clavi?
 Hæc ſunt flagitiis vulnera facta meis?
Quò non humanæ rapitur vecordia mentis!
 Quod ſupereſt, quò ſe porrigat illa, nefas?
Tullia, dum vehitur, patrum violaſſe cadaver
 Dicitur impulſis ipſa per ora rotis.
Terruit aurigam facinus data fræna prementem:
 Ipſa quod aurigam terruit, auſa fuit.
Sævior hac ego ſum ſtimulis furialibus acta:
 Protrivit patrem filia; Numen ego.
Illa ſuos patrio cùm ſparſit ſanguine currus,
 Senſus in extincto corpore nullus erat.
Sentibus & ſcuticis, clavisque armata cruentis
 Sæviit in vivo corpore noſtra manus.
Sæpiùs ipſe Deum læſi; ſemel illa parentem:
 Magna patri pietas debita; ſumma Deo.
Fecerat audacem partum jam crimine regnum:
 Nil quod ſublato patre timeret, erat.
Juſta ego debueram terreri Numinis ira:
 Omne trahit ſecum Numinis ira malum.
Quid dederat natæ genitor, niſi nominis umbram,
 Spemque caducarum, quas malè cepit, opum?
Cùm mihi, quem toties læſi, donaverit ultrò
 Maxima, majorum pignora mille dedit.
Illius eſt igitur minor hoc injuria noſtra,
 Quam minùs eſt, quàm qui condidit auctor, opus.
Hei mihi, cur vixi? cur me genuere parentes?
 Cur dedit afflatus ventus & aura ſuos?
O utinam primis periiſſem menſibus infans!
 Aut mihi rapta foret, quo data vita die!
Serior o utinam noſtra lux morte fuiſſet,
 Quæ prima eſt culpæ conſcia facta meæ!

Aut

Aut potius, quæ me peperit ſine prole fuiſſet,
  Deque meis natus nemo fuiſſet avis.
Non ego carnificum pars dicerer eſſe tuorum,
  Nec titulum arguerer mortis habere tuæ.
O ego, ne poſſim tantos renovare dolores,
  Quàm malim alitibus præda feriſque dari:
Aut in Caucaſeę partem dureſcere rupis,
  Quam Notus, & gelidis verberet imber aquis?
Téne ego, te vepribus rurſum, laceremque flagellis?
  Simque iterùm cædis cauſaque parſque tuæ?
Antè precor terrę ſcelus averſantis hiatu
  Devorer, aut vultus obruat unda meos.
Antè cinis fiam, flammiſque ultricibus urar,
  Fulmine delictum præveniente meum,
Mens fugit admonitu, quoties peccaſſe recordor:
  Inque meos artus horror, & oſſa venit.
Ipſe odio mihi ſum, meque & mea crimina damno;
  Nec ſatis iraſci me mihi poſſe queror.
Vertite carnifices in me furiaſque manuſque:
  Eſt crimen, quidquid ſuſtinet ille, meum.
Ipſe necem merui: ligno nil tale merentem
  Demite: cur facto plectitur ille meo?
Si cui tollenda eſt, tollenda eſt vita nocenti:
  Nos cruce quod dignum eſt fecimus; ille nihil.
Figite me clavis, hoc me ſuſpendite trunco:
  Non ego me pœnis ſuppliciiſque nego.
Plus ego commerui, quam vos inferre poteſtis:
  Sum meriti judex optimus ipſe mei.
Quæ precor ah fiant, nec quiſquam verba, doloris
  Signa mei, tantùm verba fuiſſe putet.
Nulla mora eſt in me: noſtri ſtat funeris ara:
  Epectat veſtras hoſtia dira manus.
Omnibus in pænas, ſi quando, incumbite nervis:
  Materies veſtro digna furore ſumus.
Non mihi ſtet parvo feritas mea: plectite ſontem:
  Cędes convicti morte pianda rei eſt.
Tu tamen hoc non vis: ſatis eſt, te judice, pęnę,
  Si me peccati pęnituiſſe vides.

Pęni-

Pœnitet auſorum, nec poſſum dicere quantum ;
Nec quantum, ut coner: dicere poſſe velim.
Hìc quicumque poteſt verbis æquare dolorem,
Pro cauſa leviter, materiaque dolet.
Quid verbis opus eſt? oculis, quibus omnia ſpectas,
Pectora noſtra patent inſpicienda tuis.
Ipſe vides mihi quis ſtimulet præcordia ſenſus:
Cauſa necis ſenſus ſit, precor, ille meæ.
Quòd doleam, proſit. Peccavi: parcé fatenti:
Cauſa tuæ mortis parcere velle fuit.
Cæde tua ſparſa eſt, fateor, guttiſque cruentis
Stillat adhuc ſupplex, quam tibi tendo, manus.
Et tamen hanc tendo, & ſecurus tendo repulſæ:
Exorat veniam, quo madet illa, cruor.

CAPITA
IN CHRISTI DOLORIBUS
EXPENDENDA.

Quis patitur? Rerum Dominus, de Numine Numen.
Quid patitur? Lacero corpore mille neces.
Pro quibus? Ingrata pro turba, & gente rebelli.
Cur? Nos carnifices ſervet ut ipſe ſuos.
Quis locus? Infamis pœnis, & morte nocentum.
Quando? Cùm poterant facta probare Deum.
A quibus? A notis, & avito ſanguine junctis.
Quomodo? Non ſervans ullum in amore modum.

PII ERGA CHRISTUM PATIENTEM AFFECTUS.

I. *ADMIRATIONIS.*

QUis ſatis hoc capiat? pro me, per vulnera mille,
Et potuiſſe Deum, nec dubitaſſe mori!

II. *COMMISERATIONIS.*

Si ſpecto ſiccis oculis tua vulnera, Chriſte,
Sum cruce, ſum clavis durior ipſe tuis.

III. *DOLORIS.*

Pęnitet! & meritò. Lacrymis non illa pietur,
Quæ tibi, magne Deus, ſanguine culpa ſtetit?

IV. *GRATI ANIMI.*

Ut fuſo tibi, Chriſte, feram pro ſanguine grates?
Nulla ſatis longum ſæcula tempus erunt.

V. *SPEI.*

Spes fugit, ante oculos mea dum mihi carmina pono:
Cùm tua reſpicio vulnera, Chriſte, redit.

VI. *AMORIS.*

Me pete, Amor, telis in Chriſti ſanguine tinctis:
Quem lęſi toties, ſic ego lęſus amem.

VII. *IMITATIONIS.*

Chriſte, mihi Dux es. Quę belli prępmia ſperem,
Si quà Dux ieris, non ego miles eam?

ELE-

ELEGIARUM

LIBER QUINTUS.

LACRYMÆ S. PETRI.

ELEGIA I.

Peccatum ſuum amarè deflet.

SIqua fides ſupereſt perjuro, pœnitet, eheu!
  Pœnitet: hæc cauſam vox agat una meam.
Cętera dicetis lacrymæ, ſi vocis habetis
  Pondera, ſi nulla fallitis arte fidem.
Ita igitur, facinuſque meum, culpamque piate;
  Non intermiſſis currite ſemper aquis.
Vos mihi ſubſidium fluitis: vos pectoris hujus,
  Ex aliqua ſaltem parte, levatis onus.
Ite, ſed abſque modo: cauſa immoderata dolendi eſt.
  Illa ſibi noctes vindicet, illa dies.
Ite: nihil ſatis eſt; non ſi creſcatis eundo,
  Creſcere collectis ut ſolet amnis aquis.
Non ego menſuram vobis, non tempora pono,
  Nec mea me patitur ponere cauſa modum.
Non moveor damnis fortunæ crimine factis,
  Nil cupere, & fluxas ſpernere doctus opes.
Nec ciet hos luctus aut rapti funus amici,
  Aut labes famæ non abolenda meæ.
Indigna eſt lacrymis levium jactura bonorum:
  Vitam æquaturo digna dolore mea eſt.
Et quamvis lacrymis facilè eſt reparabilis illa,
  Nulla tamen lacrymis dignior eſſe poteſt.
Hei mihi! perjuro toties quod diximus ore,
  Mens meminiſſe horret, lingua referre timet.
Vos igitur lacrymæ perjuria dicite noſtra:
  Nil dolor hic linguæ voce querentis eget.

Vos

Vos eritis, dum clauſa mihi pudor ora tenebit,
Peccati teſtes, & medicina mei.
Heu lacrymæ viles, noſtri neque luctibus aptæ!
Currere ſanguineæ debueratis aquæ:
Qualibus hac ipſa perfuſus nocte madebat,
Cui tanti luctus pars ego magna fui.
Mens abit, & morior, quoties lacrymantis imago,
Orantiſque Patrem forma moduſque ſubit.
Affixis telluri oculis, ſparſiſque jacebat
Crinibus, & longas flens dabat ore preces.
Illum ego, qui flebat, teſtor, collemque cruentum,
Et, quæ ſervat adhuc ſigna doloris, humum.
Sanguis erant lacrymæ: ſtillabant ſanguine vultus:
Purpureus multo ſanguine ſudor erat.
O ego quàm vellem tales quoque fundere fletus!
Erumpe ex oculis unda cruenta meis.
Crimina, quæ fontes alios fecere, piari
Conveniat lacrymis; ſanguine noſtra decet.
Sanguine pro lacrymis aliena piacula flevit:
Ut mea deplorem, ſufficietis aquæ?
I cruor ex oculis: poſcit mea cauſa cruorem;
Quamvis nec ſceleri ſit ſatis ille meo.
Et quota pars oculi ſunt corporis? o mihi poſſit
Omnibus exundans artubus ire cruor.
Et mihi ſunt venæ, & venæ mihi ſanguine turgent:
Erumpe ex oculis unda cruenta meis.
Quid mihi nunc prodeſt cum parvis humida cymbis
Retia, quid patriam deſeruiſſe caſam?
Quid, quas ipſe mihi victus formidine clauſi,
Cęleſtes aliis pandere poſſe fores?
Omnia perdidimus, cęlumque, animamque, Deumque:
Nullaque non ſceleri debita pęna meo eſt.
Sed pęnã meruiſſe parum eſt: quod torquet, & urit,
Illius eſt noſtro crimine læſus amor.
Offendiſſe illum mihi prima & maxima pęna eſt.
Erumpe ex oculis unda cruenta meis.

Debueram Dominum vitæ præferre; negavi:
Morte nec in media perfidus eſſe; fui.
O utinam nocitura mihi pars peſſima noſtri
In mediis verbis lingua revulſa foret!
Mè ne negaſſe Deum, flexo qui poplite pronus
His pedibus latices hac quoque nocte dedit?
Qui nobis dedit ipſe ſuum cum ſanguine corpus,
Cumque daret: Memores, dixerat, eſte mei.
Sic memorem ille ſui tanto me munere fecit?
Erumpe ex oculis unda cruenta meis.
Sic certè flerem, ſi non de marmore, ſi non
De ferro nobis pectus, & ære foret.
Intereà dum vota nihil conceditur ultra,
Ex oculis ſaltem currite ſemper aquæ:
Qualiter æternis manant è fontibus undæ,
Quæ vena numquam deficiente fluunt.
Tempus erit, cùm vos ſanguis fortaſſe ſequetur,
Si modò non fallam rurſus, ut antè, fidem.

ELEGIA II.

In ſpecu flens ſe accuſat.

RUpes dura, mei veriſſima cordis imago,
Horrida, ſed lacrymis apta latebra meis:
Ad te flens venio, lethali ſaucius ictu,
Squallidus immiſſis mœſta per ora comis.
Accipe me, profugumque tuo precor abde ſub antro,
Et referant gemitus concava ſaxa meos.
Tu mihi deſerta ſedes ſecurior aula es:
Non hic, qui rurſus plurima quærat, erit.
Hic licet arcanos animi depromere ſenſus:
Has inter tenebras tuta querela mea eſt.
Hic impunè licet quis ſim, qualiſque fateri:
Hic mea me tuto prodere lingua poteſt.
Ille ego ſum miles verbis animoſus & audax,
Et ſolo fortis nomine, rebus iners.

Ille

Ille ego ſum prima quem ſtravit fœmina voce
Oblitum Domini, cum Dominoque mei:
Qui nil ſum veritus, tantùm ne cognitus eſſem,
Perfidiæ teſtem ſæpè vocare Deum.
O teſtis, judexque meæ certiſſime culpæ,
Quis de me ſenſus ſit meus, ipſe vides.
Nunc ego te meliùs teſtem voco; juſta doloris
Quàm tibi cauſa mei, tam dolor ipſe patet.
Hic es, & hos gemitus, & quidquid dicimus, audis:
Has lacrymas oculis aſpicis ipſe tuis.
O dulces oculi, caſus ſolatia noſtri!
O ſpes, o cymbæ ſidera certa meæ!
In tantis animi tenebris vos prima fuiſtis
Lux mihi: ſervatus veſtrum ego dicar opus.
His oculis, qui me lapſum monuere, gementem
Aſpice: placandi ſpes venit inde tui.
Aſpice lugentis ſpeciem, veſteſque, ſinuſque,
Antraque de lacrymis humida facta meis.
Aſpice laſſatas tundendo pectora palmas,
Et moveat vultus mœſta figura tuos.
Non precor antiquo, quo non ſum dignus, honori
Reddi, nec regimen puppis habere tuæ.
Clavum alius teneat: remis ego perfidus addar:
Eſt mihi, quæ remos torqueat, apta manus.
Non ego ſervitium, quantumvis vile, recuſo:
Dummodò ſim tecum, quidlibet eſſe feram.

ELEGIA III.

Veniam delicti petit.

TEne ego littoribus, linoque aſſuetus & hamis,
Ad tua de mediis regna vocatus aquis;
Tene ego ſuſtinui perjuris lædere verbis,
Et Dominum toties eſſe negare meum?
Hæc mea magna fides? ſic vita carior ipſa
Tu mihi? ſic noſtra morte probatus amor?

Tu mihi te, cælumque, caſæ cymbæque relictæ
Das pretium; & puduit me tamen eſſe tuum.
Mene tui puduit? certè tuus eſſe negavi,
Auſaque, Non novi, dicere lingua fuit.
Certè ego juravi de te nil ſcire, nec ullo
Fœdere conjunctum te mihi, meque tibi.
Quis tibi tunc ſenſus de me fuit? acriùs urens,
Quàm quod nos dedimus, non, puto, vulnus habes.
Debuit hic cumulus pœnis accedere tantis,
Ut tibi pars eſſem ſumma doloris ego?
Non tantum doluere tibi ſæviſſima quamvis
Vulnera, quàm linguæ perfida verba meæ.
Qui placidus fuerat media inter verbera vultus,
Peccato cœpit triſtior eſſe meo.
Inde tui ſenſus crevit ſine fine doloris:
Unde tuus crevit, creſcit & inde meus.
Militiæ pars prima tuæ tua ſigna reliqui
Perfidus: hoc cęlum, terraque ferre potes?
Parce Pater; neque, quod merui, me fulmine perde:
Nec mihi ſub pedibus rupta dehiſcat humus.
Parce precor: mea me ſatis, heu! periuria plectunt:
Illa tuo gravior fulmine pœna mihi eſt.
Viribus ut totis in me tua detonet ira,
Mens ſibi ſupplicium perfida maius erit.
Quod redimi ſaltem flamma ſi vindice poſſet,
Quàm cuperem flamma vindice poſſe mori!
Hei mihi, cur volui me fortior eſſe videri?
Hei mihi, cur umquam linguâ locuta mea eſt?
Cùm mihi calcatum veſtigia ferre per æquor
Poſſe datum eſt, tutam cur dedit unda viam?
Cur me preſſa tulit? cur me, quod cępit eunti
Cedere, non totis obruit æquor aquis?
Quantum perfidiæ mecum periiſſet in illo!
Quanta ſub his mecum culpa ſepulta foret!
Securo nunc veſtra gradu me terga prementem
In quantos luctus ſuſtinuiſtis aquæ!
Nunc ego naufragium paſſus ſum triſtius illo,
Quo mare diductis me tumulaſſet aquis.

Parce Pater: mediis jactor dum naufragus undis,
Si me non recipis, quis mihi portus erit?
Quæ mihi ſola ſuper, tabulam ne ſubtrahe nanti,
Nec dura gemitus aure repelle meos.
Semper habent aditus ad te ſuſpiria molles:
Ad te, ne pereant, qui periere, vocas.
Quodq; juvat, cùm ſis hominũ judexque, paterque,
Præcipuè titulum nominis hujus amas.
Judicis officium eſt punire; ignoſcere patris:
Sis mihi, quod mavis omnibus eſſe, pater.
Hoc eris: hoc potiùs celebrari nomine gaudes:
Naturæ pietas convenit illa tuæ.
Novi ego te, quamvis toties te noſſe negavi:
Es pius, & placido reſpicis ore reos.
Tardus es ad pœnas, &, quæ non mittere malles,
Invita mittis fulmina rara manu.
Læſus eras, memini: Juſto pete fulmine ſontes,
Diximus: offenſa eſt fulmine digna tuo.
Parcite, dicebas: quid ſit, neſcitis, amare.
Non eſt ingenii ſpiritus ille mei.
Profuit hoc illis; proſit mihi: teſtis amoris,
Exemplumque tuæ ſim pietatis ego.
Illa mihi pietas miſeros ſolantis inhæret,
Quos labor, aut animi triſte gravaret onus.
Ad mea, dicebas, celeres præcepta venite:
Quiſquis eris, noſtra lætus abibis ope.
Hac ego ſpe fretus venio. Mihi crimina pondus
Sunt mea: mens iſto victa labore gemit.
En venio: tu, quo premitur, ſolare laborem:
Mole quod immenſa me gravat, aufer onus.
Ah quid agam, tua cùm ſupplex ante ora jacebo?
An potero lingua pauca tremente loqui?
Hæccine, quæ toties te lingua eſt auſa negare,
Perfidiæ, poterit dicere, parce meæ?
Ut puto, non poterit: verba imperfecta relinquet,
Et rumpet medios victa pudore ſonos.
Sed licet hæc taceat, gemitus lacrymæq; loquentur:
Hæ quoque ſi deſint, ingemuiſſe ſat eſt.

Tu gemitum, meditata magis quàm verba requiris:
  Hic index animi certior eſſe ſolet.
Ut flectat vincatque tuam, quam deprecor, iram,
  Facunda mutus plus valet arte dolor.
Sic venio ſupplex, quamvis peccaſſe dolentem
  Me meus hæc intra detinet antra timor.
O pater, hoc tantum, veniam concede dolenti,
  Et lacrymas noſtro mitis in ore vide.
Per, qui te genuit, veriſſima cujus imago es,
  Et qui te voluit, quod ſumus, eſſe, Patrem,
Qui, nos ut ſerves, vitam te perdere juſſit,
  Qui vult nos pretium ſanguinis eſſe tui:
Perque tuum, quo vile genus dignaris, amorem,
  Qui te, quod modò fers, ferre coegit onus:
Per quos jam pateris, per quos patiere dolores,
  Dum peragis noſtræ grande ſalutis opus.
Sic teſtata tuum celebret clementia nomen,
  Araque ſit miſeris ſemper aperta reis:
Sic, quod ſcire dedit genitor mihi, Veſper & Ortus
  Te genus eſſe Dei credat, & eſſe Deum:
Exemplo ſic quiſque meo ſperetque, ſciatque
  Littora naufragio tuta patere ſuo:
Sic parere tuis aſſueſcat legibus orbis,
  Et pretium mortis non ſit inane tuæ.

ELEGIA IV.

Nimiam ſui fiduciam arguit.

Quid miſer hæc lacrymis & queſtu ſaxa fatigas?
  Tam graviter læſo Numine flere parum eſt.
Non benè corrigitur ſolis igna via votis:
  Magnanimus votis quilibet eſſe poteſt.
Si benè pœnituit, factis teſtare dolorem:
  Læſa ſemel factis eſt reparanda fides.
Et pluſquam lacrymis commiſſum dilue crimen,
  I, repete intrepido tecta relicta pede.

Hic

Hìc flendi locus eſt: hìc te peccaſſe fatere:
  Nec premat ignavus libera verba timor.
Hìc te perjurum, mentitumque omnia dicas:
  Hìc flens da fidei pignora certa tuæ.
Illum ego, dic, novi, toties quem noſſe negavi,
  Pro quo non metuam, vivat ut ipſe, mori.
Illum ego, dic, vidi ſubitò compeſcere ventos:
  Illum ego turbato ponere jura mari.
Cùm voluit, vacuis panes crevere caniſtris:
  Cùm voluit, liquidæ vina fuiſtis aquæ.
Illius in laudes rupere ſilentia muti;
  Æquato claudi ſubſiliere pede.
Debuit huic lucem cæcus, ſeu matris ab alvo,
  Seu morbi vitio luminis orbus erat.
Sæpè Erebi furiæ vocem tremuere jubentis,
  Corporaque invita deſeruere fuga.
Sæpè cadaveribus conſpectis: Vivite, dixit:
  Nec mora: vivebant, qui modò funus erant.
Quòd loquor, & ſpiro, quòd cœlum & ſidera cœli
  Aſpicio, quòd adhuc vivimus, ille dedit.
Talibus atque aliis (culpæ ſi cura piandæ
  Eſt tibi) perfidiæ verba refelle tuæ.
Hoc placet hoc fixum eſt: ut ſunt, quęcumq; fatebor;
  Utque animi nobis, ſic ſatis oris erit.
Imus, & obſtantes certum eſt perrumpere turmas.
  Si perimar, fidei mors mea pignus erit.
Imus, & in media moriemur fortiter aula:
  Perfidiam miles vindicet enſe meam.
Forſan & intrepido conferta per atria greſſu
  Evadam Domini cara ſub ora mei.
Hìc ego perfuſus lacrymis, plenuſque pudoris
  Provolvar ſupplex illius ante pedes.
Hìc ego delicti veniam (niſi verba dolentis
  Impediant lacrymæ) voce tremente petam.
Aut mihi placatum felix audacia reddet:
  Aut animi ſaltem conſcius hujus erit.
Quid loquor? incautam malè fido in gurgite puppim:
  Ad ſcopulos fractam ſit ſatis eſſe ſemel.

Hic erat, hic, memini, qui me modò perdidit ardor:
  Impetus hic idem magna loquentis erat.
Non tamen aut nudos Romani militis enſes,
  Aut populi timeo Pontificumque minas.
Me timeo: mihi ſum plus iſtis ipſe timendus.
  Mobilitas animi jam mihi nota mei eſt.
Tam multos inter, quos fugi turpiter hoſtes,
  Hoſtis ego mihimet maximus ipſe fui.
Nemo poteſt nobis tantum (fac velle) nocere,
  Quantum ego convincor jam nocuiſſe mihi.
Parcite, ſi greſſum refero: quibus antè natavit
  In tabula, meritò naufragus horret aquas.
Devoveo mihi funeſtas & abominor ædes:
  Hìc mens, & vires procubuere meæ.
Deſerto ſatis eſt crimen lugere ſub antro,
  Ne virtus iterùm ſit mea flenda mihi.
Infelix, quem ſtulta ſui fiducia tollit:
  Illa fuit noſtri prima favilla mali.
Hoc perdet multos, hoc multos perdidit antè,
  Metiri faſtu magna pericla ſuo.
Omnia ſpondentem de ſe ſibi, nilque timentem;
  (Expertus moneo] certa ruina manet.

ELEGIA V.

Caſum ſuum orbi manifeſtat.

ELoquar? an ſileam? dolor hoc, pudor impedit illud:
  Mens variat motus, nec capit ægra ſuos.
Cede pudor, juſtoque animi ſuccumbe dolori,
  Et pars ſit pœnæ culpa profeſſa meæ.
Admonitu quamvis luctus renovantur amari,
  Eloquar infelix dedecus ipſe meum.
Nox erat, & montem Dominus de more petebat,
  Certus in hoſtiles ſponte venire manus.
Quos ego tunc animos, quos ſenſi pectoris ignes?
  Ille meis major viribus ardor erat.

Ipſe

Ipſe ego te caſus, dixi, comitabor in omnes,
Pro te, vel tecum certus & ipſe mori.
Inſurgat Solyme, totis vomat agmina portis,
Miles ego tecum caſtraque ſolus ero.
Diffugiant alii, tenebriſque & nocte tegantur,
Tergaque militibus dent ſua; pectus ego.
Hoc caput objiciet turmis ſe pluribus unum:
Non ego de timidis, res ubi poſcet, ero.
Hei mihi, quàm brevis hic fuit, & temerarius ardor!
Quàm levis & mendax impetus ille fuit!
Omnibus exemplum fidei fore grande videbar:
Eheu! perfidiæ duxque caputque fui.
Viderat hoc in me vitium, qui proſpicit unus
Omnia, cui meliùs, quàm mihi notus eram.
Viderat, &, Vanis cave fidere viribus, inquit,
Fortiaque infirmus deſine verba loqui.
Hæc nox hos animos, ne tu te falle, probabit,
Conſcia perfidiæ ſæpè futura tuæ.
Quantum animis erroris ineſt! non ſenſimus ipſum,
Ceu falli poſſet, vera monere Deum.
Obſtitimus monitis: Priùs æquore ſilva ſub alto
Creſcet, & in ſummis, diximus, alga jugis,
Quàm te deſtituam. Non ſum deſertor amoris.
Teſtis erit fidei reſque locuſque meæ.
Intereà trepidans, & pallens morte futura
Innocuas Dominus tollit ad aſtra manus.
Quæ ſpecies orantis erat! reverentia pronum
Straverat: erumpens ſparſerat ora cruor.
Humebant crines, humebat ſanguine pectus:
Sanguineis guttis humida veſtis erat:
Collaque, cœleſteſque humeri, totumque precantis
Undabat miſtis ſanguine corpus aquis.
Sanguine rorabant ſtillantia gramina circum:
Sanguine, ceu rivis, ſparſa rubebat humus.
Dum pavet & pallet, dum flet, ſudatque, ſuumque
Supplicium ante oculos jam moriturus habet,
Non potuit ſpecies me tam miſeranda tenere,
Quin gravis obrueret lumina feſſa ſopor.

Scilicet hæc virtutis erant præludia noſtræ:
 Sic mea ſe primùm viſa probare fides.
Arma ſonant, fremituſq; virum: coit: omnis in unum
 Impetus: audaces inſtruor enſe manus.
Quid fruſtrà fortes fuimus? quid inutile ferrum
 Strinximus? haud illa tempus egebat ope.
Barbara gens inſtat, ſtimuliſque & verbere ſævit,
 Vinclaque divinas addit in arcta manus.
Sponte ſua vinctus rapitur tot ab hoſtibus unus,
 Mitis ab infeſtis ut ſolet agna lupis.
Sic, ubi, cognovi, quòd ſe permitteret hoſti,
 Et ſibi, quam poterat, ferre negaret opem,
Tum verò extimui: ſtabam ſine ſanguine pallens,
 Attonitoque diu nihil mihi mentis erat.
Quid facerem? ſequerer? miſero timor obſtat amori.
 Terga darem? prohibet vertere terga pudor.
Ardua res, Domini ſortem quamcumque ſubire,
 Inque eadem captas addere vincla manus.
Sed tamen avelli, nec ſcire quis exitus illi
 Immineat, non eſt pœna priore minor.
Mens incerta diu dubiis affectibus errat:
 Quidque velit, neſcit: nota nec ipſa ſibi eſt.
Sic ubi diſcordes exercent æquora venti.
 Huc agit atque illuc ventus & unda ratem.
Nil mihi, quod ſequerer potius, fugeremve, ſubibat:
 Res eſt mentis inops conſiliique timor.
Cedit amor: fugio, comitumque exempla ſecutus,
 Obſcuræ noctis munere, tuta peto.
Mox dubitans, medioque inhibens veſtigia curſu,
 Quid facis ah? dixi; quò miſer, unde fugis?
Quid niſi mors ſupereſt, vitam ſi deſeris ipſam?
 Hæc pietas nullo concutienda metu?
Spiritus hic ille eſt omni diſcrimine major?
 Hæc ſunt militiæ ſplendida facta tuæ?
Vincit amor: redeo: ſed non bonus augur eunti,
 Plurima dum ſubeunt, pes mihi tardus erat.
Et ſequor, & timido moveo veſtigia paſſu:
 Ire jubebat amor, lentiùs ire timor.

Et

Et jam contigeram ſcelerati limina tecti,
  Limina tam timido non adeunda pede.
Ingredior: vires animus dabat; at mihi quantò
  (Et pudet, & dicam) quàm priùs, ille minor.
Ah quoties finxi vultum, voluique videri
  Fortis, & occultos diſſimulare metus!
Ah quoties oculos noſtris in vultibus omnes
  Eſſe ratus, noſtri conſcia ſigna dedi!
Heu, quàm difficile eſt animum non prodere vultu!
  Hic aperit quidquid cura timorque tegunt.
Prima foris cuſtos præſenſit ſerva, quis eſſem:
  Prima mihi, capto tu comes, inquit, eras.
Protinus ut trepidas vox hæc mihi perculit aures,
  Pallor in attonito plurimus ore fuit.
Ille refutabit linguæ mendacia pallor,
  Plus propè me patrio prodidit ille ſono.
Nil ea dixit, agis: Galilæum lingua fatetur
  Te tua: te, qui ſis, teſte negare potes?
Objicit hoc ipſum nobis mox alter, & alter;
  Et, conjecturam, quo tueantur habent.
Tum verò effræni perjuria fundere lingua
  Cœpimus, & diris dedere mille caput.
Nec memini vidiſſe, nec eſt mihi nomine notus:
  Et peream, ſi non hæc ego vera loquor.
Perque Deum, perque omne ſacrũ, me noſſe negavi.
  Horruit ad voces impia turba meas.
Nec verbis ſtimulanda meis me Numinis ira
  Terruit: audacem fecerat ipſe timor.
At fruſtrà, quod eram, volui non eſſe videri:
  Prodebat cauſam perfida lingua ſuam.
Dicebam quoties, Non novi, noſſe fatebar:
  Contra ſe teſtis lingua negantis erat.
Sed licet eſſe meo, quod eram, convinceret ore,
  Impietas aliud viſa probare fuit.
Tunc quoq; me Domini pietas (quis credere poſſit?)
  Non eſt ex merito paſſa perire meo.
Flexit amans oculos, meque inter vincula ſpectans
  Plus noſtri eſt viſus, quàm memor eſſe ſui.

Non torvam ſpeciem, non præ ſe mœſta ferebant
Ora minas, culpæ ſigna nec ulla meæ.
Vultus erat, qualem miſereri credere poſſem,
Et dare placandi ſpem mihi velle ſui.
Quis mihi tunc, Superi! concuſſit pectora motus?
Senſimus: ille oculus me miſerantis erat.
Tunc ego me demum cœpi ſentire nocentem:
Tunc animo demum lux fuit orta meo.
Nec mens veniſſet melior, niſi tanta fuiſſet,
Et major Domino, quàm mihi, cura mei.
Fruſtrà me crebris monuiſſet cantibus ales:
Sic ego, non avium voce monendus eram.
Egredior; læſamque fidem, turpemque timorem
Execror, & tanti conſcia tecta mali.
Turpiter evaſi, quę me quoque ferre decebat,
Vincula: peccando deteriora tuli.
Hinc grave ſupplicium perjuræ diſcere mentis
Cogor, & iratum quid ſit habere Deum.
Ex illo madet os lacrymis, ſemperque madebit,
Et brevior luctu vita futura meo eſt.

ELEGIA VI.

Fragilitatem ſuam agnoſcit & deplorat.

DIcebam, memini, geminos revolutus in ortus
Jordanes verſis antè recurret aquis,
Quàm violem te ſancta fides: victuſque timore
Signa ferar Domini deſeruiſſe mei.
Vertere Jordanes, flexoque relabere curſu:
Deſerui Domini prodita ſigna mei.
Nec mihi Romulei faſces, ſtrictæque ſecures,
Nec mihi fecerunt arma virique metum.
Vocibus ancillæ (res indigniſſima dictu)
Ceſſimus: heu ubi tunc ille ſuperbus eram?
Qui me laudabam; qui nil niſi magna loquebar,
Carnifices audax inter & arma mori.

Omnia

Omnia ſpernebam, quæ poſſent cumque timeri,
Ducebamque animis inferiora meis. (bar:
Plus quoque, quàm loquerer, demẽs mihi poſſe vide-
Concidit exiguo ſpiritus ille metu.
Nec ſaltem primum, quamvis terrore careret,
Congreſſum vires ſuſtinuere meæ.
Non cedit primis percuſſa ſecuribus ilex,
Nec niſi multiplici vulnere victa cadit.
Firma diu perſtat, nec iniquo preſſa fatiſcit
Pondere Tænariis cæſa columna jugis.
Nequidquam vento rupes pulſatur & imbri:
Indejecta manet, tutaque mole ſua eſt.
Non minùs his fortis credi, dicique volebam:
Quæ me dejiceret vox ſatis una fuit.
Quòd ſi me judex, quòd ſi me plena rogaſſet
Curia, cauſa minùs noſtra pudenda foret.
Lumina percellit ſeptum terrore tribunal;
Formaque judicii, quod timeatur, habet.
Quæſitor, judex, lictores, vincula, carcer,
Nomina ſunt, quorum terret & ipſe ſonus.
Nunc me ſerva levi proſtravit fęmina verbo.
O pudor! imbelli vulnus ab hoſte tuli.
Si mihi dixiſſet quiſquam; te fęmina vincet,
Deque tuis ſpolium viribus illa feret:
I quoque, dixiſſem, Cerva venare leonem,
Inque fugam dama verte ſequente canes.
Et tamen evenit, fieri quod poſse negavi:
Proſtrati titulum cerva leonis habet.
O ego quàm non ſum, quod me miſer eſse putavi!
Flammaque de ſtipula quàm brevis orta mea eſt!
Viribus heu adii majora pericula noſtris:
Et rudis illorum, nec mihi notus eram.
Quid poſſim, didici: me cauſa leviſſima fregit:
Exitus eſt faſtus flenda ruina mei.
Intrepidus ſtabam: ſtantem levis impulit aura:
Sic damno cœpi doctior eſse meo.
Quid ſumus? aut qua ſpe meditamur grandia parvi,
Eſse aliquid falsò noſtraque, noſque rati?

Cur

Cur nos decipimus? cur nobis, quidlibet auſi,
De nobis ſtultè credere, verba damus?
Nil magnum noſtræ poſſunt promittere vires:
Sponte ſua, nullo concutiente, labant.
Si Deus auxilio eſt, tunc omnia poſſumus omnes;
Si non eſt, ſine re nomen inane ſumus.

ELEGIA VII.

Dolet ſe occaſionem peccandi non vitaſſe.

HEi mihi, cur, plus quàm poſſum, me poſſe putavi?
Cur nimiùm de me credulus ipſe fui?
Cur ego me præceps in aperta pericula miſi,
Nec Domini voces me tetigere mei?
Admonuit quoties: Tua te fiducia perdet:
Deſtituet vires impetus ille tuas.
Vera quidem monuit; ſed me meus ardor agebat;
Plus ſibi, quàm magno credidit ille Deo.
Quis me cogebat ſceleratæ accedere turbæ,
Quis deteſtandæ limen adire domus?
Fugiſſem meliùs: levior fuga culpa fuiſſet:
Perfidiæ cauſas præbuit ille locus.
Hic mihi, dedecoris quæ pars non ultima noſtri eſt,
Naufragii ſcopulus fęmina facta fuit.
Femina prima novo dirum ſcelus intulit orbi:
Perdidit humanum fęmina prima genus.
Exitio fuit illa mihi; mihi tempus in omne
Principium flendi, materiemque dedit.
Illius exemplo miles quoque multa rogavit,
Multaque me falſo compulit ore loqui.
Infeſtis odiis Dominus furiiſque patebat,
Et quiſquis Domini pars erat ulla mei.
Debueram vires, niſi mens mihi nulla fuiſſet,
In tam præcipiti tempore noſſe meas.
Cryſtallus tenui leviter percuſſa lapillo
Frangitur: infirmis cauſa puſilla nocet.

Non

Non benè rimoſæ decurrunt æquora puppes:
Non benè lapſantes fulcit arundo pedes.
Impoſito glacies oneri non apta ferendo eſt,
Quam primo leviter frigore vinxit hiems.
Quæſtat, & in ſumma tantùm fundatur arena,
Subruet impulſam ventus & unda domum.
Per vada, per ſcopulos ſi pandit lintea ventis,
Fertur in exitium ſponte carina ſuum.
Corporibus ſanis afflant contagia virus:
Qui ſapit, hæc vitet; proximitate nocent.
Diſcite poſteritas, exemplo diſcite noſtro
Per non tentandam non dare vela viam.
Nemo ſibi credat, nec adire pericula fidens
Audeat: exitium, qui ſibi edit, amat.
Hæc mihi ſi monito meliùs percepta fuiſſent,
Non mea nunc forſan naufraga cymba foret.

ELEGIA VIII.

Occaſionem probandæ fidei à ſe neglectam eſſe dolet.

AH potiùs nocitura mihi quàm tecta ſubiſſem,
Ultima ſubmotum me tenuiſſet humus!
Aut ſubitos languor nervos ſolviſſet euntis:
Aut ruptum cita mors impediiſſet iter!
Non ego nunc ſeris perjuria noſtra querelis,
Nec Domini flerem ſigna relicta mei.
Impia me diræ læſit vicinia turbæ,
Et nox ambigui plena timore mali.
Quid miſer incuſo tempuſque, hominesque, locumq;
Prima mali, & gravior ſum mihi cauſa mei.
Ipſe locus cauſam virtutis præbuit, & quæ
Multa rogans urſit, quiſve, vel unde forem.
Tunc ego, ſi quando, poteram monſtrare quis eſſem:
Explorant ſtabilem tempora dura fidem.
Ventorum furiis, & miſſa grandine nimbis
Obvia radices altiùs arbor agit.

Qui

Qui tenuis primùm fuerat, ſimiliſque moranti,
A Borea vires concitus ignis alit.
Strenuus ancipiti Martis certamine miles
Se probat; implacidis nauta peritus aquis.
Qui iuvenes noſſet, quibus olim flamma pepercit,
Si non tentaſſent flammaque, rexque fidem?
Paſtor Jeſſides prçiit virtutibus annos,
Invidiam ſoceri paſſus & arma ſui.
Sic ego debueram quidvis ſuperare ferendo,
Temporaque in laudes vertere dura meas.
Nec tamen aut fornax nobis, igneſque parati,
Aut lateri fuerant tela timenda meo.
Strenue bellator, verbo proſterneris uno:
I nunc, atque aude cum moriente mori.
At benè fortis eram, nec ad ulla pericula pallens,
Dum lingua tantum res mihi geſta fuit.
O quantò meliùs, cui nuper facta videndi
Copia, quem numquam viderat antè, diem!
Ille ſuum eſt medicum defendere fortiter auſus,
Quem violare fui turpiter auſus ego.
Illi oculos tribuit, non omnibus utile munus,
Qui lacrymis cauſas ſępè dedere ſuis:
At mihi divinę fontem cognoſcere lucis,
Utque Dei verum ſit genus, ipſe Deus.
Nec miles, nec ſerva mihi convitia fecit:
Acribus exceptus vocibus ille fuit,
Biſſenos inter proceres, ſanctumque Senatum
Dux ego: pars noſtri non erat ille chori.
Non ego Pontificum vultus, quos ille, ſubivi;
Nec mea ſub duro judice cauſa fuit.
Quę me perjurum verbo percelluit uno,
Sordida contemptę fęmina fortis erat.
Sępè ego quęrentes ſtudui celare, quis eſsem:
Non illi pietas diſſimulata metu eſt.
Ille relaturum ſe nil impunè ſciebat:
Pœna fuit capiti nulla parata meo.
Ille ſibi medio ſtetit in diſcrimine pręſens:
Me levis incerti perdidit umbra mali.

Heu

Heu quid agam, cùm verberibus, ſtrictoque tyrannus
  Tentabit noſtram barbarus enſe fidem?
Cùm mea nudatę terrebunt ora ſecures,
  Aut crux ſupplicio fortè parata meo?
Cùm trux impietas uncos, ignesque, rotaſque
  Proferet in ſęvas ingenioſa neces?
Ut veteres redeant animi, diſſidimus illis:
  Suſpectam didici lapſus habere fidem.
Tunc animos mihi, magne Deus, tunc ſuffice vires;
  Aut ego, quod timeo dicere, rurſus ero.

ELEGIA IX.

Ad galli cantum lacrymas ſe tenere non poſſe.

EVocat auroram nimiùm mihi cognitus ales,
  Vicinam quoties ſentit adeſse diem.
Auroram, lacrymaſque meas ſimul evocat ales,
  Nec lacrymis oritur certiùs illa meis.
Tunc vitreo frondes hument, & gramina rore:
  Et mea conſueto lumina rore madent.
Admoneor ſceleris, quod, dum mihi vita manebit,
  Mœroris ſemper cauſa recentis erit.
Omnia tunc ſubeunt, triſtiſſima noctis imago,
  Et ſcelus, & ſceleris conſcia tecta mei.
Aut ego Pontificum videor ſcelerata ſubire
  Limina, quoque priùs, pallidus eſſe metu:
Aut famulos inter jurantia dicere verba
  Perfidus, & gentem diſſimulare meam:
Et modò ſacrilegis mœrens excedere tectis,
  Pectoraque infeſta ſępè ferire manu:
Et modò fuſus humi, vacuoque abjectus in antro,
  De me, deque meo crimine multa queri.
Omnia cùm ſubeant, Domini tamen ora recurſant
  Sępiùs, & lapſum reſpicientis amor.
Tunc pariter redeunt gemitus: lacrimęque per ora,
  Ceu data tunc primùm cauſa fuiſset, eunt.

Eſt

Eſt ſua vis ſignis? pellunt oblivia rerum,
Quodque ſemel factum eſt, non meminiſſe vetāt,
Te quoque te noſtri generis lacrymabilis auctor,
Triſtitiæ dicunt non poſuiſse modum.
Sæpè dies veniens lacrymantem, ſæpè recedens
Repperit: ante oculos arbor & anguis erant.
Auſus eras tangi vetitum decerpere pomum,
Oraque lethifera conſcelerare dape.
Credibile eſt viſos in qualibet arbore fœtus
Luminibus lacrymas elicuiſse tuis.
Credibile eſt, quoties tibi ſe tulit obvius anguis,
Ob veteres anguis te gemuiſse dolos.
Sic, quoties cantat, quaſi, Perfide, diceret ales,
Immemorem culpæ non ſinit eſſe meæ.
Culpa quidem vetus eſt, ſed tam nova ſemper oberrat,
Ut memor in lacrymas totus abire velim.
Perfidiæ noſtræ, quàm quondam, certior index
Non ſurdis, ut tunc, auribus ille canit.
Quid tamen eſt illo nobis opus indice? nunquam
Peccati vox eſt parva futura mei.
Hæc mihi vox trepidas ſemper circumſonat aures,
Hæc mihi, quæ feci, nocte dieque refert.
Cumque meos renovet nullo non tempore fletus,
Flere tamen luctus eſt medicina mei.

ELEGIA X.

Ad S. Petrum, ut lacrymis modum ponat.

PEtre, quid aſſiduis delictum fletibus urges,
Nec triſti ceſſant imbre madere genæ?
Cauſa (nec id neſcis) tua te quoque judice tuta eſt:
Conciliat læſum culpa profeſſa Deum.
Non hominum ritu Deus implacabilis iras,
Irarum quamvis eſt data cauſa, fovet.
Sontibus eſt ſemper facilis, veniæque paratus,
Quos videt admiſſi pœnituiſſe ſui.

Sæpè erat in totas ſparſurus fulmina terras:
Unius ut lacrymas vidit, inermis erat.
Sæpè reos morbis, & iniqui ſideris æſtu,
Sæpè armis voluit perdere, ſæpè fame;
Avertere malum lacrymæ; pœnaſque remiſit,
Et poſuit juſtas ira coacta minas.
Cum lacrymis quæcumque Dei venit ante tribunal
Cauſa, patrocinio tuta potente venit.
At tibi, quæ pridem veniam meruere, Deumque,
Placarunt lacrymæ, ſine modoque carent.
Utque per attritas rivum ſibi ducit arenas,
Quæ riguo manat fonte perennis aqua;
Sic exeſa tibi ſulcos duxere per ora,
Ex oculis imbres qui tibi ſemper eunt.
Non eſt quod metuas: Domini clementia victa eſt:
Materiem luctus ſuſtulit illa tui.
Mille notis in te veterem teſtatus amorem eſt,
Qui nihilo nunc eſt, quàm fuit antè, minor.
Ille ubi poſt Erebi vires Mortiſque ſubactas,
Conſpicuum multa ſe tibi luce dedit.
Num te corripuit? num Vane, aut, Perfide dixit?
Num memor eſt viſus criminiſeſſe tui?
Num tibi, quos dederat titulos, aut munus ademit,
Quo rerum arbitrio tradita ſumma tuo eſt?
Ne tibi mens anceps, ne ſpes dubitabilis eſſet,
Quanta tibi pacis pignora, quotque dedit!
Ipſe tibi voluit, ſimul atque à morte revixit,
Deferri vitæ nuncia prima ſuæ.
O quoties coràm dulcem ſaturavit amorem,
Tractandoſque artus, vulneraque ipſa dedit!
O quoties, & quæ tecum fuit ille locutus,
Paſce meas, toties cùm tibi dixit, oves!
Dixerat, amiſſam ſi de grege ſenſerit unam,
Per ſilvas quærit, per ſata paſtor ovem;
Si reperit, gaudens humeris ad ovile reportat,
Inventamque gregis totius inſtar habet.
Hæc te paſtoris profugam quærentis imago
Tangit, & amiſſam repperientis ovem.

Rep-

Repperit, inventumque ſuo præfecit ovili:
Certius indicium pacis an eſſe poteſt?
Quid quòd in aſſueto captanti gurgite piſces
Adfuit, & dulci te recreavit ope?
Nox erat incaſsùm vano conſumpta labore,
Et radiis undas ſparſerat orta dies.
Dextrorſum pueri jam retia mittite, dixit:
Mittitis, & ſubitum retia merſit onus.
Verba ſuprema ſuis cùm ſtans in vertice montis
Diceret, hos inter tu quoque primus eras.
Tunc tibi complexus iterumque iterumq; ferebat,
Et quæ mille dabat ſigna, favoris erant.
Tunc tibi præ reliquis (& quid dare majus habebat?)
Commiſit pretium ſanguinis ipſe ſui.
Quòd ſi ſunt aliquod veniæ miracula ſignum,
Nunc quoque quàm quondam, plus tibi poſſe datum eſt.
Tunc precibus fuſis, tactuque potente fugabas
Omne genus morbi: nunc ſatis umbra tua eſt.
At cùm te victum feralis carcer haberet,
Quæ domino de te, quantaque cura fuit?
Dicta dies aderat, quæ te ſuprema manebat,
Nec ſpes effugij, nec modus ullus erat.
Captivum ærati poſtes, vigileſque tenebant:
Arctabant nexas ferrea vincla manus.
Aliger è cælo præſtò eſt tibi: fulgor ab illo
Protinus evicta nocte diurnus erat.
Surge age, feſtina, ſumptaſque, ait, indue veſtes,
Et fuge, nilque time: me duce tutus eris.
Vincla vetant, dicturus eras, creberque ſatelles
Excubat æratas pervigil ante fores:
Aſpicis è manibus lapſas cecidiſſe catenas,
Aſpicis obſtructas diſſiliiſſe fores.
Ducentem ſequeris, nec quiſquam ſenſit euntem;
Sopierat vigiles ſomnus, & alta quies.
Liber abis, faſſus, quamvis manifeſta videres,
Credere vix oculis te potuiſſe tuis.

Ipſe

Ipſe Deus vinclis ultrò tibi brachia ſolvit:
  Et dubitas animi vincla ſoluta tui?
Singula quid referam, venię te reddere certum
  De tot pignoribus pars ſatis una poteſt.
Deſine (pacatum perſuadent omnia Numen)
  Detetere aſſiduo deſine rore genas.
Forſan & hinc tua ſpes poſſit minor eſſe videri,
  Ceu Domini notus non ſatis eſſet amor.
Crede quod eſt: tua naufragio ſubducta carina eſt;
  Incolumis portum jam tenet illa ſuum.

ELEGIA XI.

S. Petrus cauſam reddit, cur lacrymis temperare non poſſit.

ARguor immeritò, numquam non juſta recenſque
  Donec ero, flendi cauſa futura mihi eſt.
Non priùs hos oculos lacrymæ, quàm vita relinquent;
  Illarumque idem qui modus hujus erit.
Nec mihi priſcorum ſuperent ſi ſæcula Patrum,
  Lux veniet ſiccis ulla videnda genis.
Non equidem dubito: lacrymas reſpexit amaras,
  Quem toties falſo læſimus ore, Deus.
Ne ſpes deficeret, ne mens incerta labaret,
  Mille dedit nobis ſigna faventis amor.
Vidi ego pacatos vultus, viſoſque notavi;
  Plenaque blanditiis verba loquentis erant,
Non tamen idcircò lacrymæ ſuſpendite curſum:
  Non ego, ſi poſſim, vos tamen ire vetem:
Torrentes, rivoſque aliquando curſus & unda
  Deficit: exhauſtis alveus aret aquis.
Nulla dies ſemper nimbis æqualibus humet:
  Sæpè fugat Boreas nubila ſæpè, Notus.
At vos perpetuis lacrymæ mihi currite rivis:
  Currite: quod fundat, vena perennis habet.

Vos

Vos ego, donec erunt, quę ſunt in corpore, vires
Vos oculo fundam deficiente ſenex.
Non me, cur lacrymer, ſolo de crimine nata
Cauſa movet: quamvis hæc quoque cauſa movet.
Qui flendi cauſam ſolum putat eſſe dolorem,
Fallitur, & ſenſus neſcius ille mei eſt.
Sunt alii fontes, uſuque invenimus illos:
Acriùs ad lacrymas, quàm dolor, urget amor.
Ille meis oculis humentes evocat imbres,
Perque genas, fontis more perennis, agit.
Vividus, & fervens effuſis ignibus ignis
Obruitur: lacrymæ ſunt in amore faces.
Teſtis Jeſſides nobis: quas moverat illi
Culpa priùs lacrymas, continuabat amor.
Audierat lamenta Deus, gemituſque precantis.
Dixerat & Vates, Culpa ſoluta tua'eſt.
Num tamen idcircò lacrymas retinebat euntes,
Aut minus in curſu, quàm fuit antè, dolor?
Lucebat vigiles inter ſuſpiria noctes,
Infeſta tundens pectora ſæpè manu.
Regia nocturno rorabant ſtragula fletu:
Rorabant medio vultus & ore die.
Horrebant artus Tyrio pro murice ſetis,
Squallidaque aſperſo pulvere facta coma,
Tunc quoq; cùm reſonas feriebat pectine chordas,
Quod lyra pulſa dabat flebile carmen erat.
Ante oculos illi commiſſæ cædis imago,
Et violata tori fœdera ſemper erant.
Nec quaſi lenito dubius de Numine flebat:
Jugis erat flendi cauſa, fuiſſe reum.
Qui toties, & tot lacrymas planctuſque cieret;
Neſciretque modum, ſenſus amantis erat.
Transfuga ſic luget, qui fors regemque fidemque
Prodidit; & ſupplex ad ſua caſtra redit.
Si quid adhuc ſupereſt generoſæ mentis in illo,
In regem ſi non excidit omnis amor:
Perfidiæ, quamvis conceſſa eſt gratia mœret;
Et ſibi, quam veniam rex dedit, ipſe negat.

Seque

Seque, quòd à ſignis vecors defecerit, odit:
Hoc memori fixum pectore vulnus alit.
Regia qua fruitur, nutrit clementia luctum;
Vitaque cur miſero ſit quoque acerba, facit.
Turpe licet facinus pulchris abſterſerit auſis,
Vera tamen vox eſt: Perfidus ille fuit.
Hoc eſt quod cruciat, ſtimuliſque tenacibus ægrum
Conficit: hoc redimi ſanguine poſſe velit.
Pejor cauſa mea eſt; Domini clementia major:
Meque aliquis fletum ſiſtere poſſe putet?
Ipſe mihi, Lacrymas inhibe, ſi dicat, obortas,
Deprecer uſque adeò flenda ruina mea eſt.
Ut ſpes, & veniæ tot jam data pignora nobis
Ire vetent illas, ire jubebit amor.
Non eadem eſt ratio lacrymas in amore tenere,
Et damni ſenſu: fortiùs ille movet.
Immemor eſt damni, tumido quod in æquore fecit
Inſtitor, amiſſas dum reparavit opes:
Verùm ſi quis amet, læſiſſe dolebit amantem
Tunc quoque, cùm fuerit conciliatus amor.
Nec ſemper lacrymas oculis dolor exprimit: ille.
Tempore decreſcit, tempore creſcit amor.
Creſcit in immenſum, ſi quæ fert vulnera læſus,
Non niſi muneribus vindicat illa ſuis.
Contigit hoc nobis; non vindex Numinis ira
Perjurium triſido perculit igne caput;
Nec mihi jus regni, nec ſummum munus ademit,
Crimine quæ noſtro perdere dignus eram.
Nec leviter ſaltem duriſſima quæque merentem
Arguit, aut vultu triſtitia ſigna dedit.
Quin etiam verbis ultrò eſt ſolatus amicis,
Offenſę viſus non meminiſſe ſuæ.
Credibili majora dedit; poſſimque videri
Flagitiis illum demeruiſſe meis.
Quid mihi ſplendidius, quàm quod dedit, ille dediſſet,
Parte fides nulla ſi mea lapſa foret?

Si

Si vinctum, & poſita jam ſtantem ad verbera veſtè
  Texiſſem objectu corporis ipſe mei ?
Si factis animos, promiſſaque magna probaſſem,
  Altaque ſignaſſem ſanguine verba meo ?
Poſteritas credeſne, reo tot ſigna favoris,
  Et data poſt ruptam præmia tanta fidem ?
Sim lapis, aut durum mihi ſit pro pectore ferrum,
  Si mea me lacrymas ſiſtere cauſa ſinat.
Tempore ſe nullo, nullis ſe fletibus umquam
  Egerit à læſo motus amore dolor.

ELEGIARUM

LIBER SEXTUS.

VOTA
SERENISSIMO ARCHIDUCI
LEOPOLDO.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EM. ROMA MANUEL

ELEGIA I.

Fauſti anni apprecatio.

LÆta dies, feſtæ Jani venere Kalendæ:
Concipienda bona ſunt bona verba die.
Sint procul hinc gemitus, lacrymæque, & verba dolentum:
Threicium queſtus in mare ventus agat.
Illa priùs fuerint: at nunc, te ſoſpite, Princeps,
Gaudia quis teneat, votaque, ſpeſque ſuas?
Nunc tacuiſſe nefas: precibus non compita fauſtis,
Non fora, non vici, non domus ulla vacet.
Nos quoque (namque omnes communia gaudia tangunt)
Pars erimus populi parva precantis idem.
Belgica non periit, certæque erepta ruinæ eſt,
Acceptumque tibi non periiſſe refert.
Non periiſſe parum eſt: aliquâ ſibi reddita parte,
Reddita qua nondum eſt, ſi modò vivis, erit.
Tempus ad hoc lacrymis, & longo ſqualIida luctu,
Et referens habitum temporis ipſa ſui.
Fortis, at infelix, & jam propè cladibus impar
Protinus ad nomen ſuſtulit ora tuum,
Et lacrymas tergens: Nunc o ſperabimus, inquit;
Qui mihi, quæ patior, vincula demet, adeſt.

Dixerat: & cælum juſſit pia vota valere,
  Armaque ſucceſsus mox habuere ſuos.
Talibus auſpiciis ſpe, dixit, plena futuri:
  Vota canat vates qui mea, nullus erit?
Ille ego ſim vates: ex me tua gaudia, Belga,
  Præcipe, funeſtis eripiende malis:
Et votis tua junge meis. Si convenit ullo,
  Solvere tàm læto convenit illa die.
Ipſe Puer, Puerique Parens, quibus hoſpita Bethle
  Præbuit è canna, ſtraminibuſque domum,
Aſpirent faciles, & publica vota ſecundent,
  Et jubeant noſtras pondus habere preces.
Tuque adeò Belgi præſes LEOPOLDE voluptas,
  O Patriæ per te ſpem capientis amor,
Huc ades, & vultu, quo pectora noſtra ſerenas,
  Plaudentum votis, omnibuſque fave.
Utque diu faveas, tibi, ſpe felicior annus
  Hic qui nunc oritur, quique ſequentur, eant:
Et melior ſemper, meliorque priore recurrat,
  Et longùm felix armaque, noſque regas,
Sit Superis, ſit cara tuis, nec deſinat antè,
  Æquarit Pylios quàm tua vita dies.
Quæque hilares, animi certiſſima pignora noſtri,
  Vota tibi, ut dignum eſt, ore favente damus,
Tam non vana, precor, nec ſint ſine pondere rerum,
  Quàm non eſt vanus, qui dare juſſit, amor.
Illa, precor, vultu tam conveniente diei
  Accipe, quàm votis convenit ipſa dies.

ELEGIA II.

Vota Belgarum.

NOn ego finierim poſito pia limite vota:
  Quò Patriæ pietas me jubet ire, feror.
Æquora littoribus, cohibentur flumina ripis:
  Metitur ſpatiis Terminus arva ſuis:

Odit

Odit amor fines. Quis enim ſit finis amori?
Ille modum votis non finit eſſe meis.
Quot frondes redeunt ſilvis, quot gramina campis,
Quot flores pulſo frigore fundit humus;
Tot tibi, Belgarum Lux o LEOPOLDE tuorum,
Eveniant rebus vota ſecunda tuis.
Auſtriadum faſtos patriis virtutibus imple,
Et Divum, atque hominum digna favore gere.
Tamque tuum nomen ſit formidabile Gallo,
Quàm Belgæ quàm Rex, quàm Deus illud amãt.
Ut pavidi trepidant aquila veniente palumbi:
Ut fugit inſtantes territa cerva canes:
Ut procul audito cedunt armenta leone;
Sic fugiant vultus agmina verſa tuos.
Quid non cauſa valet? calcar pugnantibus addit,
Et facit, ut fortes fortiùs arma gerant.
Qua melior parte eſt, non eſt ſuperabilis armis.
Vim vi dum ſuperat, bina trophæa refert.
Ut cauſa vincis, ſic armis vincere perge,
Et geminæ titulum laudis ab hoſte refer.
Et quàm juſta geris, tam ſint quoque proſpera bella
Inque tuo vires milite cauſa juvet.
Sic erit, ut victrix toties tibi Belgica plaudat,
Invicta quoties ſumpſeris arma manu.
Laurigerique arcus, ductæque ad ſidera moles,
Inſcriptos titulos, & tua bella gerent.
Sic arva agricolis, ſic reddas civibus urbes;
Et bello tollas triſtia bella tuo.
Poſteritas per te longa ſic pace fruatur,
Teque patrem patriæ libera ſæpè vocet.
Flumina tunc lactis, tunc mellis flumina currant,
Sanguineis toties quæ rubuere viis.
Sint faſti & ſtatuæ rerum monumenta tuarum;
Sint animi memores major imago tamen.
His Amor in faſtis tua geſta & nomina ſcribat,
Annaleſque docet pectora noſtra ſuos.
Arboribus teneris Corydon inſcribat Alexin,
Aut Paris Oenones nomina falce notet.

Illi corticibus ſcribant ſibi cara ſuorum
Nomina; nos animis pectoribuſque tuum.
Idque tibi placeat: nec enim non gaudia ſentis,
Quæ tuus in noſtro pectore nutrit amor.
Hunc potes è tacito populi deprendere vultu,
Dum properat vultus quiſque videre tuos.
Undique concurrunt: labor eſt inhibere ruentes:
Dulce premi eſt, turbam non capiente loco.
Non vidiſse ſat eſt: redeunt, renovantque videndo
Gaudia: non oculi, non ſatiatur amor.
Quod cupiunt omnes, cur non datur omnibus illo,
Quod patriæ faciem ſuſtinet, ore frui?
Intereà cupientûm oculos tua paſcat imago,
Effigiemque animi præferat illa tui.
Quam quicumque videt, ſua faſſus gaudia, dicat:
Hic vir, hic eſt, cujus gens ope ſalva ſumus.

ELEGIA III.

Vota ex victoriis Belgicis.

DIcite io Pæan: cumulat Victoria lauros.
Quidquid conatur vincere, victor habet.
Vos eritis teſtes, Gallum quibus expulit, arces,
Oppidaque hoſtiles non benè pacta manus.
Tuque adeò ante alias meritò Armenteria gaude,
Protinus excuſſo libera facta jugo.
Primitiis, quæ ſpem nobis animoſque reducunt,
Victoris debes eſſe ſuperba tui.
Venerat Auſtriades, & quem pugnare paratum
Nondum crediderat Belgica, victor erat.
Sic Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia fulmen
Vix benè conſpecto, quà venit, igne ferit.
Auſpicium felix laurus ſit prima futuri:
Principiis inſunt omnia ſæpè ſuis.
Cominii turres, foſſæque & mœnia Lendi
Curſibus obniti non potuere tuis.

Lan-

Landreſium ceſſit, quod inexpugnabile Fama
Fecerat: hoc cedant oppida plura modo.
Quid Dixmuda gemis? ſpes tanto vindice dignas
Concipe triſte diu non patiere jugum.
Non illum terrent Alpinæ robora pubis,
Nec quæ tu captam millia multa tenent.
Ecce venit: veniſſe fuit propè vincere: cingit
Mœnia: pugnatur: fortior ille fuit.
Urbs hæc victa tibi cauſam LEOPOLDE triũphi
Cùm dedit, ipſa ſibi vincere viſa fuit.
Hæc eadem nondum captas ſpes erigit urbes,
Cœpiſti terra vincere, vince mari.
Ipſe pater Nereus tibi Dunckercana recludet
Mœnia, quæ magno pulſa tridente quatit.
Nec minùs indignans Gravelingæ clauſtra teneri,
Auſpiciis franget protinus illa tuis.
Tunc tibi Portunus, Phorcique exercitus omnis
Victori plaudent, inſtituentque choros.
Tunc canet inflata Triton tua nomina concha,
Libera cæruleis per freta vectus equis.
Hei mihi! viſceribus patriæ gravis incubat hoſtis!
Liſa pater captis debilis errat aquis.
Te tua difficili virtus commiſit arenæ:
Undique te mœrens Flandria poſcit opem.
Quid facias? populos curam partiris in omnes:
Nec te ceſſantem turbida vidit hyems,
Illa quidem nimbis & multa grandine cœptis
Obſtitit: at ſpes non abſtulit illa tuas.
Qui Cortracenam media inter frigora laurum
Non tulit, hanc primo Mars tibi Vere ferat.
Quam vocat inſultans Flandrorum Gallia frænum,
Signa brevi miles figat in arce tuus.
Eventura precor. Votis Victoria tantis
Annuit, & lauro ter bona ſigna dedit.

ELEGIA IV.

Vota pro incolumitate Sereniſſimi Princi-pis.

I Felix LEOPOLDE: tuis Victoria caſtris
Prætendit nivea laurea ſerta manu.
Vincere te videat toties, & ſæpiùs æſtas
Proxima, quàm vidit quæ modò lapſa fuit.
Excitet audentem pugnax, inimicaque paci
Gallia: laus forti major ab hoſte venit.
Auxit Iuleos Pompei fama triumphos;
Hannibalis virtus Scipio magne tuos.
Romana toties Carthago clade ſuperba
Romanæ nomen gentis in aſtra tulit.
Aneæ Turnus nomen dedit; Hector Achilli:
Te quoque plus magno laudis ab hoſte manet.
Sic tamen & muros, & ſic hoſtilia rumpas
Agmina, ne nimiùm ſtrenuus eſſe velis.
Veniſti ſoſpes per mille pericula: ſoſpes,
Ad quæ veniſti bella gerenda, geras.
Parciùs incerti ſubeas diſcrimina Martis,
Ne patriæ tecum ſpes quoque lapſa cadat.
Qui te cumque manent inter fera prælia caſus,
Et nos (non potes hoc ipſe negare) manent.
Una ſalus nobis, unum & commune periclum eſt:
Ah per te ſalvos, quod cupis, eſſe ſine.
Tu noſtris votis, nos te LEOPOLDE fruamur:
Soſpite te duret Numinis ille favor.
O precor, o potiùs madeant hoſtilia noſtro
Sanguine, quàm fiant tela cruenta tuo.
Illa dies bellum nobis, hoſteſque timendos
Redderet, antiquis obrueretque malis.
Cùm ferret medios Æneas ſacra per ignes,
Altera, ſacra, deos, altera ſacra, patrem,
Flamma viro, medios ibat quacumque per hoſtes,
Ipſaque narrantur tela dediſse viam:

Sic,

Sic, quoties tua te virtus in fervida mittet
  Prælia, dent acies, dent tibi tela locum.
Non tamen ut ſerves, tu te ſervare labora,
  Ne pars officii clauda ſit ulla tui.
Cur te, cur toties media inter tela videmus
  Spernentem vitæ certa pericla tuæ?
Ah precor, à cæco ne patria pendeat ictu!
  Gloria jacturæ eſt iſta timore minor.
Sat tibi ſit toties aures & tempora circum
  Quot ſtridiſſe globos, tot volitaſſe neces.
Sit ſatis hoc criſtas ſemel excuſſiſſe comantes,
  Tamque ſuis carum non violaſſe caput.
Sic tua ſit fortis, ne ſit temeraria virtus,
  Exitio multis nil timuiſſe fuit.
Hoſtis in exemplo eſt: ad Lendi mœnia nuper
  Contra te miſſum ſcis periiſſe Ducem.
Dum ruit hic præceps, dum muros urget ad ipſos
  Agmina, trajectus tempora glande cadit.
Imperet agminibus ductor, ſeu concutit armis
  Oppida, collato ſeu pede ſigna movet:
At quoties laudum rapit immoderata cupido,
  Tunc ſibi, tunc animis imperet ipſe ſuis.
Si tibi non timeas, timeas fortiſſime nobis:
  Tota ſalus Belgi ſtatque caditque tua.
Dic, quoties pulchræ tangere cupidine pugnæ:
  Ut ſe conſervem Belgica tota rogat.
Scimus te nullo belli terrore moveri:
  Sed patriam tecum perdere, noſque time.
Te timor in mediis hic unus terreat armis:
  Securos faciet nos tuus iſte metus.
Triſte quidem durumque duces cecidiſſe minores,
  Queis amor eſt vitæ laudis amore minor.
Sed tamen hoc minùs eſt, hoc eſt reparabile damnū;
  Te plus quàm belli ſis memor eſſe ducem.
Non omnes madeant Leopoldi ſanguine, qualis
  Qui domui Auguſtæ ſcuta cruenta dedit.
Chriſtiadum Tyrio fulgebant littore ſigna,
  Et Solyme pretium, cauſaque Martis erat.

Jamque ferox Acon, nec adhuc ſuperabilis armis
Pertulerat longas obſidione moras.
Altera currebat fruſtrà pugnantibus æſtas,
Et longo feſſus tempore miles erat;
Auxilio Leopoldus adeſt, & ad arma morantes
Incitat, & belli ſuſtinet acer onus.
Cauſa dabat vires: cauſam tutantibus armis
Irruit, & valido mœnia Marte petit.
Non aliter, quàm cùm Libycis impaſtus in arvis
Arma movet viſo cominus hoſte leo.
Qui vigor oris erat? qualis pugnantis imago?
Horruit Auſtriacas barbara turba manus.
Candida veſtis erat molli de vellere Serum;
Nec color in tota, quàm nivis, alter erat.
Cingebat mediam gemmis inſignis & auro
Balteus; hoc uno diſcolor illa fuit.
Dicere difficile eſt, in quæ diſcrimina fidens
Iverit agminibus prævius ipſe ſuis.
Emicat in muros, & plenam milite turrim
Occupat, & ſtricto qualibet enſe ruit.
Corpora denſa cadunt: vultus victoris, & arma,
Dexteraque hoſtili ſparſa cruore madent.
Candida quæ fuerat, nivibuſque ſimillima veſtis,
Sanguine, ceu Tyrio murice, tota rubet.
Balteus exuitur: veſtis, qua balteus illam
Vinxerat, hac tantùm candida parte fuit.
Prodigio ſimile eſt inter tot cædis acervos
Victorem adverſa non cecidiſſe manu.
Ah ne tanta tibi ſubeat præcordia virtus!
Eventus ſemper non habet illa bonos.
Per Superos, qui te ſolito tutantur amore,
Succeſſumque armis dantque dabuntque tuis:
Per te, per patriam, quæ te tibi carior ipſo eſt,
Quæ, ſi quid pateris, ſe putat ipſa pati:
Per conſanguineum, quo pugnas auſpice, Regem,
Quo pia pro Belgis arma rogante geris:
Per tibi tam morum & virtutis imagine fratrem,
Quàm vultu ſimilem, dimidiumque tui;
Parce

Parce tibi, tantoſque animos, ut cętera, vince:
Materiam, qua ſis hic quoque fortis, habes.
Sic, quem tot curis, factiſque, animoque mereris,
In te Belgarum creſcere pergat amor.
Sic omnes capias, quas milite cinxeris urbes;
Iſtaque ſit belli propria fama tui.
Sic Ligeris fracto, ſic fracto Sequana cornu
Vincla ferat, noſter quæ modò Liſa tulit.
Sic tibi, qui bello tentat nos perdere, cedat,
Damnaque quæ nobis intulit, ipſe ferat.
Aut potiùs Reges æterno fœdere jungas,
Et ſuperes hoſtes hac quoque parte tuos.

ELEGIA V.

Vota ex rebus in Germania geſtis.

QUid tibi præſidium quereris Germania raptum?
Cur Belgæ tibi gens invidioſa ſumus?
Non tibi, qui nobis LEOPOLDVM donat, adem.i:
Nec qui nuper erat ſpes tua, totus abeſt.
Hic etiam geret ille tuis lætiſſima rebus
Prælia, nec vindex deſinet eſſe tuus.
Hic etiam reprimetque tuos & proteret hoſtes,
Et pariter nobis, & tibi victor erit.
Auſtriacæ gentis, quovis ſub ſidere, bella
Sunt tua: commune eſt, quod gerit illa domus.
Tu damnis LEOPOLDE, & utriq; nocētibus armis
Pone (quòd hæc à te ſperat, & illa) modum.
Sentiat abſentem Germania, ſentiat abſens
Quæ geris hic nobis, & ſibi bella geri.
Te veniente metum nuper poſuere Boemi.
Indecori Sueones terga dedere fugæ.
Bannerium plauſis exultans fluctibus Albis
Vidit ab Herciniis vertere ſigna jugis:
Vidit & ille tuo mox urbes Marte receptas,
Alluerat mœſtis quas modò captus aquis.

Praga tibi plauſit, plauſerunt Cæſaris arces,
Grataque pro ſalvis dona tulere focis.
O ita, qui captis nunc it mœſtiſſimus undis,
Liſa pater ripa liber utraque fluat!
Auſpice te videat, quas præterlabitur, urbes
Gallica de muris vellere ſigna ſuis.
At ſecura ſatis nulli eſt victoria: ſæpè
Proxima ſunt magnis fata ſiniſtra bonis.
Ah ne corrumpat clades inopina triumphum!
Hei mihi! dedecoris, quod tulit, ultor adeſt.
Bannerius ſocias acies, & Gallica ſecum
Caſtra trahit: magnas parturit ira minas.
Undique te, Princeps, ceu clauſum indagine, tentat
Cingere: ſpes animo non capit ipſe ſuas.
Sala pater, dixit, quot adhuc ſub gurgite volves
Corpora! ſanguineis decolor ibis aquis. (tur
Da captas LEOPOLDE manus: nunc victa trahe-
Auſtria: nunc Rhenus noſter & Albis erunt.
Quid tibi grataris? ſpes improbe pone ſuperbas.
Supprime vindictæ gaudia vana tuæ.
Quid fidis numerò? numero concurrere virtus
Non timet: agminibus plus valet illa tuis.
Nec ego vana loquor: paucis ot millia contra
Stant animis, Princeps quos facit ipſe ſuis.
Nil acies illum, Martiſque tonitrua terrent,
Telaque, quæ Scythica grandine plura volant.
Bannerius vinci indignans frendetque doletque:
Tam modò terribilis, territus ipſe fugit.
Auſtriades ſequitur, profugiſque acerrimus inſtat.
Quid virtus umquam pulchrius auſa fuit?
Excipit attonitus fugientum ſigna Viſurgis;
Excipit, & mediis illa tuetur aquis.
Victor ades: tibi Sala, tibi lætiſſimus Albis
In ripis ſtatuent vota trophæa ſuis.
Sic iterùm, ſic ſæpè novos molire triumphos:
Mars tuus hoſtiles hic quoque frangat opes.
Ecce ſuis Gallus fidens ſucceſſibus inſtat;
Et ſua, quæ voto præcipit, eſſe putat.

Jam

Jam mare, jam tellus, jam nobis Flandria ſervit,
  Totaque jam noſtri eſt Belgica juris, ait.
Has voces LEOPOLDE feras? compeſcere perge
  Spes tumidas armis altaque verba tuis.
Cujus viderunt trepidas, te terga premente,
  Neccarus, & Rhenus, Danubiuſque fugas:
Sentiat hic etiam tua quid manus armaque poſſint;
  Sentiat, & laudis ſit nova cauſa tuæ.
Slangius ut quondam, ſic quos hic fregeris, hoſtes
  Submittant pedibus ſignaque ſeque tuis.
Qualis ubi coluber gelido caput extulit antro,
  Sibilat; & torto pectore radit humum:
Igne micant oculi: turgeſcunt colla veneno:
  Cæruleis livent ſquamea terga notis:
At ſi tranſierit medium rota, colla reſidunt;
  Torpeſcit poſitis lingua triſulca minis.
Haud aliter tumidas acuebat Slangius iras,
  Sævitiem vincens nominis ipſe ſui.
Jam prædæ devotus erat cum conjuge Cæſar,
  Creditaque Auſtriadum pænè ruina Domus.
Tu tantis elatum animis, tu vana moventem
  Opprimis, & captum captaque caſtra trahis.
Quis fuit ille dies, quo Cæſar vidit inermem
  Ante pedes flexo procubuiſſe genu!
Lernæum preſſis iterùm cervicibus anguem
  Herculea domitum credidit eſſe manu.
Audiit, & vultu faſſus pallente timorem
  Bannerius vires horruit ipſe tuas.
Terga iterùm vertit (neque enim ſpes altera reſtat,
  Signaque præcipiti pulverulenta fuga.
Quò fugis ah demens? fugias ut Cæſariſenſes,
  Non fugies animi vulnera cæca tui.
Te pudor, & Luctus, miſtoque Inſania luctu
  Inſequitur, quovis acrius hoſte malum.
Has in te victor Furias, quibus æger, & exſpes,
  Impatienſque tui conficiaris, agit.
Nequidquam turpemque fugam, clademque tuorum
  Interitus cauſas eſſe querere tui.

Hæc de Bannerio, toties quem Rhenus & Albis
  Horruerant, Marti palma relata tuo eſt.
Sic hoſtis fugiat, qui te Belgaſque laceſſit,
  Et cadat in media, fractus, ut ille fuga.
Auſtria gaviſa eſt Suecis ſecura repulſis:
  Gaudeat æternùm vindice tuta ſuo.
Quis tunc, quis rurſum terror fugientibus alas,
  Cùm victor profugos inſequerere, dedit!
Quantus erat ſudor properantibus, Haſſia donec
  Vallum iterùm feſſis perfugiumque fuit!
Quid loquar Auguſtæ, quid Brunæ mœnia famæ,
  Argumentum ingens materiemque tuæ?
Mars tuus hanc atque hanc cingentia caſtra fugavit:
  Oppida ſunt multis, te duce, capta locis.
Te ſua damnavit cogente Ragotzius arma:
  Vindice te tellus Norica ſalva fuit.
Mox iterùm ingenti concuſſa Boemia bello:
  Mox iterùm ſoſpes te veniente fuit.
Belgica tolle animos, luctumque in gaudia verte:
  Gaudia, ne dubita, ſpe quoque plura feres.
Quid tibi non virtus tantis exercita rebus
  Spondeat? auſpiciis eſt tibi nota ſuis.
Illa tuas armis repetet victricibus urbes,
  Illatis hoſti cladibus ulta tuas.
Illa tibi pacem, juſto quam Marte repoſcit,
  Et cujus ſolo pugnat amore dabit.

ELEGIA VI.

Vota ex aſcititiis Sereniſſimi inſignibus, quæ ſunt Crux, ad cujus truncum duæ lauri eminent: in altera Crucis parte expreſſus oculus, ex altera frenum pendet: ad pedem hinc agnus, illinc leo.

NOn ego nunc aquilas, non lapſa ancilia cœlo,
  Imperii referam pignora, Roma tui:
Non pictos clypeis gryphas, formaſque luporum,
  Cinctaque vipereis Gorgonis ora comis:

H Nec

Nec quæ ſublatis fuerit reverentia ſignis,
Tunc quoque cùm fœni, ſigna, maniplus erant.
Signa, decus belli, vireſque animoſque juventæ,
In fera cùm rueret prælia, viſa dabant.
Signa etiam in medios ſi dux conjecerat hoſtes,
Non repetiſſe nefas, & grave crimen erat.
Sæpè ſub his magni firmabant fœdera reges,
Et fidei teſtes hæc tetigere ſuæ.
At non, ut veteres illis reddantur honores:
Contulerim ſignis hæc, LEOPOLDE, tuis,
Quid poterant gryphum, ſimulacraq; vana draconū?
Quid picti poterant, effera monſtra, metus?
Crux tua, cælicolis etiam venerabile ſignum,
Militiæ non eſt omen inane tuæ.
Crux olim celo fulſit manifeſta ſereno,
Dum vidit mundi Roma coire manus.
Vox ſimul audita eſt: Hac pugnes auſpice Cæſar,
Victor eris; pugnat: nec mora, victor erat.
Ex illo ceſſere aquilæ, pictique dracones,
In manibuſque crucem ſignifer omnis habet.
Salve Cęſareis ferri digniſſima caſtris,
Auſpicium ſemper grande datura tuis.
Tu vires, animoſque facis: tu barbara terres
Agmina: tu fortes ducis in arma manus.
Tu facis ut lętos referant ex hoſte triumphos
Qui pugnas ineunt, te pręeunte, duces.
Auſpice te vincat LEOPOLDUS, vicit ut ille,
Qui te primùm inter bellica ſigna tulit.
Te quoque, te patriis fulgentem inſignibus addit,
Et movet auxiliis, quę gerit, arma tuis.
Ille, tibi quoties aquilas ſubmittet & haſtas,
Speratam toties experiatur opem.
Non fruſtra geminas circum tua robora lauros
Fixerit, auſpiciis debita ſerta tuis.
Huc etiam tendunt vigiles in pectore curę,
Quas, ut te ſervet, Belgica, ſemper habet.
Excubat, & partes animum diffundit in omnes,
Et vigiles oculos ſemper in hoſte tenet.

Con-

Conſilia explorat: neglectum ſi quid ab hoſte eſt,
  Occupat: inſtructos prævenit arte dolos.
Omnia ſollicitus circumſpicit, omnia verſat:
  Exactum, ſi quid proſit, & obſit, habet.
Hoc eſt, quod præfert oculi vigilantis imago;
  Officii ſeſe ſic monet ipſe ſui.
Profuit hoc noſtris, proſit venientibus annis,
  Tutaque det Belgis otia cura Ducis.
Vincat, & oppreſſas Gallis extorqueat urbes
  Illorum victor, nec minus ipſe ſui.
Magnus uterque labor; ſed ſeſe vincere major;
  Eſt hæc, ſitque animi laus LEOPOLDE tui.
Frena Pelethronii Lapithæ reperere domandis,
  Quos nondum ad bellum finxerat uſus, equis.
Frena docent celeres effuſum in pulvere curſum
  Siſtere, & exiguo flectere in orbe pedes.
Eſt vigor, eſt præceps altis & vividus ardor
  Mentibus, & frenis impetus omnis eget.
Cùm ſcuto, Dux magne, tuo fulgentia jungis
  Frena, jubes omnes ſcire quid iſta velint.
Scimus, ſuſpicimuſque animi ſe ſigna regentis:
  Sic benè; ſic longùm teque tuoſque regas.
Cùm pulſos Iſtro Sueonas, cùm libera Pragæ
  Mœnia, cùm Slangi vincula fama canit;
Cùm Landracenas lauros, Liſamque receptum,
  Et Dixmudano fixa trophæa ſolo;
Plus laudum ſupereſt; victoria pulchrior una
  Omnibus eſt, animum vincere poſſe ſuum.
Una ſui vera eſt victoria. Quid juvat hoſtem
  Viciſſe & vitiis ſuccubuiſſe ſuis?
Præcipuum vicit, qui ſe benè vixerit, hoſtem:
  Pulchrior è nullo pulvere palma venit.
Hic ſuperat reges, & regum culmina victor,
  Imperiumque ſibi latius orbe dedit.
Ille poteſt agnos pariter ſævoſque leones
  Jungere, nec dubia conciliare fide.
Ille ſuos, nullo mentem turbante tumultu,
  Seque regit placidus, fortis ad arma tamen.

Quæ

Quæ fuit Auguſtæ, queque eſt Clementia ſemper
  Fama Domus, vires temperet illa tuas.
Utque facis, doleas, cùm cogeris eſſe ſeverus,
  Solaque agat partes ira coacta ſuas.
Quæ populo tantùm per ferrum & vulnera proſunt,
  Ultima curandis ſint medicina malis.
Aſpice, quém Leopolde times: ignoſcere promptus
  Inſtruit invitas fulminis igne manus.
O bené, quod DOMINI ſcuti frons ſumma TIMOREM.
  Sed magis inſcriptum mens tua ſemper habet.
Huic uni parere labor bellique, domique
  Eſt tuus: huic uni diſplicuiſſe times.
Felix, qui didicit, quem tu LEOPOLDE timere,
  Eſſe memor regno ſub graviore ſuum.
Strenuus, impavidusque, & ſe generoſior ipſo
  Rem gerit: audentem proveh t ille timor.
Hic tibi te dignos generoſi ſanguinis ignes.
  Suſcitet: hoc felix auſpice bella geras.

ELEGIA VII.

Vota ex honeſta animi relaxatione.

NOn bené continuus fertur labor; otia poſcit.
  Otia dant animos feſſaque membra levant.
Cui juga ſudanti ſolvit cervice colonus,
  Fortiter & longo tempore taurus arat.
Qui demptis ad plena ſteterit præſepia frenis,
  Iſthmiaco meliùs pulvere currit equus.
Deficiet ſenſim, qui ſemper tenditur arcus:
  Ferre negat ſegetes irrequietus ager.
Apta quies operi: quod habet requiemq; modũque,
  Durat opus. Virtus exigit ipſa modum.
Corpora de duro non ſunt mortalia ferro:
  Nec ſilicum venas membra, nec æris habent;
Et tamen aſſiduo ferrum conſumitur uſu,
  Aſſiduus lapides uſus & æra terit.

Hoc

Hoc ſenſit, poſuitque Deæ delubra Quieti,
Thuraque Cecropidas Roma ſecuta dedit.
Illi ſæpè duces tenero de flore coronas,
Grataque ſuffuſo dona tulere mero.
Grande geris, Princeps, & quod mortalia frangat
Pectora, ſi nulla parte levetur onus:
Nix, & hiems, pluviæque graves, & pulvis, & æſtus,
Et vigiles noctes, ſollicitique dies,
Præliaque, & validis repetendæ viribus urbes,
Et non ſpernendo juſtus ab hoſte timor;
Pars onerum, ſed pars quota ſunt LEOPOLDE tuorum,
Quæ te ſollicitum nocte dieque tenent?
Tamque gravis toto te moles urgeat anno,
Nec placidos habeant tempora dura dies?
Cur alia ex aliis omni te tempore cura
Maceret, & noſtris conficiare malis?
Ipſe tuus miles non ſemper degit in armis:
Sæpè caput galea nudat & enſe latus.
Tu quoque ſollicito clypeum de pectore ſolve;
Et galea vertex, & vacet enſe manus.
Caſſide depoſita citharam tractabat Achilles,
Molle movens plectrum qua prius arma manu:
Qua Turnus caſurus erat, venabula torquens
Perculit errantes dextera ſępè feras.
Cùm freta ſulcaret fugiens Salamina patremque,
Nec fuga dura minùs, quàm pater ipſe foret:
Sæpè caput viridi Teucer vinxiſſe corona
Dicitur; & curſus ſuſtinuiſſe ſuos;
Et ſociis dixiſſe: Graves jam pellite curas,
Æquoreum velis cras repetemus iter.
Tu quoque, dum noſtris expellis finibus hoſtes,
Oppida dum Domino reddis adempta ſuo,
Temporibus mediis animum laxare memento,
Ut quibus es, poſſis utilis eſſe diu.

ELE-

ELEGIA VIII.

Vota ex Venatione.

CEſſat Martis opus: juvat interrumpere curas:
Venatum in ſilvas, dum licet, ire paras.
Nobilitas in equis coit; & delecta juventus,
Exultatque tuum cingere poſſe latus.
Ire juvat: ſilvis tibi mens nunc errat in altis,
Et videt excitas inſequiturque feras;
Aut agilem cervum; aut metuendū dentibus aprū,
Quos petit auguriis & capit ante ſuis:
Dum reſonant ſilvę ſtrepitu juvenūque canumque,
Sit precor inceptis ęqua Diana tuis:
Ite viri, Diana vocat: cava murmure rauco
Cornua, latratu ſigna dedere canes.
Tuque ades o LEOPOLDE: vocant te luſtra ferarum,
Nec tibi nec votis invia luſtra meis.
Seu jubeas caſſes, nodoſaque retia tendi,
Incidat in caſſes plurima prędа tuos.
Seu valido excuſſum mittes haſtile lacerto,
Sint tua, quod Cephali tela fuiſſe ferunt.
Tot tibi ſternendas, Trivię quot Mænalus olim,
Prębeat; aut plures regia ſilva feras:
Sive canes in apros, trepidoſque hortabere cervos,
Inficiant multo ſanguine roſtra canes.
Sed tamen oblatę capias ſpectacula prędę,
Quique canes inſtent, quotque, quibuſque modis:
Ut primus det ſigna ſagax cum fratre Melampus,
Utque feram è latebris primus Hylactor agat.
Tum videas celer ut Pterelas, Lęlapſque Thouſq;
Et Dromas in prędam, Theridamaſque ruant.
Eripiat pernix ut ſe fera morſibus ipſis,
Jam tibi, jam ſociis, iam ſibi viſa capi.
Dumque plagas conata levi tranſmittere ſaltu
Emicat, Hylęo crura tenente cadat.

Pro-

Proximus ut tergo Leucon, ut inhæreat armo
Fortior admonitu facta Lyciſca tuo.
Denique, ne carmen curſu ſit tardius ipſo,
Agmen ut in captam convolet omne feram.
Hæc tibi dum mediæ dant oblectamina ſilvæ,
Militiæ ſpeciem finge videre tuæ.
Inſidiis captare feras, aut ſternere telis,
Martis neſcio quid bella moventis habet.
Venator, mileſque ſuis præcingitur armis,
Remque ferox animis, ingenioque gerit.
Hic ſuperat muros; ille aſpera culmina montis.
Hic urbes ſepto claudit; at ille feras.
Militis eſt ventis, & iniquis ſolibus uri,
Et gelido denſas ſub Jove ferre nives;
Nec, prædæ quem raptat amor, cauſſabitur æſtus,
Nec ventos, & aquas, arvaque dura gelu.
Ardet uterque ſequi, quo ſpes eſt poſſe potiri:
Exultat ſpoliis victor uterque ſuis.
His precor ut ſpoliis victor cumuleris, & illis;
Fauſtaque det Martis ſigna Diana tui.

ELEGIA IX.

Vota ex aucupio.

HEc tibi, quod ſpectes, vacuus non præbeat æther:
Venantum ſtudiis campus & ille patet.
Utque patet, faveat. Volucrum inter nubila pugnæ
Oblectent oculos detineantque tuos.
Aſpicis? en motu placido, ſimiliſque natanti
Aerium pennis ardea findit iter:
Inſonuit pariter pugno dimiſſus herili,
Speque celer predo præmia viſa petit.
Radit humum pernix, ductiſque per aera gyris
Surgit, & in nubes inſidiator abit.
Illum oculi rapido ſuperantem nubila niſu
Pæne negant acie deficiente ſequi.

Illa

Illa timet, quantumque poteſt attollit in auras
  Se quoque, ſed pennas lentiùs hoſte movet.
Hic ſuper evehitur, ſpatioque ingente relictam
  Præterit: ad palmam pronior inde via eſt.
Alitis hinc trepidæ ſupra caput ingruit aſper,
  Attonitamque avido concitus ungue petit.
Non ſecùs ac ſubito dejectum turbine fulmen,
  Aut verſa Parthi torta ſagitta manu.
Illa fugæ diffiſa, minas opponit & iras
  Inſidiis, audax eſſe coacta metu.
Nam quid agat? roſtrumque minax, oculoſque ſequaces
  Quacumque ille aditum tentat, in hoſte tenet.
Unguibus armatis nequidquam objectat inermes,
  Quaque poteſt pugnat, ſeque tuetur ope.
Et partem modò corpus in hanc, modò librat in illam;
  Remque obliqua latus, remque ſupina gerit,
Verberibuſque alarum & acuti cuſpide roſtri
  Inſonat: ah prædo fervide roſtra cave.
Roſtra cave, nec te perdat temerarius ardor:
  Ah propè jam victor, ne fèriare, cave.
Ille feros pennis fugiens velocibus ictus,
  Acrior in pugnam rurſus & arma ruit.
Imminet hinc atque hinc, omnique à parte laceſſit
  Vividus: alternant ſpeſque timorque vices.
Paſceris intereà pulchro ſub nube duello,
  Suſpenſoſque oculos palma ferenda tenet.
Dum cruor, & vulſæ labuntur ab æthere pulmæ,
  Concuſſæque alæ, corneaque ora ſonant,
Quod juvet, eveniat; vincat, quem vincere mavis
  Prædaque ſpectantis decidat ante pedes.
Det plauſum pennis victor felicibus ales,
  Ominaque hinc armis accipe læta tuis.
Augurium felix: feſſam premit acer & urget:
  Exitus è voto eſt: hic ferit, illa cadit.
Sic invade tuum, ſic urge fortior hoſtem;
  Sic preme cedentem, nec niſi victor abi.

ELE-

ELEGIA X.

Vota ex arte muſica.

AUribus eſt etiam ſua concedenda voluptas;
Sæpè per has animum leniter illa ſubit:
Pectora feſſa malis, longiſque exercita curis
Quo levet, artificis gratia vocis habet:
Cantus mollit opus, nec tempora longa videri
Sollicito quamvis plena labore, ſinit:
Cantus & è manibus diſtrictos excutit enſes,
Componitque animos, reſtituitque ſibi.
Præcipuè dum ſe vocum commendat, & artis
Dotibus, & numeris ſe probat ipſe ſuis.
Non ſatis eſt; ſi vox reſpondeat ima ſupremæ,
Et concors mediis hæc ſit & illa ſonis.
Mille modis opus eſt, lenociniiſque canendi,
Mulceat ut ſenſus vox LEOPOLDE tuos.
Sit teneris arguta ſonis, ſit rara neceſſe eſt,
Cui dicas: Noſtri pars eris una chori.
Ars tibi judicium de ſe perfecit, opeſque
Intellecta tibi, quas habet, ipſa dedit.
Ut rapiunt animos diſcrimina dulcia vocum,
In tibi ſelectis quæ meruere locum!
Audiat has Orpheus; citharam plectrumque re-
ponet,
Miratus teneros ore ſilente modos.
Audiat has Siren; vocalia comprimet ora,
Et cantus, dicet, dulcior ille meo eſt.
Da Priamum nobis, voceſque exaudiat illas;
Jam minùs Hectoreo funere mœſtus erit.
Redde Philocteten ad Lemni ſurda querentem
Littora; tam blandæ ſentiet artis opem.
De ſaxis homines factos ait eſſe vetuſtas;
Saxa ferox animis & rude vulgus erant.
Threiciis iterùm rigeant mortalia ſaxis
Pectora; tam blandus molliet illa canor.

At

At tu laudatas felix chorus exere voces,
Exere: jam litui, jam tacuere tubæ.
Ecce tibi Princeps animum jam præbet & aures:
Nunc o nunc ſolita dulciùs arte cane.
Mulceat auguſtum, qua polles, gratia pectus,
Totque datum curis occupet una locum.

ELEGIA XI.

Vota ex ſtatuis & picturis.

ARtificum fæcunda parens, felixque laborum
Belgica, quos priſcis cedere fama negat:
Cui neque Lyſippi, neque dignæ laude Myronis,
Nec Coæ deſunt, Parrhaſiæque manus.
Jam jam fama tuis major venit artibus: illas
In pretio Princeps, quale merentur, habet.
Judicium cujus nec amor, nec decipit error,
Nullaque pars artis, gratia nulla fugit.
Quem lætis obit hic oculis, vultuque probante
Aſpicit, invidia eſt altior ille labor.
Et quamvis quod & ars, & dextræ cura peritæ
Extudit, auctorem ſeque tuetur opus;
Attollit laus ipſa tamen, cenſuraque tanti
Judicis, à rara quod venit arte decus.
Magnus Alexander majorem fecit Apellem:
Alterius pingi noluit ille manu.
Crevit honor Lyſippe tuus, dum ſanciit idem,
Exprimeres vultus ſolus ut ære ſuos.
Jam veterum famam, jam ſpem ſuperare minorum,
Vos ipſas doctæ jam ſuperate manus.
Principis è veſtro capienda labore voluptas:
Quam petitis laudis non leve fœnus erit.
Addit amor famæ ſperataque gloria calcar,
Majoreſque animos ingeniumque facit.
Aſpice certantes: ſtudium certantibus unum
Eſt, oculis, Princeps, poſſe placere tuis.

Suc-

Succeſſus habeat cura ingenioſa; nec ulla
Non benè ducta ſuum linea fallat opus.
Seu pingant hominum formas, qui viderit illas,
Natas, non pictas, arte latente putet.
Ora loqui credat, veſtigia velle moveri,
Officiis fungi cętera membra ſuis.
Seu ſimulent flores, & mixtas floribus herbas,
Ipſas ſuos hortos Flora videre putet.
Nec dubitent calathos deceptæ quærere Nymphæ,
In quos cum domina munera verna legant.
Seu quidquid facient, verum videatur imago,
Naturæque nihil diſſimulantis opus.
Veraque, qui ſpectat, putet omnia: quæque moveri
Vi, ſeu ſponte ſolent, hic quoque credat agi:
Luctari pugiles, impelli carbaſa ventis,
Volvi undas, flammas urere, tela jaci.
Nec minùs ars oculos fallat, quàm Zeuxidos olim
Picta manu cupidas uva fefellit aves.
Sed tua nil meliùs, quàm bella & prælia pingat:
Expleat hic numeros ars operoſa ſuos.
Illic in mediis videaris millibus ardens:
Ardeat exemplo miles in arma tuo.
Martem oculi ſpirent; criſtas vibret aura comantes:
Dextra minax veros concitet enſe metus.
Sic tuus incedat, fulvæque inſultet arenæ,
Ut ſi, quem veheret, conſcius eſſet equus:
Pluſque ſit in tabula, quàm quod videatur imago,
Nec niſi ſpiranti deſit in ore ſonus.
Parte alia diſjecta ferox in mœnia miles
Ingruat, hoſtili ſignaque figat humo.
Vultibus aſpiciens illum pallentibus hoſtis
Terroris toto præferat ore notas:
Stet poſitis ſupplex armis, pacemque precantes
Jam deplorata tendat ab urbe manus.
Ipſa ſuper notis volitans Victoria caſtris
Prætendat capiti laurea ſerta tuo.
Atque utinã ut vultũ, virtutem ars pingere poſſet;
Ah cur hic vires deſerit illa ſuas!

Quod

Quod tamen eſt voti, nullum non fallat imago
  Et res & vultus exhibitura tuos.
Ipſe opus aſpiciens, geminum te credere poſſis,
  Aut iterùm, quæ te ſunt duce geſta, geri.

ELEGIA XII.

Vota ex Hiſtoria, Philoſophia, Poeſi.

GRande opus Imperium eſt: bellum pacemque tuetur,
  Neu tantæ molis pars labet ulla, cavet.
Hic priſcas renovat leges, hoſtilibus illic
  Servatura ſuos objicit arma minis:
Hic ſceleri pęnas, hic laudi præmia ponit;
  Et curæ, ut præſens omnibus adſit, habet.
Numinis hæc quędam eſt terras moderantis imago:
  Hac Princeps cauſas, unde colatur, habet.
Tanta tamen ne te laſſent molimina rerum,
  Otia temporibus ſunt tibi danda ſuis.
Otia, quis credat? tantis quoque commoda curis,
  Quo paſcas animum, quoque juvere, dabunt.
Sumpſeris Hiſtoriam, nihil eſt inſtructius illa:
  Quid reges ſervet regnaque nempe leges.
Seu metuenda ferunt ſubiti diſcrimina caſus,
  Conſilium ſubitis caſibus illa dabit:
Seu ſibi præfidat tumidus ſucceſſibus hoſtis,
  Queis illum frangas artibus, inde petes.
Illa docet celeri nec opino vincere Marte,
  Illa docet juſta vincere poſſe mora.
Illa graves regnis populiſque avertere clades,
  Alteriuſque mala ſorte cavere ſuam.
Hic regum rerumque vices, variumque laborem,
  Sæculaque exiguo tempore tota vides.
Nec ſemper ſtudiis animus retinendus in iſdem:
  Sunt etiam ſtudiis ingenioque vices.
Ipſa tibi quandoque ſuos Natura receſſus,
  Quaſque ſinu condit divite, pandat opes.

Tum

Tum ſibi ſcrutari libeat primordia rerum,
Et cœli mores, ſidereaſque vias.
Quid tonet; unde nives; quid alat ſub nubibus ignes;
Unde coloratis fulgeat Iris aquis.
Quid tantum hiberni properent occumbere ſoles;
Cynthia cur numquam, quo priùs, orbe micet;
Quid quatiat terras, monteſque evertat & urbes;
Cur miſtis ſcopulos ignibus Ætna vomat:
Cur abeat ſpatiis, redeatque æqualibus æquor,
Cærula nec fines exeat unda ſuos.
Quodcumque attigeris, pulchri ſtimulatus amore,
Ingenio pateat protinus omne tuo.
Quæque peti ſolet hinc, veniat tibi plena voluptas,
Nec deſiderii par vacet ulla tui.
Adſit, & è rebus rerum tibi cognitus Auctor
Summa voluptatis ſit tibi cauſa tuæ.
At ſi Pierias animo vertaris ad artes,
Invitetque tuam Caſtalis unda ſitim:
Atria Muſarum ſeſe tibi ſponte recludent,
Eque ſuis venient ad tua caſtra Deæ.
Cùm tibi Pelides fuerit, cùm lectus Ulyſſes,
Et Pater Æneas, Æneadumque labor:
Spes erit, ut noſtros non averſere libellos,
Dignériſque oculis otia noſtra tuis.
Hei mihi! Calliope cur eſt conatibus impar
Noſtra ſuis, nec te Principe digna ſonat?
Auguſto quales meritò placuere Poetæ,
Qui de te ſcribant, tempora noſtra ferant.
Atque aliqui graviore impulſi pectora thyrſo
Res à te geſtas, quo decet, ore canant.
Materiaque animiſque à tanto judice ſumptis
Mæoniis æquent arma virumque modis.
Sic ſcribant, ut ſcripta probes, & in omnia chartæ
Sæcula cum multa laude probantis eant.

ELE-

ELEGIA XIII.

Vota ex Virtutibus.

NUnc mihi Pierides ſolitis aſſurgite votis
Altiùs, & parvis magna ſonate modis.
Non mihi nunc oleæ tantùm, non carmine lauri
Optandę veniunt Neſtoreique dies.
Majus opus moveo: reſerat ſua limina Virtus,
Junctaque vicinus templa recludit Honor.
Si ſinis, ingredimur tecum ſacra limina, Princeps:
Hæc etiam votis carminibuſque patent.
Illic Heroas veteres mirare, novoſque
Quos adytis Virtus addidit ipſa ſuis.
Illic & titulos, & nomina clara tuorum,
Scriptaque ſub ſtatuis fortia facta lege.
Inter & Auſtriacos ſtante te reſpice, qui te,
Quęque geris, laudant, teque imitere, monent.
Ante alios mirare Patrem, ſimileſque paternis
In te Virtutes livor & ipſe probet.
Sic illum referas, ut poſſis moribus ipſis
Agnoſci tanti filius eſſe patris.
Utque facis, cultum doceas pietatis avitæ
Auſtriaci primum ſanguinis eſſe decus.
Errat, qui reges opibus metitur & armis,
Victricique putat nil prius eſſe manu.
Eſt aliquid ſceptris, regniſque auguſtius ipſis,
A quo majeſtas, quòd ſibi conſtet, habet.
Virtus divitiæ, virtus dos maxima regum eſt,
Qua ſine nil regum gloria laudis habet.
Pulchrior hæc poſitis fumoſa per atria ceris,
Captiviſque armis, exuviiſque ducum.
Illa datos faſces, populoſque urbeſque tuetur,
Juſtaque ſubſidio promovet arma ſuo.
Illa metus expers, animoſque à vulnere ſumens
Erudit ut vincant, & facit ipſa duces.

Si labor humanis major te viribus urget,
Auſpice te credas omnia poſſe Deo.
Et pater, & patris toties exercita virtus
Hæreat ante oculos, admoneatque ſui.
Nec, ſi depoſitis venias ſpes ultima rebus,
Infringant animos oppida capta tuos,
Captivique amnes, injectaque vincula ripis
Quæque volant noſtro Gallica vela mari:
Ducit ab adverſis animos & robora virtus,
Materiemque ſui tempora dura facit.
Poſt Vejos domitos famam peperere Camillo
Proxima Tarpeio Gallica ſigna Jovi.
Hannibal Auſonias ſi non penetraſſet in arces,
Quod Fabii nomen, Scipiadæque foret?
Cimbrorum fecere minæ Numidumque furores
Cur Marius toto nomen ab orbe ferat.
Et tibi, quam ſervas, patriç fortuna labantis
Non minor eſt famæ cauſa futura tuæ.
Ergò ades, & noſtro tumidus dum paſcitur hoſtis
Sanguine, materiam laudis ab hoſte pete
Sic tua te ſummis virtus heroibus çquet,
Quaque illos duxit, ducat ad aſtra via.
Sic pater è ſummo cùm te ſpectabit Olympo:
Vive diu, felix, dicat, imago mei.
Hçredemque videns laudum cum fratre ſuarum
Gaudeat in natis ſe ſupereſſe ſuis.

ELEGIA XIV.

Vota ex cultu B. Virginis.

TU quoque magna Parens, rebus ſpes altera noſtris
Das cauſam votis, materiemque meis.
Alma fave mitiſque tuum cum carmine vatem
Reſpice, & optatis adjice plura meis.
Si ſtatuas, ſi templa tibi LEOPOLDUS & aras
Dedicat, & toties ad tua ſacra venit:

Non ſibi, non armis tribuet, validiſque lacertis,
Sed tibi, quas palmas victor ab hoſte feret.
Tu validas frangis vires, tu cladibus hoſtes
Atteris, & fortes fortior ipſa domas.
Juſta tuus juvat arma favor: tu vindice dextra
Vertis in auctores impia bella ſuos.
Vicerat, & validum Comnenus fregerat hoſtem;
Nec qua viciſſet, neſcit ille, manu.
Ecce parat currus populus, pompamque triumphi,
Sertaque Cæſareas implicitura comas.
Quid facitis? non eſt opus hæc victoria noſtrum,
Parta licet fuerit me duce, victor ait.
Non mihi, quam fertis, ſed Divæ danda merenti
Laurea: ſucceſſus vindicat illa meos.
Militibus dedit illa meis in prælia vires:
Illius munus proſpera pugna fuit.
Dixerat. Imperio parent, ſimulacraque Divæ
Laurigeris juvenes impoſuere rotis.
Diva triumphatrix in curru ſtabat eburno,
Virgineum lauri fronde revincta caput.
Sub pedibus fractique arcus, fractæque ſecures,
Spiculaque, & pharetræ, barbara præda, jacent.
Pompa venit: ſonuere tubæ: ferit aerea plauſus
Sidera ſparguntur flore recente viæ.
Illa ſubit muros: viſum venit undique turba:
Nudato Cæſar vertice ponè ſubit.
Cæſar io comitare: tuo nil Diva triumpho
Detrahit: in facto gloria magna tuo eſt.
Tales Diva tibi jam nūc LEOPOLDUS honóres,
Tu modò fortunes quæ gerit arma, parat.
Triſtia te tangant miſeri ſuſpiria Belgi,
Quæque tulit populus vulnera, quæque timet.
Ipſa (quod o proſit) de te clementia nata eſt:
Naturam fructus, quem tulit, arbor habet.
Quam natus pietaſque tibi materna dedere,
Naturæ poſſis non meminiſſe tuæ:
Macte animi Leopolde: tibi, quodcumque rogabis,
Plenius ingenio Diva daturo meo eſt.

Illa dabit vires : illius munere vinces:
  Nec te, nec cauſam deſeret illa tuam.
Ut ventis non ſemper eant tua vela ſecundis,
  Virginea numquam deſtitueris ope.
O benè, quod tanta bellum geris auſpice: rebus
  Altior humana ſpes venit inde tuis.
Sic benè pugnatur, cùm quæ bona cauſa coegit
  Sumere, cæleſtis promovet arma favor.

ELEGIA XV.

Vota ex cultu Venerabilis Sacramenti.

SAcra vocant: date thura focis: altaria fument:
  Velentur ſertis limina: Numen adeſt.
Floribus ornentur, foliiſque recentibus ædes,
  Et rubeant vernis compita ſparſa roſis.
Ite Sacerdotes, ſolemnem ducite pompam:
  Lucentes præeant, quà venit illa, faces.
Huc ades o LEOPOLDE: ſacros celebramus honores,
  Imperium proavis qui peperere tuis.
Sepoſitis belli curis pauliſper & armis,
  Huc ades, & ſupplex ad tua ſacra veni.
Qualis vectus equo mediis Rodulphus in agris
  Fertur humi viſo procubuiſſe Deo.
Atque Sacerdotem pariter, Dominumque ſecutus
  Sordida ſtramineæ teſta ſubiſſe caſæ:
Nondum tantus erat, cùm Divum munere crevit,
  Et tulit officii præmia magna ſui.
Primus ad auguſtos, pretium pietatis, honores
  Extulit Auſtriadas, Cæſareamque Domum.
Primus inexpertas regni tractavit habenas,
  Perque ſuum miſit ſceptra tenenda genus.
Hic docuit famam, generiſque attollere nomen,
  Hic docuit, ſancta quærere regna via.
Illi aquilas; illi ſolium, pulchramque coronam
  Formoſa Pietas detulit ipſa manu.

Hinc

Hinc decus Auſtriadum, dominęq; potentia gentis,
  Quam colit exoriens, occiduuſque dies.
Ite procul, qui per ſtrages & cædis acervos,
  Ad decus & famam creditis eſſe viam:
Noxia qui faciles, proſint modò, bella movetis:
  Qui benè criminibus regna putatis emi:
Quorum ſpes avidę ſua lex: quibus hoſtis habetur,
  Quicumque imperium, quo ſpolietur, habet.
At tu perge tua famam pietate mereri:
  Plus quoque quàm ſperas, quem colis, i[illegible] dabit.
Senſiſti, quàm vera loquar. Salfeldia teſtis,
  Æternum facto nomen adepta tuo.
Illic feſſa tuus curabat corpora miles:
  Parva, ſed auſpiciis fortia caſtra tuis.
Audiit, & ſubita vires Bannerius omnes
  Cogere, quas ſparſas Rhenus & Iſter habent.
Ipſa quod optanti vix ſpes promitteret, ultrò
  En, ait, en nobis attulit ipſa dies.
Cingimus Auſtriadem: quid ceſſas vincere miles?
  Irrue: ſucceſſum reſque, locuſque dabunt.
Dixit, & admotis celer obſidet undique caſtris
  Auſtriadem: paucos millia multa premunt.
Nec mora: fulmineo cælum tonat omne tumultu,
  Et latere ex omni ferrea tela volant.
Multa moves animo dubius LEOPOLDE futuri,
  Et meritò vires conſulis ipſe tuas.
Quid facias? pugnes? numero cadet obruta virtus.
  Effugium tentes? undique clauſa via eſt.
Stas animis contra parvi fiducia valli
  Quod nequit, hoc pietas juſtaque cauſa facit.
Illa dat invictos animos, turpemque timorem
  Dedocet: hoſtiles deſpicit illa minas.
Sic & Maſſylis ſubitò deprenſus in arvis
  Stat leo, virtutis conſcius ipſe ſuæ.
Undique ſe fundunt circùm, genus acre, moloſſi,
  Quos viſo ſubitus continet hoſte timor.
Pars ſtrepit à tergo: pars ora adverſa laceſſit.
  Hæc dubitat: timet hæc: hæc fremit: illa fugit.

Exululant, ſoliſque explent latratibus iras:
Diſcrimen propiùs terror adire vetat.
Ille manet, rictumque tremens oſtentat & ungues:
Excuſſis horrent aſpera colla jubis.
Intereà Phœbus vehit annua feſta ferenda eſt
Sacra per ornatas Hoſtia ritè vias.
Hæc tibi lux ſancta eſt: hęc te Leopolde quotannis
Poſcit, & è caſtris ad ſua ſacra vocat.
At nunc quid facias? conſueti moris honorem
Ritè Deo fieri non ſinit ipſe locus.
Impietas aras tota ſibi vindicat urbe,
Vindicat injecta templa profana manu.
Vindicet, unde ſuos pietas benè paſcat amores,
Tunc quoque cùm deſunt omnia, ſemper habet.
Deſunt templa? caſa facies de paupere templum.
Ara deeſt? aram fagina menſa dabit.
Lumina rara micant? facibus melioribus ardent
Pectora. Cultus abeſt? hunc quoq; ſupplet amor.
Ille tuis humeris Tyrios detraxit amictus,
Detraxit lecto ſerica vela tuo.
At quis in infeſta Romanis ritibus urbe
Velatum pompa Numen eunte canet?
Et tua jam cinctis procul eſt ſymphonia muris,
Nec modus accerſi, nec via præbet iter.
Hoc quoque nil obſtat. Sacris inimica Deoque
Gens canit imperio ſacra Deumque tuo.
Pompa venit: pompæ tu pars ſpectaris & auctor,
Præſentemque vocas, ſubſequeriſque Deum.
Mira, ſed acta canam, dum vultu ſupplice prodis,
Dum ſacris, tamquam liber ab hoſte, vacas:
Vim quoque, ceu ſacris faveat præſentibus, hoſtis
Supprimit, & nulla prælia parte movet.
Ceſſat atrox, cauſis non apparentibus, hoſtis:
Tympana cum lituis, ęraque rauca ſilent.
Vix via finita eſt, fragor undique & undique rurſus
Intonat, & rurſus tela, quot antè, volant.
Dicite, quid veſtras gens ſæva coercuit iras,
Sacra ſuum donec pompa peregit iter?

Quid

Quid tormentorum ſtrepitum, quid fulmina Martis,
Quid tenuit promptas in fera bella manus?
Auſtriacis Superos ſcite, & ſentite faventes:
Non ſtudii aut caſus, Numinis iſta mora eſt.
Huic Domui Superi, pietaſque ante omnia curæ:
Eſtque piæ Superis mutua cura Domus.
Quid ſtruitis? vobis adverſum agnoſcite cælum,
Damnantemque minas, armaque veſtra Deum.
Vincit io pietas: pavidos timor occupat hoſtes;
Attonitos ratio, conſiliumque fugit.
Spes modò tam præceps in turpem verſa timorem eſt;
Deficiunt animi, deficiuntque manus.
Fit fuga: tu tergis fugientum victor inhæres:
Quà ſequeris, multa cæde rubeſcit humus.
Sic pugna LEOPOLDE, Deo tua bella regente,
In niveis victor ſæpè vehendus equis.
Huc honor, hæc pietas cælo quoque teſte probata
Ibit in exemplum ſtirpis, eatque tuæ.
Sit tibi, ſit nobis pietas hæc ſæpè triumphi
Cauſa, ſit attonitis hoſtibus uſque metus.
Quid precer ulteriùs? fortunam vincat, & hoſtes,
Et caſus omnes hac ope nixa Domus.

APPENDIX
AD LIBRUM SEXTUM ELEGIARUM.

ELEGIÆ

IN MORTEM DVORUM MILITVM HISPANORUM,

Quorum alter hoſtili telo, alter amore, in commilitonis cæſi complexu ad Capellam occubuit.

EPITAPHIUM COMMILITONUM.

M. S.

JOANNES LAURENTIUS
Miles Hiſpanus,
FRANCISCUS DE SOLIS
ex eadem gente Signifer,
hic ſiti ſunt.
Duoſne viator, an unum legis?
ſic alter in altero vixit,
ut unum putes.
Dum Capellæ expugnatione
ARCHIDUX LEOPOLDUS
victoriis Gallicis præludit,
ambo cecidere:

LAU-

LAURENTIUS
hoſtili telo,
FRANCISCUS
Laurentii deſiderio;
Unus in urbis aggreſſione,
alter in amici complexu;
Ille dum loricam invadit,
Hic dum commilitoni parentat.
Unius vulnus
amor
utrique fecit lethale.
Illuſtre ſic pugnaſſe,
ſine exemplo ſic amaſſe,
ut norit poſteritas,
quod antiquitas non vidit.
Alterius virtuti,
alterius amori,
SERENISSIMVS ARCHIDVX
in vivos mortuoſque
commilitones
benignus, pius, munificus
hoc monumentum
P. C.

ELEGIA I.

In amorem militis, qui in complexu caſi ad Capellam commilitonis expiravit.

NOn ſolæ Marti comites Iræque, Minæque,
Et Dolor, & pallens frigore Terror eunt:
It quoque juncta Fides, & amans Concordia Pacis,
Vinctaque Palladia Gratia fronde comas.
Agmen ducit Amor, pugnæque cupidine flagrans
In promptu pharetram telaque ſemper habet:
Et ſua, quo Mavors, ponit tentoria campo;
Et ſua, quo Mavors, pulvere ſigna movet.

Non illum litui, non illum claſſica terrent,
Non qui diſploſo perſonat ære fragor,
Non mediæ cædes: mediis in cædibus errat,
Et plus poſſe negat Martia tela ſuis.
Tu mihi, tu teſtis venias LEOPOLDE, ſecundo
Gallica qui præſens oppida Marte quatis.
Auſpice te quoque pugnat Amor: ſua vidimus illum
Vidimus in caſtris arma movere ſuis:
Hoſtileſque acies inter, noſtraſque volantem
Sæva necatura ſpargere tela manu:
Cumque tuis miſcere ſuos, & habere triumphos,
Victoremque nova cingere fronde caput.
Facta cano. Cinctam violento Marte Capellam
Dum premis, & laceris mœnibus inſtat Iber,
Emicat ante alios ſævum generoſus in hoſtem
Miles, & in prima prælia fronte ciet.
Dumque moras foſſę ſuperat, dum ſubmovet hoſtẽ,
Saucius hoſtili tempora glande cadit.
Perculit attonitum rumor funeſtus amicum:
Vix animi compos, vix ſuus ille fuit.
Seque ſimul miſerum, ſimul hoc ſe vulnere lęſum
Clamat, & unius morte periſſe duos.
Nec mora, proſiliens: Corpus referemus & arma
Protinus, aut illis immoriemur, ait.
Barbara res Amor eſt, furit acer, & audet in illos
Omnia, ſubjectos quos ſibi victor habet.
Ecce velut catulos dum quærit ab ubere raptos,
Obvia venantum fertur in arma leo;
Sic ad ſanguineam præceps feſtinat arenam,
Conſcia quæ pugnæ plenaque cædis erat.
Quò periture ruis? Socii retinete: cruentæ
Hic quoque pars ſtragis, ni prohibetis, erit.
Audior: hinc atque hinc caſtris effuſa juventus
Convolat: obſiſtunt, præcipitemque tenent.
Ah non ſervatis, ſocii, me perditis, inquit:
Dimidio per vos dividor ipſe mei.
Quid faciat? ceſſet? timet eſſe infidus amico.
Servantes tentet fallere? nulla via eſt.

Per-

Pervigil invitum cuſtodia ſervat: at illi
In luctu & lacrymis nox vigilata fuit.
Et cruor, & cædes, hoſtiſque, & vulnus in ipſis
Omnia ſunt oculis, omniaque auget amor.
Lux aderat: tecum Leopolde paciſcitur hoſtis:
Advolat ad pugnæ protinus ille locum.
Quem ſimul ac tetigit, veſteſque agnovit, & arma
(Nam ſpecies vultus nulla prioris erat)
Dat gemitum, colloque ſuper procumbit amico,
Caraque flebiliter nomina ſæpè vocat:
Quoſque tenere nequit, miſcet cum ſanguine fletus;
Et reputat vulnus, quod videt, eſſe ſuum.
Et quaſi tum primùm cædem didiciſſet amici,
Plangit, & infeſta percutit ora manu.
Complexuſque ſuis pallentia membra lacertis:
Has, ait, exuvias victor ab hoſte refers?
Sic miſerande redis? talem tua te mihi virtus
Reddidit, o animæ pars mihi rapta meæ?
Illa manus, quæ te, mea vita peremit, & in me
Sæviet, & gemini funeris auctor erit.
Queſtibus effuſis, in quos amor ipſe diſertum
Fecerat, & magno mixtus amore dolor,
Surgit humo, corpuſque ſuo ſibi carius aufert:
Addit amor vires, & leve reddit onus.
Jamque locum tumulo nactus, dum flebile funus
In molli lacrymans ceſpite ponit humi,
Dum galeam capiti demit, dum pectora nudat,
Dum ſiccat timida vulnera cruda manu,
Oraque dum ſpectat cerebro perfuſa cruento;
Hoc ferit, hoc lacerat me quoque vulnus, ait.
Saucius ipſe jaces, ſed ſaucius hoſtis ab hoſte;
Tu mihi cauſa meæ mortis amicus eris.
Dumque fodit terram, cui flens miſerabile reddat
Corpus, & ad vultus lumina ſæpè refert,
Deficiunt ad cœpta manus, poſitoque ligone,
Tene ſub hac potero condere, dixit, humo?
Hæc manus injecta mihi te ſubducet arena?
O potiùs quæ te, me quoque terra tegat!
Felix,

Felix, ſi poſſim ſub eodem ceſpite condi,
Et tibi, quàm vitæ, tam necis eſſe comes.
Atque utinam pro te confixus ab hoſte jacerem,
Faſque tibi noſtra vivere morte foret!
Eſſe merebaris noſtris diuturnior annis,
Hei mihi pro meritis qualia dona refers;
Illane tam fortis, per tot ſpectata labores,
Quæ nunc lethali frigore torpet iners,
Illane juncta meæ toties eſt dextera dextræ?
Noſtrum iſto toties nomen in ore fuit?
Ille priùs vultus tam formidabilis hoſti,
Heu, quàm nunc alius, diſſimiliſque ſui eſt!
Stulte, quid indulges animo ſine fine dolenti,
Nec lacrymis ponis triſtitiæque modum?
Planctibus in vitam non eſt revocabile funus,
Nec feret extincto, nec tibi luctus opem.
Tot tua non audit ſurdum lamenta cadaver,
Nec ſpectant lacrymas lumina clauſa tuas.
Sanguine, non lacrymis, quãvis amor imperet illas,
Sanguine perfundi militis ora decet.
Saucius occubuit: belli eſt fortuna; ferenda eſt.
An potuit letho nobiliore mori?
Emptum morte decus, quæ ſitaq; ſãguine palma eſt:
Ipſa per hoc fortes Gloria ducit iter.
Qui pugnas inter medias tua ſigna tenebas
Impavidus ſolo fractus amore cades?
Vive precor: quem fles, in te quoque ſoſpite vivet,
Quaque magis cupiat parte, ſuperſtes erit.
Si moreris, totus tecum morietur, & illa
Qua nondum periit parte, peribit amans.
Hei mihi! nil poſſunt monitus: dolor omnia vincit
Improbus & tanti cauſa doloris amor.
Occidimus, dixit, ſolantia tollite verba:
Tollite: nulla meis eſt medicina malis.
Nec poſſum ſuperare meos, nec ferre dolores,
Nec ſe, nec motus mens capit ægra ſuos.
Non illum tumuli, non cœpti cura laboris,
Non comitum voces abſtrahere inde valent.

Hæret

Hæret amans gelidi complexus corporis artus,
Nec ſinit avelli, nec, quod agebat, agit.
Hæret, & humectat lacrymis corpuſque, locumque
Nec memor officii, nec memor ipſe ſui.
Luminaque attollens: quis me manet exitus? inquit.
Hei mihi, quæ ſine te vita futura mea eſt?
Si potero ſupereſſe tibi (te namque ſepulto,
Plus ego dimidia parte ſepultus ero)
Ante meos oculos triſtiſſima cædis imago,
Et laceri vultus, oraque ſemper erunt.
Te cernam vigilans, qualem modò nocte ſilenti
Excuties ſomnos umbra cruenta meos:
Sed tibi non potero, non huic ſupereſſe dolori
Hac ego, ſed tecum, condar oportet humo.
Dulce caput, cui me primùm natalis origo,
Deinde fides junxit, nunc quoque jungit Amor;
Mors quoque nos junget: telo duo ſternimur uno,
Tu tua trajectus tempora, pectus ego.
Auguror, inſcribere meo tu cauſa ſepulchro:
Forſitan hoc aliquis motus amore dabit.
Forſitan & cineres tumulo componet eodem,
Et, ferat hæc veſter præmia, dicet, amor.
Jamque dolor vires adimit vocemque loquenti,
Nec ſuperant vitæ tempora longa meæ.
Deficimus, ſenſi: tenebris mihi lumina torpent:
Et calor è membris, & vigor omnis abit.
Tu modò, tu ſentis tecum morientis amorem,
Exanimis quamvis & ſine luce jaces.
In tua cùm pietas exhauſerit ora cadentes
Funeribus lacrymas ultima dona tuis,
Hanc animã adjiciam ſuprema ad munera munus,
Exequiaſque tuas proſequar ipſe meis.
Nec telis opus eſt in vulnera noſtra, nec enſe:
Vulnere conficior, quod mihi fecit Amor.
Tu bello LEOPOLDE, novos molire triumphos:
Noſter amicitiæ fama triumphus erit.
Dixerat: exanimeſque iterùm collapſus in artus
Ingemit, & magno victus amore jacet.

Cre-

Credebant ſocii ſolito torpere dolore:
Aſpiciunt oculos, oraque; funus erat.
Explorant digitis artus; invaſerat artus
Frigus, & in toto corpore pallor erat.
Fracti oculi, languet cervix, humeroque recumbit.
Nec vox, nec tacito ſpiritus ore venit.
Fama volat, miraque animos novitate moratur,
Spectantumque oculos funera viſa tenent.
Plauſit Amor, leviterque ſuis ſe ſuſtulit alis,
Spiculaque oſtentans conſcia cædis, ait:
Partus honor, Leopolde, tuis tibi maximus armis;
Nec levis eſt armis gloria parta meis.
Arma tibi tribuunt abiturum in ſæcula nomen:
Hæc quoque militiæ fama futura meæ eſt.
Te tua pro Belgis, & me mea bella gerente,
Spem virtus, & ſe vincere viſa fuit.
Dixerat, inque ſuos retulit nova nomina faſtos:
Et priſcis palmam præripuiſtis, ait.
Vivite concordes animæ, tumuloque ſub uno
Junctus amicitiæ præmia ferte cinis.
Adjiciet famæ, quæ dempſit tempora vitę,
Nomina qui numquam veſtra ſilebit Amor.
Et mea ſi quidquam, ſi poſt me vivere poſſint
Carmina, ſi qui me, nnn teget illa, lapis:
Donec amicitiæ leges & pacta placebunt,
Veſter inextincta laude vigebit amor.
Ut tamen hæc pereant, quam ſic meruiſtis amando,
Illa ſibi ſemper vita ſuperſtes erit.

ELEGIA II.

Piis amantium commilitonum Manibus.

Concordes, magnæque animæ, quibus hoſtis, Amorque,
Fataque plus vitæ, quàm rapuere, dabunt,
Quàm benè vos tumulo junxit Leopoldus eodem,
Quos pius invita tam benè junxit amor!

Non

Non manus hoſtilis, non mors vos ipſa diremit:
In tumulum cædes intulit una duos.
Quid tulit aut finxit vobis æquale vetuſtas?
Aut quid par veſtris fabula rebus habet?
Pro Niſis, pro Pirithois nova nomina vates
Scribite: dat palmam gloria priſcą novæ.
Non illis vitam carorum funus ademit,
Immodicus quamvis ureret oſſa dolor.
Pirithoum Stygii lacerarat janitor antri,
Nec tamem impatiens Theſea ſtravit amor.
Vivere ſuſtinuit Patrocli poſt funus Achilles:
Exequias Pylades vidit, Oreſta, tuas.
Æneas moriens ſecum non traxit Achatem:
Nec traxit fratrem Caſtoris umbra ſuum.
Forſitan & flentes ſolverunt funeris umbris
Omnia, nec pietas victa dolore fuit.
Hic animam gelido legit morientis ab ore,
Et preſſit digitis lumina cara ſuis.
Ille facem averſus tenuit, poſitumque cremavit
Corpus, & è tępido ſuſtulit oſſa rogo.
Atque aliquis lecto Syrios cumulavit odores,
Deque ſuis lacrymis humida ſerta dedit.
Atque ali quis mutæ jaciens ſua verba favillæ:
Eſtis adhuc, & adhuc pars, ait, eſte mei.
Hæc illi; neque tu, quod mors, & funus amici
Exigit officium, præteriturus eras.
Tu quoque feciſſes tumulum, tu corpus humaſſes,
Senſiſſetque tuas umbra pianda preces.
Sæpè ſalutaſſes Manes, cinereſque ſepultos
Mœſtus adhuc lacrymis proſequerere tuis,
Omnia feciſſes; nihil avertiſſet amantem:
Obſtitit officiis mors properata tuis.
Dum fodis, egeſtaque paras tellure ſepulchrum,
Deficies, & medium concidis inter opus.
Funus Amor, facinuſque ſuis hoc arrogat armis,
Teque addit titulis, & tua fata ſuis.
Heu crudelis Amor! quæ nunc & qualia ſpargis
Vulnera! quis credat? nunc tua tela necant.

Te-

Telane mors tecum mutavit? tuque ſagittis
Uteris imprudens illius, illa tuis?
Omnia ſcrutemur veterũ monumenta; quis unquã
Dilecto cineri talia juſta tulit?
De tot quos memorant,quis tempore Manibus ullo
Inferias, vitam, victus amore, dedit?
Innumeri, fateor, luctu periiſtis amantes;
Sed cui non ſævus præbuit arma dolor?
Hic ferro vitam, miſeroſque abrupit amores:
Præcipitem ex alto ſe dedit ille jugo.
Iſte ſuos gelidis extinxit fluctibus ignes:
Theſſalici ſuccos graminis ille bibit.
Si non aptaſſes pallenti vincula collo,
Sperato poteras, Phylli, carere toro.
Vixiſſet Dido, quamvis Phryx advena ferrum
Præbuit, ipſa ſua ni foret uſa manu.
Si Niſum Rutuli ſervaſſent, perdere Niſum
Nec mors Euryali, nec potuiſſet amor.
Quilibet ex illis poterat ſupereſſe dolori,
Et poterat flammis fortior eſſe ſuis.
Projecere animas merſis in viſcera telis,
Non illas ſolus corpore ſolvit amor.
At te ſolus amor rapuit: tu vulnere ſolo
Quo jacet ictus amans, ictus & ipſe jaces.
Sublimes muri, devotaque mœnia Marti,
Quæ Galli Belgis oppoſuere moram,
Cùm dederit vobis toties ſpectacula virtus,
Poſteritas quorum conſcia ſemper erit,
Par aliquid [ſiquidem ſcire, & meminiſſe poteſtis)
Inter tot vobis bella videre datum eſt?
Attoniti videre Duces, videre phalanges,
Quæ ſimul ediderint prælia Mars, & Amor.
Atque aliquis poſita dum narrat prælia menſa
Sub muris nuper geſta, Capella, tuis,
Dum moles operum, dum tutas aggere foſſas
Pingit, & exiguo regia caſtra mero,
Oſtenſa, muri quà procubuere, ruina:
Hoc, inquit, cecidit ſaucius ille loco.

Hic

Hic cecidit, vulnuſque tulit fatale duobus,
  Qui benè ſpem palmæ morte putavit emi.
Tum campum faciens: Huc corpus detulit, inquit,
  Hic ſciſſo leviter ceſpite fodit humum.
Hic lacrymas, vitamque in amici vulnera fudit,
  Quem ſuus exemplum fecit amoris amor.
Quæ ſic materies aliis eſt grata loquendi,
  Laudata eſt etiam Principis ore fides:
Laudatamque ſuis & vos interſerit actis,
  Et curæ nomen, quod meruiſtis, habet.
O fortunati, tantam quibus addere laudem
  Nec Pylii poterant ter tria ſæcla ſenis!
Quæcumque Auſtriacos curru fulgente triumphos
  Fama vehet, veſtros non minùs illa vehet.
Qua faſti referent, bellum ut Leopoldus in hoſtem
  Verterit, hac veſter parte legetur amor.

ELEGIA III.

In ſepulchrum à Sereniſſimo Archiduce Leopoldo *commilitonibus poſitum.*

O Quos longa dies memori non eximet ævo,
  Pluſquam Theſea pectora juncta fide:
Dicite (nullus enim non eſt à funere ſenſus,
  Et cineres ipſos, oſſaque tangit honor)
Dicite, quæ veſtri referant ſolatia Manes,
  Aſpiciunt famæ dum monumenta ſuæ.
Quis non ex ipſo, qui cernet cumque, ſepulchro
  Colliget æternum vos meruiſſe decus?
Non illud mœſti vobis de more parentes:
  Non conſanguineæ conſtituere manus.
Sed neque militiæ ſocii, non ipſe Tribunus,
  Non legio, cujus non levis eſtis honor.
Cæſaris at ſanguis LEOPOLDUS Cæſare natus,
  Auſtriacæ vindex, hoſte fatente, Domus.
Belgarum columen, quo ſpes veniente revixit,
  Quo fortuna prior bella gerente redit.

Ille jubet tumulum vobis de marmore poni :
Spes quantum hic veſtras, votaque vincit honor!
Quemque vocant alii tumulum, vocat ipſe trophæum,
Ipſo quod meruit judice veſter amor.
Hos Fidei Princeps, & Amori ſolvit honores:
Hæc in vos animi dat monumenta ſui.
Non marmor pretioſa tamen facit illa, ſed auctor;
Neſcio quid dantis res data ſemper habet.
Purpura donetur, gemmæ donentur & aurum;
Pars minima eſt donum materieſque ſui.
Nobilitas dantis, quæ dat, commendat, & auget;
Quodlibet hæc pretium munere majus habet.
Marmoreum tumulum, LEOPOLDI munus, habetis,
A tali quantum eſt illud habere manu!
Quid quod funereo juſſis in marmore ſculpi
Nominibus veſtris addidit ille ſuum?
Illa palam, pariterque auro diſtincta leguntur
Grandibus in tumuli marmore cæſa notis.
O quantum Auguſto capiunt à nomine lucis!
Quamvis & meritis conſpicienda ſuis.
Sic geminos Helenæ, pulcherrima ſidera, fratres
A radiis Solis ſcimus habere ſuos.
Ergò vos populo LEOPOLDUS, ſeque legendum,
Clarius ut faceret nomen utrique, dedit.
Quod niſi feciſſet, quis veſtros ſciret amores!
Quæ fidei tantæ fama, quis eſset honor?
Forſan in ignota tegeret vos ceſpes arena,
Et cum corporibus fama ſepulta foret.
Nunc vos hiſtoriæ referat, victuraque vatum
Carmina, quos inter forſan & ipſe legar.
Noſtra putat certè LEOPOLDUS carmina tanti,
Ipſe meo vos ut juſſerit ore cani.
Atque utinam tanto loqueremur Principe digna!
Veſter honor vivax hac quoque parte foret.

Sed

Sed tumulum cur das unum LEOPOLDE duobus?
An quia mens vivis una duobus erat?
Nil fuit in vita, quod non convenerit illis;
Corporibus ſolis alter & alter erant.
Cùm tumulum nuper vellent inſcribere vates,
Principium multis carminis illud erat:
HÆC TEGIT URNA DUOS: Amor, UNUM ſcribite, dixit:
Non poſſunt, quos ſic junximus, eſſe duo.
Certè ego quod feci (nec me peccaſſe negabo)
Carmen pro tumuli marmore, tale fuit;
HÆC TEGIT URNA DUOS: JUNXERUNT HOSTIS, AMORQUE
FUNERA: VULNUS IDEM MORS UTRIUSQUE FUIT,
Parce tuos, Amor, erroris damnare poetas;
Judicium ſequimur, ſuſpicimuſque tuum.
Ergo illis unum, queis mens fuit una, ſepulchrum
Eſt ſatis: hos jungi ſic quoque juſſit Amor.
Ille ſibi caros cineres, maneſque reviſet
Sæpiùs, & tumulo florea ſerta dabit,
Cinnamaque & coſtum, nardique fragrantis ariſtas,
Quaſque Cilix meſſes, quaſque Sabæus habet.
Hic veſtros referens ignes, vobiſque ſibique
Plaudet, & inferias & ſtata ſacra feret.
Non alio magis ille ſuas pendere pharetras,
Non alio cupiet ſpicula parva loco.
Sæpè aderunt ambæ placidis è ſedibus umbræ,
Et jungent caras ante ſepulchra manus.
At tibi, quæ fidei tam raræ pignora ſervas,
Hinc decus, & muris creſcet, Aveſna, tuis.
Quàm vellent aliæ, quibus es prælata, tot urbe,
Tu quod habes munus Principis, eſſe ſuum.
Quàm vellent aliæ: Sunt hic duo, dicere, quorum
Alterum in alterius morte peremit amor.

Ante

Ante alias tibi ſors tam felix contigit urbes:
Multarum votum quod fuit, una tenes.
Invidiæ eſt veſtrum, Manes gaudete, ſepulchrum:
Exuviis veſtris gloria rara frui eſt,
Felices tumulo, tumulique auctore favillæ,
Grande quibus pretium eſt tantus amoris honor
Mors aliis regnat tumulis, turbæque ſepultæ
Oſſa premit tenebris, & ſimul acta ſuis.
Adjicit hoc vitam, prohibetque perire ſepulchrum;
Et ſpolium mortis, quos tegit, eſſe vetat.
Sentiat, ut dignum eſt, tumulo bene junctus in uno
Munus, & auctorem muneris ipſe cinis.

SIDRONII HOSSCHIJ SILVA.

SUPREMUS HONOR GEORGIO CHAMBERLINO VI. IPRENSIUM EPISCOPO EXHIBITUS.

EPITAPHIUM.

QUO PROPERAS VIATOR?
SEPULCHRO ADSTAS;
HÆC META TUA EST:
AD HANC,
AD QUAM ETIAM QUIESCENS PROPERAS,
PAULULUM SISTE;
NEC SEPULCHRI GLORIAM,
SED SEPULTI ATTENDE.

HIC IACET
GEORGIUS CHAMBERLINUS,
VI. IPRENSIUM EPISCOPUS,
BRITANNUS GENERE,
SED QUO PATRIA FRUI NON MERUIT,
QUEM
ITALIA, HISPANIA, GALLIA, BELGICA,
NON MINUS QUAM BRITANNIA,
OB LINGUARUM PERITIAM,
CIVEM SUUM CREDIDERUNT:
QUEM ADHUC ADOLESCENTEM
ADMIRABUNDI REGES
AUDIVERE PERORANTEM:
QUEM, UT AD BELGII ORDINES

DE PUBLICIS PATRIÆ REBUS REFERRET,
ORDINES IPSI OB FACUNDIAM
SUMMO CONSENSU DELEGERUNT:
QUEM THEOLOGIÆ;
PHILOSOPHIÆ, JURIS SCIENTIA,
ORATORIA, AC POETICA FACULTAS,
PRUDENTIA, CONSILIUM, INGENIUM,
OMNIBUS ADMIRABILEM;
COMITAS, MODESTIA,
MANSUETUDO, ANIMI SUBMISSIO
CUM ILLUSTRI GENERE CONJUNCTA
OMNIBUS CARUM.
RELIGIO, PIETAS, FIDES, PASTORALIS CURA.
CÆLO TERRAEQUE GLORIOSUM FECERUNT
TOT VIRTUTES SÆCULO DIGNAS,
QUIBUS MAGIS QUAM ANNIS
HONORUM CURSUM MENSUS EST,
IMMATURA MORS
EX OCULIS CIVIUM SUSTULIT;
EX ANIMIS AUFERET NUMQUAM.
TU VIATOR
DEFUNCTO BENE PRECARE,
ET UT MORI DISCAS,
HOC EXEMPLO VIVE.
OBIIT XIX. DECEMBR. ANNO MDCXXXIV.

Epicedium in ſunere

GEORGII CHAMBERLINI,

VI. Iprenſium Epiſcopi.

PHębe pater, quacumq; orbis jam parte moraris,
Seu dilecta Claros, ſeu quæ fluitaſſe putatur
Inſula, ſeu celſus frondoſo vertice Pindus
Te tenet, & pulſæ referunt tua carmina valles;
Clarorum ſi fata virum te triſtia tangunt,
Huc age cum cithara, cum carminibuſque funeſtis
Incultus, triſtiſque veni, męſtaque cupreſſu
Indue inornatos lauri pro fronde capillos.

Qualem

Qualem te memorant Thracum diſperſa per agros
Ora tui quondam fleviſſe, & funera nati.
In planctus, queſtuſque abeant, quæcumque parabas
Vota canenda ſacris Jano redeunte Kalendis.
Et te Pierides comitentur, dona ferentes
Ultima cum lacrymis, atris in veſtibus omnes,
Omnes funerea redimitæ tempora fronde.
Purpureos flores Heliconia per juga lectos,
Et violas, quales noſter non educat orbis,
Liliaque, lacrymiſque ſuis humentia ſerta
Uranie ferat, & tumulo mœſtiſſima ponat.
Tu tamen ante omnes ades o pulcherrima Virtus,
Numine Pieridum major Dea, duraque fata
Nequidquam increpitans Ipſam miſerare dolentē.
Fallor? an ad tumulum canos turbata capillos
Diva ſedet? comiteſque Deæ, Pietaſque, Fideſque,
Priſcaque Relligio, mæſtoque Modeſtia vultu,
Læta que Majeſtas nuper, nunc lumina terræ
Fixa tenens, & cum ſacris Vigilantia Curis?
Stant mæſtę, & claro feriunt plangore lacertos
Et jungunt lacrymas, & triſtia carmina dicunt.
Feralemque ſuis perfundunt fletibus urnam.
Ipſa ſibi indulgens Pietas, affuſa feretro
Hæret, inexpletum lacrymans, & pectora tundens.
Ut verò faciem vidit pallentis & ora,
Non minùs extincto pallens ſic, incipit ore:
Scilicet hoc etiam poſt tot rerum aſpera deerat,
Ut mors ante diem populique, urbiſque parentem
Eriperet terris, & non diuturnior eſſet?
Qui ſanctis ardens ſtudiis, & numine plenus
Exitia & luctus poterat prohibere ſuorum?
Flere parum eſt Belgi magnus quæ damna Senatus
Te moriente tulit, cujus facundia, cujus
Vox & mens fueras, plus heu, plus omnibus iſtis
Nos mala noſtra movent, & non ſanabile vulnus
Relligio, & Divæ comites, quæ tot bona tecum
Rapta dolent, aris olim, templiſque Britannis
Expulſæ, indecores, ignominiaque notatæ

Errabant regno in magno: furor impius illas
Et pluſquam Veneris facibus ſuccenſa libido
Egerat obnixas fruſtrà, fruſtràque precantes
Diverſa exilia, & diverſas quærere terras.
Nunc illæ tecum, greſſum quacumque movebas,
Magne Pater, paſſim cultæ per templa per aras
Squalore abſterſo penitus, penituſque malorum
Immemores, lætæ, formoſis vultibus ibant.
Quas rurſum attonitas miſerandæ cladis imago
Te ſubit amiſſo, veteriſque injuria damni.
Tene, Pater, talem ſubitò ſpectare relictæ
Cogimur? hæc frons eſt nuper fulgente tiara
Inſignis, quà Majeſtas Chariteſque ſedebant?
Voſne manus ſacrum lituum me dante tuliſtis?
Vos oculi, qui Belgarum, & lux noſtra fuiſtis,
Vos in perpetuam clauſit mors ferrea noctem?
Quanta, heu, vobiſcum lux occidit, inque tenebras,
Ah nimium præceps, & non reditura receſſit!
Os illud jam voce caret mirantibus olim
Regibus auditum, tot linguis ſæpè locutum,
Totque intellectum populis, quod ſæva ferarum
Ingenia, & rigidas potuiſſet flectere cautes,
Jam tacet ah! potuit ſilicum, potuitque ferarum,
Sed non mortis potuit mollire rigorem.
Heu mortem inviſam, & nullo diſcrimine cæcis
Bacchantem terris! ſacras nihil illa tiaras
Reſpicit, aut culti reveretur pectoris artes.
Tene igitur nobis, adeò cùm lęta veniret,
Sors eadem invidit, ne ſoſpes & utilis urbi
Tu vita, nos te longos frueremur in annos?
At non hæc Ipre de te promiſſa dediſti,
Cùm duce me meritis redimitus tempora vittis
Ad ſacrum imperium populo plaudente venires.
Illa quidem in longum nobiſcum extenderat ævum
Spem de te natam, multiſque altaria circum
Hoc Superos votis, & tota mente rogarat.
Fruſtrà; pro canis, ſeramque premente tiara
Canitiem, & dignis Pylio virtutibus ęvo.

Funo-

Funereas tædas, & mœſtæ inſignia pompæ,
Exequiaſque tuas, tumulumq; miſerrima ſpectat.
Proque illo vultu, quem Gratia finxerat ipſa,
In gelido tantùm cernit tua nomina ſaxo.
Huc ſpes, votaque tot reciderunt? Hei mihi, quantum
Flandria præſidium, & quantum vos perditis Ipræ!
Quò ferimur? lex eſt juſto quoque danda dolori.
Tot certè lacrymas non hæc ſibi funera poſcunt,
Immatura licet: lacrymæ ſine fine modoque
Conveniunt illis, quorum mors omnia finit.
Pulveris exiguum eſt, tellus quodcumque recondit;
Cętera tam parvæ gremium non continet urnæ.
Pars melior fruitur jam Numine, cujus amore
In turba quoque ſola fuit, dum corpore cincta,
Quà licet, ipſa ſuis in cęlum evaderet alis.
Pars animis memoris populi, pars ceſſit Honori,
Et Famę, quæ nil tumulos, nil funera curat,
Temporis & lethi victrix, quæ nunc quoque vivet,
Cùm Chamberlini nunc ſculptum in marmore nomen
Aut ævo, aut pedibus trita evaneſcet in urna,
Sic hæc, ſic abię lacrymas ex ordine Divę
Solvebant, parva ingentis ſolatia luctus.

ELEGIA IN OBITUM
GEORGII CHAMBERLINI
VI. Iprenſium Epiſcopi.

ORba ſuo qualis mœſtiſſima nata parente
Luget, & aſſiduis fletibus ora rigat:
Non illam crinalis acus, non pectinis uſus,
Non ſtudium formæ, compoſituſque nitor,
Non baccę, miſſique juvant Oriente lapilli:
Pyxides hac, illa parte flabella jacent,
Neglectum ſpeculum, neglecta monilia pendent,
Cingulaque, & vittæ, purpereique ſinus.

Nulla ſubit miſeram quærendi cura decoris:
Ante oculos patrium nil niſi funus habet.
Haud aliter patrem ſibi lamentatur ademptum
Triſtis, & effuſas Ipra ſoluta comas.
Aurea turrigero demit redimicula collo,
Mœſtaque funerea tempora fronde tegit.
Pro niveis atros humeris inducit amictus:
Ora madent lacrymis: pulvere ſparſa coma eſt.
Scilicet hoc urbi, dum vita Deuſque ſinebant,
Quod Pater eſt natę, maxime Præſul, eras.
Nunc queritur tot rapta ſibi ſolatia tecum;
Quot cives muris continet illa ſuis.
Femina virque tuo mœrentes funere lugent:
Eminet ex ipſo cuilibet ore dolor.
Hos ſpectare palàm eſt; illos ſine teſte dolentes:
Nulla domus gemitu, limina nulla vacant.
Turbaque dum viduam ſupplex accedit ad ædem,
In vidua luctus integrat æde ſuos.
Atque aliquis tenero circumfert humida fletu
Ora, loci dotem queſtus abeſſe loco.
Hic ſtetit: hic verbis nos eſt ſolatus amicis,
Dedocuitque umbras ſtultaque vota ſequi;
Nec minùs humanas animis excedere curas,
Et paucis trita tendere ad aſtra via;
Spemque metumq; inter dubiũ dare vela per æquor,
Dum teneat portus ſalva carina ſuos.
Hanc, quæ nunc luget, jacuit proſtratus ad aram
Sæpiùs, & ſupplex pro grege thura dedit.
Atque alius doteſque tuas, & facta, Georgi,
Pectoribus populi non abitura refert.
Momentiſque ſuis expendit publica damna,
Non dolor hæc tacitus diſſimulare poteſt.
Quantum, ait, heu tecum rapuit mors dira bonorũ,
O Pater, o Pylios digne videre dies!
Quid non illa tuæ poterat facundia ſuadæ,
Oraque tot linguis tam bene docta loqui?
Tu poteras verbis tepidas accendere mentes,
Pectoraque hiberno frigidiora gelu.

Quis

Quis tam durus erat, quem non inflectere poſſes?
Feciſſes verbis mollia ſaxa tuis.
Oſcœni quoties ceſſere cupidinis ignes,
Te caſtas animis injiciente faces?
Invidus, ulturuſque, odium ponebat & iras,
Atque alius ſubitò, cùm loquereris, erat.
Sic tua cum lacrymis memoratur ſæpè profuſis
Gloria. Me miſerum, quàm brevis illa fuit!
Heu pietas ignoſce: brevem qui dixerit illam,
Menſes, & ſolos ſupputat ille dies.
Illa quidem felix meritis in ſæcula vivet,
Sed queror hac longùm non licuiſſe frui.
Quàm citò (me miſerum) ſuccedunt triſtia lętis!
Quàm fugiunt celeri gaudia noſtra pede!
Nemo diu felix. Sors, quæ modò proſpera venit,
Quo minimè remur tempore, verſa perit.
Nulla fides Sorti: fallitque, interque tenentes
Et fruſtrà cupidas effluit illa manus.
Tam citò purpureos non perdunt prata colores,
Nec conſumpta fugit ſole cadente dies.
Tam citò compoſitas Aquilo non concitat undas,
Nec fallit, nautis, quam dedit, aura fidem.
Dicta fuit felix, & erat te ſoſpite felix,
Nactaque te, votis Ipra potita ſuis.
Tanta ſed, heu, moriens traxiſti gaudia tecum,
Et tumulo, quo tu, cuncta ſepulta jacent.
At benè quòd pietas tua te ſuper æthera vexit:
Hac tua mors ſaltem eſt parte dolenda minùs.
Obvius excepit venientem in limine primo,
Poſt quem vitta tibi ſumpta pedumque fuit:
Quique illum præiere, ſacræ quibus Ipra tiaræ
Vidit honoratum luce nitere caput,
Teque pios inter procere lucentes locarunt
In ſolio, meritis conveniente tuis.
Hic fruere exacti pretio cauſaque laboris,
Et quo ſemper erat mens tibi plena, Deo,
Hæc curis promiſſa tuis, hæc reddita merces.
O merces omni digna labore peti!

Ipſa tibi intereà tumulum de marmore ponet,
  Et tua conſpicuis nomina ſculpta notis.
Quæ quoties cernet, lacrymis perfundet obortis,
  Lux que ſub hoc, dicet, marmore noſtra latet.

EGLOGA

IN OBITUM EJUSDEM.

THYRSIS.

Raptum immaturo deflebat funere Thyrſin
Infelix Lycidas, nec erant ſua verba dolenti.
Tantùm inter ſilvas fonteſque, & flumina, Thyrſin
Ingeminans, fontes lacrymis augebat, & amnes.
Jam Thyrſin montes, umbroſa cacumina Thyrſin,
Convalleſque cavę Thyrſin, colleſque ſupini
Herboſis Thyrſin referebant flumina ripis.
Ut verò impaſtum, nullo cuſtode, per agros
Ire gregem vidit, tendens ad paſcua palmas
Conſtitit, & lacrymās hęc vocem in verba reſolvit:
  Parcite oves nimiùm procedere, non benè ſolæ
Collibus, & campis, ſilviſque erratis in altis.
Ipſe lupum nuper poſt hæc dumeta latentem
Quę petitis, multoque infectum ſanguine vidi.
Nec, cùm, Coge pecus clamarem, Tityre, fugit.
Heu pecus infelix, poſtquam te cura reliquit
Thyrſidis, ah teneros quis jam cum matribus agnos
Ad colles paſtum; quis potum ad flumina ducet?
Quiſve urſos, miſeroque lupos arcebit ovili?
O Divi, quid oves in vos committere tantum,
Quid capreæ potuere? quibus nec flumina ſedant
Thyrſide ſublato, nec graminis herba dolorem.
Florentem ut cythiſum inveniāt in monte capellæ,
Ad ſtabula impaſtæ redeunt è monte capellæ,
Impaſtique gemunt plena ad præſepia tauri,
Thyrſi, tuum ſteriles etiam ſenſiſſe myricæ
Jnteritum, mœſtique amnes, ſilvęque putantur.

Vidi

Vidi ego in arboribus ſenſim palleſcere frondes,
In campis ſegetes languere in collibus herbas;
Occiderat Thyrſis, lugebant omnia Thyrſin.
Thyrſis & Arcadium ſuperabat Pana canendo:
Herbarum immemores illos cantante capellæ,
Et teneri ſtabant arrectis auribus hædi,
Ad pia ſilveſtres veniebant carmina Fauni,
Nymphæque, Dryadeſque, & capripedes Silvani.
Ipſa etiam numeros narratur Thyrſidis Echo
Et didiciſſe, & nil retuliſſe libentiùs unquam.
At nunc pro numeris, pro cantu Thyrſidis Echo
Solùm iterat mecum ereptum mœſtiſſima Thyrſin
Nec tantùm mulcebat oves, oviumque magiſtros,
Et quæ cantando vincebat numina ruris,
Sed rigidas etiam flectebat carmine cautes,
Et deducebat celſas è montibus ornos.
Dulcè ſonat querulo fugiens per gramina rivus
Murmure; dulcè ſonat venientis ſibilus auſtri
Arboreas medius per frondes; dulcè canoris
Alitibus ſilvę reſonant, arbuſta cicadis;
Dulciùs arguta reſonabat arundine Thyrſis,
Seu ſilvas, ſeu quis pecori ſit cultus alendo,
Seu caneret Superos, Divumque referret amores.
Quid tamen iſta juvant? paſtorum gloria Thyrſis
Num minùs interiit? qui cantu ſaxa movebat,
Num potuit cantu duras quoque flectere Parcas?
Frangite paſtores calamos; nil carmina proſunt.
Servaſſent, ſi quid potuiſſent carmina, Thyrſin,
Noſtraque manſiſſet, ruriſque ęterna voluptas.
Triſte ſatis grando, maturis imber ariſtis,
Tempeſtas vitibus, nebulæ florentibus hortis,
Milvius alitibus, nobis tua funera Thyrſi.
Nec dolor hic citiùs miſeros, quàm vita relinquet.
Antè feret ſalix unca roſas, poma antè cupreſſus;
Antè etiam hirſutis creſcent in ſentibus uvæ,
Mella dabunt amnes, quercus feret omnis amomũ;
Paſtores Thyrſin quàm non lacrymemur ademptum.
Quamvis jam ſilvas Thyrſis, melioraque noſtris

Rura tenet, virideſque ęterno gramine colles;
Quos nec hyems nivibus, nec lędet grandine Corus,
Nec lolium infeſtat, nec adurit ſolibus ęſtas.
Quamvis jam puro manantia flumina lacte
Libat, & ęterno manantes nectare fontes.
Quemvis ſub pedibus nubes, & ſidera ſpectat.
At vos ite domum, infelices ite capellę,
Ite domum ſine me: ſed parcite rodere vitem,
Quam poſuit Thyrſis, teneram cui ſępè rigavit
Radicem, & nimias ferro compeſcuit umbras.
Neu terite ingreſſæ, coluit quem ſedulus hortum,
Hinc ego namque roſas, & purpureos hyacinthos.
Et dulces violas, & candida lilia carpam.
His ſaltem infelix donis cumulabo quotannis
Dilectos cineres, circumque altaria ſpargam,
Et ſpargens flebo, & parvo flens murmure dicam:
Thyrſi tibi violas, & candida lilia ſpargo.
Tum duo vicinis incidam carmina fagis:
Hoc pecoris cuſtos tegitur ſub ceſpite Thyrſis,
Deliciæ gregis, & paſtorum Thyrſis amores.

AD GEORGIUM GHAMBERLINUM,
Epiſcopum Iprenſem.

In Gnomen ejus ſymbolicam:

IN SOLITUDINE SOLATIUM.

STROPHE.

Etiam in turba ſolitudinem eſſe.

Solus ut vivas, animique liber,
Nil opus ſolo nemorum receſſu,
Nec ſalutantum pedibus negata
Valle, Georgi.
Fallitur, quiſquis nemus & latebras
Invias ęgris putat eſſe curis.

Non

Non ſatis noſtris loca ſola turbam
Mentibus arcent.
Solus eſt, & ſe fruitur, timoris
Et ſpei liber, cui pectus altum
Nec dolor mœſtus, neque vana tangunt
Gaudia vulgi.
Ille & in plena Procbyten Subura
Invenit, ſemper ſuus: ille ſemper
Urbium turbis procul, & ſuorum,
Se quoque fugit.
Fervidos rerum licet inter ęſtus
Degat, & ſęvi fremitus Gradivi.
Quem Furor circum volat, & cruentis
Enſibus ira:
Spectat immotus gladios, & acres
Militum vultus, mediiſque in armis
Regna vertentis ſonitum ruinę in-
territus audit.
Vincat hic, inquit, ſubigatque reges,
Sitque multorum dominus. quid inde?
Plurium eſt ſervus. Suus eſſe neſcit
Sparſus in omnes.
Non facit regem pavida tenendum
Dextera ſceptrum, populique ſupplex
Vultus, & lęta diadema rarò
Fronte gerendum.
Ipſe ſuum regnum mihi, turbidęque
Diffidens plebi, neque miror emptas
Cędibus lauros, neque fixa regum
Poſtibus arma.
Sic ſui rex eſt ſapiens, ſuumque
Poſſidet regnum, retinetque ſolus,
Quod tuus fruſtrà tibi, vel tuorum
Aroget enſis.
Quod petis, tecum eſt: ſibi dat receſſum
Æqua mens, ſtultis inimica votis.
Illa nec totis redimenda regnis
Otia donat.

Hanc habent urbes etiam quietem,
Quam nec Iliſſi dare, nec Lucrini
Ripa, nec poſſunt placido tepentes
Littore Baiæ.
Quando nox umbris, hyemeſve nimbis
Condere obductum potuere ſolem,
Semper ardentem, propriæque numquam
Lucis egentem?
Quando & Arcturi furias cadentis,
Et graves motus orientis Hædi,
Et Jovis currus, & equos tonantis
Senſit Olympus?
Dum latus pulſat Boreas nivali
Grandine, & nimbis violentus Auſter,
Ille, quà cælo caput, & propinquis
Inſerit aſtris,
Ille ſecurus nivis, atque diræ
Grandinis, ventos, pluviaſque ridet
Altior nimbis, & agente nimbos
Altior Euro.
Sic ſuo gaudet Sapiens receſſu,
Seque tranquillus potitur, Deoque:
Et ſilens dicit ſibi multa, ſeſe
Major, & orbe.

ANTISTROPHE.

Etiam in ſolitudine eſſe turbam.

QUid juvat turba procul, in remotis,
Solus ut vivas, habitare ſilvis?
Quam tibi neſcis dare, non datura eſt
Silva quietem.
Sunt ſui ſilvis etiam tumultus.
Imminet tergo domini fugacis
Turba curarum, pariterque terris
Errat, & undis.
Sive deſertas Libyes arenas,

Seu petat Colchos & inhoſpitalem
Caucaſi rupem, properetve nigros
Exul ad Indos:
Non minùs velox equitem ſequetur
Cura, nec puppim pelago volantem,
Nec leves mannos, neque concitatos
Deſeret axes.
Audiit turbam, ſtrepitumque Romæ,
Audiit plauſas pedibus choreas,
Dum timet ſeſe, latitatque in altis
Dalmata ſilvis.
Fugerat Roma, Syriæque triſtes
Caſtus ad montes properabat exul:
Roma per longas profugum ſecuta eſt
Improba terras.
Qui ſimul ductu Superum ſilentem
Deviæ rupis tetigit cavernam:
Portus o, dixit, ſtatioque ſalve
Fida carinæ:
Hic mihi feſſo maris & viarum
Hoſpitam fas ſit religare navem,
Jamque ſubductæ pelago virentem
Ferre coronam.
Ancoram jeci ſtabilem, neque illam
Eruent altis hyemes arenis,
Nec furor Nerei laceros revellet
Puppe rudentes.
Hoc Quies, & Pax habitant ſub antro.
Hic pudor fixit, Pietaſque ſedem,
Inter has quis non comites beatus
Se ſibi reddat?
Hæc mei rupes erit aula regni:
Hic mei victor, dominuſque vivam:
Hæc dabit nobis, ſua quod negavit
Regia Crœſo.
Talibus fruſtra ſibi pollicetur
Otium infelix. Redit è latebris
Tota mens Romam, mediaque rurſus

Errat in urbe.
Membra proſternit, gelidoque ſaxo
Pronus incumbit, queriturque ventis
Vota diſcerpi ſua, perque ſurdum
Æthera ſpargi.
Tota lamentis ſonat & querelis,
Et madet rupes lacrymis precantis:
Nec tamen flentem, neque multa queſtum
Roma relinquit.
Nudat & pectus, miſeros tumultus
Inde pulſurus ſcopuli revulſa
Parte. Vicino pretioſa pendet
Purpura trunco.
Ictibus crebris lacerum rubebat
Flentis, heu, pectus: tamen illud, abſens
In puellares quoties retraxit
Roma choreas!
Lubrici vultus, oculique molles,
Et leves riſus, agileſque plantæ
Sæpè nolentes oculos ſublima
Rupe morantur.
Obviæ baccæ, lapidoſa corna,
Victus infelix, rigidiſque fraga
Vulſa dumetis, & acerba tantùm
Arbuta paſcunt.
Crinis incultus jacet, ora pallent,
In cavos orbes oculi recedunt,
Oſſa vix ipſis malè juncta pendent
Arida nervis:
Roma ſed nondum fugit: uſque, & uſque
Flentis invitos oculos fatigat.
Non minùs vera ſtimulabat urbe
Urbis imago.

ANTO.

ANTONIO ENGRAND,

Monaſterii Sancti Petri in monte Blandinio, juxta Gandavum, Abbati ſolemniter inaugurato.

Tres glandes, ejuſdem inſignia, in Emblema verſæ.

IN SEMINE VIRTUS.

Vidimus, Antoni, tua tres inſignia glandes,
Vidimus, & felix, diximus, omen habent.
Quæ præbet latas quercus ſpatiantibus umbras,
Diffuſiſque patet frondibus, una nemus:
Quàm fruſtrà Boreas, quàm fruſtrà verberat imber,
Quæ ſtat in immenſum viribus aucta ſuis:
Vulneribus quæ ducit opes, & robur ab ipſis,
Glandis ab exiguo ſemine nata fuit.
Creſcit, & è modico ſurgit quoque ſemine virtus,
Et ſenſim vires explicat illa ſuas.
Nulli illam caſus, nullæ infregere procellæ:
Ipſa etiam cauſas damna vigoris habent.
Te quoq; ſublimi nunc ſtantem in culmine rerum
Roboris invicti, ſicut es, eſſe decet.
Exere, quas virtus tua ſufficit, exere vires:
Omnibus aſſurget fortior illa malis.

ANTO-

ANTONIO ENGRAND,

Svvynardiæ ſolemnes inaugurationis honores primùm auſpicanti, & à Senatu ſuo, & clientium comitatu in montem Blandinium deducto.

Vidi, quà rapido propinqua Scaldi,
Felix frugibus, & virente luco
Stat Svvynardia, crede Ganda, vidi
Altas in numerum movere quercus
Frondoſum caput, ilicesque lætis
Motus neſcio quos dediſſe ramis.
Quem fauſto Satyri, leveſque Fauni
Spectant omine? Cui ſonante luco,
Formoſæ Dryades dedere plauſum?
Antoni tibi: ſcire namque Fauni,
Ipſa & ſcire videntur iliceta,
Hic inter virides receptus umbras
Qui ſis, cur venias, quid auſpiceris.
Certè te dominum tuus Senatus
Hic inter virides ſalutat umbras;
Hic inter virides precatur umbras,
Ut, quos pro meritis adis, honores.
Dextris auſpiciis ſecundet æther.
Quare dum latus hinc & hinc euntis
Stipant, crede, quot ilicum tuarum
Motantur Zephyro ſtrepente frondes,
Te votis totidem excipi tuorum.

ANTO-

ANTONIO ENGRAND,

Abbati Blandinienſi, poſt Abbates LXIV. ejus nominis primo.

EST aliquid primi titulum, nomenque referre,
  Ire & ſecundis, tertiiſque prævium.
Nomine ſit ſolo quamvis, non munere primus,
  Quiddam invidendæ ſortis, & laudis tamen
Nomen habet; primumque ſuo ſe nomine faſtis
  Inſerere munus ornat, & famam evehit.
Tuque adeò, cui nunc, Ganda plaudente, tiaram
  Engrande, nivea detulit Virtus manu,
Poſtera Blandinios referent cùm ſæcula Patres,
  Seu qui fuere, ſive qui poſthac erunt
Inſignes vittis, &, quo tu, nomine dicti,
  Antoniorum primus appellaberis.
Diceris, victura tuos cùm fama labores
  Extollet olim, cùm paterni pectoris
Dulcibus officiis æquaris vota tuorum,
  Nodoque amoris aureo junctos ſibi
Foveris, & Priſci mores revocaveris ævi,
  Prudens, benignus, publico bono excubans:
Diceris meriti plenus, felixque laborum,
  Antoniorum primus expleſſe omnia.
Intereà præſens adeat tibi Divus ab alto,
  Illuſtre cujus nomen, & munus geris.
Ille ſecundabit, tibi qui defertur, honorem,
  Onuſque reddet facile, quod primus geris
Illius auſpiciis & nomine, magna gerenti
  Sufficiet altos ſpiritus, ſuis pares.
Credibile eſt illum ſolo quoque nomine tangi,
  Cognominemque blandiùs, quidquid petis,
Reſpicere. O longum faveat, faciatque, quod olim
  Deſerta Nili nemora claravit, decus
Blandinio veniat monti quoque; quodque fuiſſe
  Illum ſuis miramur, hoc tu ſis tuis.

MON-

MONTI BLANDINIO

Felicitatem gratulatur novo Abbate inaugurato.

DIvæ Pierides, ſi juga montium,
Si valles riguæ, ſi gelidis placent
Lapſi fontibus amnes,
Sacratæque Deo domus,
Clarum Blandinii viſite verticem,
Dilectum Superis viſite verticem:
Quem non flumina tantùm,
Valleſque, & vitreus latex,
Et Divum decorant limina, limina
Latè conſpicuis ardua turribus,
Quantùm, qui modò ſacris
Divum liminibus præeſt:
Quem vallis riguæ paſcua, quem juga
Agnoſcunt dominum, cui famulantia
Prono culmina gaudent
Se ſubmittere vertice.
Ille ingens animi robur, & optimis
Fetum conſiliis pectus, & in ſuos
Fidum præbet amorem,
Veſtris materiem choris.
Felix Blandinius præſide mons novo!
Factus nobilium tu quoque montium,
Cœlum vertice tanges,
Caſſini propè par jugo.

AD NOVUM

Blandinienſis Monaſterij templum, quod primùm aperuit Antonius Engrand.

PRO EJUS INCOLUMITATE VOTUM.

ARa, cui primùm reſeravit ædis
Limen Engrandus, cui thura flammis
Addi-

Addidit primus, modò lætiores
Indue cultus.
Concolor feſto niteat paratus:
Ignem odoratum, radioſque flamma
Purior ſpargat, rutilumque templi
Verberet aurum.
Aſtat Engrandus, lituoque dextram
Implet aurato: digitos Eoæ
Ambiunt gemmæ, nivæque cingunt
Tempora vittæ.
Vota, quæ ſupplex animi, Deoque
Concipit plenus; facilis precanti,
Sancta ſi ſemper pietas honori eſt,
Fac probet æther.
Quidquid infauſtum Patriæ, ſuiſque
Providus rerum metuit, protervi
Differant venti, mediumque portet
In mare Scaldis.
Hunc diem ſoſpes videat reverti
Sæpiùs: ſoſpes tibi ſe quotannis
Cum ſuis ſiſtat, ſolitique ſolvat
Moris honores.

IN SOLEMNEM RITUM,

Quo Abbates Blandinienſes Flandriæ Comitibus, Dominatus ſui poſſeſſionem adeuntibus enſem à ſe ritè conſecratum in Blandinio Monte ſolent accingere.

SAcrum tiaræ ſubjice verticem
Engrande, & illa ſume pedum manu,
Cui prona regnantum voluntas
Grande dedit, pietaſque munus,
Vincire ferreo fulmineo latus,
Quo Flander urbes Mars ſibi ſubditas
Tutetur, hoſtileſque latè
Victor opes, animoſque frangat.
Senſit Philippus, quid prece, quid manu
Sacratus enſis poſſet, & Africum

Lit-

Littus, triumphatuſque Ganges,
Et Potoſos, Perueque ſenſit.
Verba apprecantis ſævitiam addere
Creduntur enſi: & ſic melius datum
Terrorque, confuſæque Strages
Anteeunt, trepiduſque Pallor.
Confiſa fruſtrà viribus agmina
Stetere, belli ni Deus arbiter
Aſpiret armis auſpicatò
Bella geri docuit piorum
Fortuna regum. Blandinio quoque
Trophęa monti debita, cùm Duces
Hic enſe ſuccincti gerendis
Auſpicium petiere rebus.

BLANDINIENSIS MONASTERIJ
Patribus Gruem, domeſticam avem, in Monaſterio ali ſolitam, vigilantiæ in Abbate, concordiæ in ſubditis vivum & perenne ſymbolum.

Est quoq; digna die, nec inopportuna voluptas
Lyra ſonante dicere
Naupliade volucrem.
Excubat; & cura ſocias vigilante tuetur,
Cùm ſubter alam condito
Somnum ineunt capite.
Non fera, non fallax incautas occupet anceps,
Non ſævus armiger Jovis
Impete fulmineo
E paſtu rapiat. Dum pennis nubila findunt,
Thracemque linquunt Strymona,
Biſtoniaſque hyemes,
Dux pręit, & curſus magnum per inane morantem
Infringit alis aera;
Illa volat, ſequitur
Ordine compoſito lætis clangoribus agmen:
Qua fertur, inſcriptas notat
Littera facta vias.

Ante

Ante oculos vobis ales, quem diximus, errat,
Virtutis ales ſymbolum,
Quæ deceat ſocios,
Quæque Ducem deceat, concordia pectora, Patres,
Virtute veſtra, nec minùs
Præſidiis auſpiciis,
Quem numero ex omni juvat elegiſſe, beati.
Spes læta conſtet, tam bono
Quæ venit augurio.

LIVINO VAENTKINS,

Monaſterii in Baudeloo Abbati, Muſarum Mæcenati, annuis præmiis ſtudioſam juventutem donanti Gandavi x. SEPT. MDCL.

ALphea propter flumina viderat
Minerva, doctis cincta ſororibus,
Certantis ardorem juventæ,
Spe decorum, poſitæque palmæ.
Quantuſque, dixit, pectora concitat
Laudum cupido! Quantus adeſt equis,
Viriſque ſudor! En, feruntur
Præcipiti ſimiles procellæ.
Dant lora proni: fervidus emicat
Victoris axis, per vacuum aera
Aſſurgit: humeſcunt ſequentum
Flatibus, alipedeſque multa
Squalent arena. Num minor & meis
Sit ſpes alumnis? Currite; currite,
Qua laurus, atque umbrata lauro
Signa vocant, avidoſque palmæ
Virtus adurget. Fortia corpora,
Pulchroque currus pulvere ſordidos
Miretur Elis: pinus illos,
Hos apium, hos oleæ coronent,
Lauruſque victrix. Vos animi vigor,
Altæque mentis pulchrior impetus

Attol-

Attollit Eleis quadrigis
Altiùs, Iſthmiaciſque ludis.
Tu ſigna tollis: prima petentibus
Tu calcar addis. Tu procùl inclytas,
Livine, prætendis coronas,
Egregii pretium laboris.
Quid grata Pallas muneribus, Pater,
Tuis rependat? Donec erunt ſui
Muſis honores, perque colles
Aonidum, virideſque lucos,
Vates eburno pectine poſteris
Tradenda ſæclis nomina concinent,
Te dicet, inſcribetque faſtis
Ipſa ſuis, memorique cedro.

GUILIELMI
BECANI
E SOCIETATE JESU
IDYLLIA
ET
ELEGIÆ.

ELEGIA
DE REGNO
A SERENISSIMA
CHRISTINA
SVECORUM REGINA
DEPOSITO
EJUSQUE IN PACEM STUDIO.

QUI modò Chriſtinam nec regia ſceptra tenentem ,
Nec dantem populis priſtina jura vides ,
Falleris ex illo motam ſi culmine cenſes ,
Quo nuper terris ſuſpicienda fuit .
Altiùs evexit ſeſe , dum ſumma reliquit .
Auxit , quo viſa eſt ſe ſpoliare , decus .
Nanciſci regnum , minùs eſt quàm ponere . Sortis
Nanciſci , magnæ ponere mentis opus .
Et genus , & faciunt , ut nanciſcare , parentes ;
Omnis , ſi ponas , laus tribuenda tibi .
Carolus Auſtriades poſuit ; tam grande , novumque
Exemplum terris Belgica noſtra dedit .
Poſt victos reges , poſt mundi extrema ſubacta ,
Hæc illi de ſe palma relata fuit .
Herois Chriſtina premit veſtigia tanti ,
Nec curat trita regibus ire via .
Cùmque nihil Carolo majus , quæ poſſit haberi
Maximus , hac illi proxima parte fuit .

Ill:

Ille fatur rerum poterat laudumque videri ;
Impleret fama ſolis utramque domum :
Flore vigens ævi, dum mentes acriùs urit
Gloria, ſe regnis exuit illa ſuis.
Carolus extremos ſucceſſibus auctus ad annos
Ulteriùs vix quò progrederetur, erat:
In medio curſu rerum ac ſplendore ſuarum
Deſtitit illa viam, quam dabat aura, ſequi.
Sceptra gerant alii famæ adjumenta parandæ,
Splendoremque ſui nominis inde petant;
In decus ipſa ſuum ſibi ſufficit; ipſa theatrum,
Materies laudum eſt ipſa futura ſibi.
Spernit, emi pretio quovis benè quæ putet alter,
Regna nihil dignum, quo teneatur, habent.
Nec tamen exempta e'ſt magnorum ex ordine regum,
Nec petit hos inter non ſibi jure locum.
Regia res virtus, regnat qui præditus illa eſt,
Pluſque aliquid, poſſint quàm dare ſceptra, tenet.
Regia res animus rerum contemptor, humumque
Exoſus, liber, ſufficienſque ſibi.
Eſſe putes regem, cujus plebs audiat omnis
Juſſa, cupidinibus ſerviat ipſe ſuis?
Quem frangat luxus, dolor obruat, aſperet ira,
Ambitio dominum non ſinat eſſe ſui?
Eſſe putes regem, fortunæ qualibet aura
Qui ventis actæ more feratur aquæ?
In ſolio curas humiles qui verſet, & uno,
Quàm populus, ſtudeat celſior eſſe loco?
Rex ille eſt, quem ſceptra ſuper juvat atque coronas
Altiùs humanis exeruiſſe caput.
Caſibus & ſorti quidquam debere recuſat;
Nec tum, cùm deerunt cuncta, futurus inops
Subdere ſe vitiis neſcit, collumque pudendo,
Inſtar habet lethi, ſuppoſuiſſe jugo.
Hoc ſibi dimiſſa regnum Chriſtina corona
Vindicat: hoc nullo depoſitura die eſt.
Parcite primâ manu mundi qui ſceptra tenetis,
Hic nulli veſtrum cedere parte cupit.

Quin

Quin gradus eſt illi, quod vobis culmen honoris
Sub pedibus, quo vos ſuſpicit orbis, habet.
Vos oſtro fulgere juvet, ſolioque ſedere,
Et populum veſtros ante videre pedes:
Vos juvet imperium terra proferre marique:
Veſtra triumphatus ſub juga mundus eat:
Cætera dimiſit, ſibi ſe Chriſtina reliquit.
Hoc ſatis: hoc uno maxima regna tenet.
Veſper ut à vobis leges expectet, & Ortus:
Latiùs illa Domi, quo dominetur, habet.
Pro quo certatis, pro quo convellitis orbem,
Diraque ſuſcipitis bella, dat illa ſibi.
Pectus inexpletum vobis: nil deficit illi.
Mens bona ſunt omnes, quas ſibi poſcit, opes.
Addere vos partis; amat illa relinquere parta:
Mutua vos rapitis; deſerit illa ſua.
Tum quoque, ſupremas rerum cùm flexit habenas,
Quaſque datis leges gentibus, illa dedit,
Cùm tenuit terras, Pontus quas frigidus ambit,
Suppoſitaſque ſibi Mænalis urſa videt,
Florentis regni, fortunatique per illam,
Quid, præter curam, credidit eſſe ſuum?
Ut modò regnandi procul eſt, procul antè libido
Abfuit: hoc aliis, non ſibi geſſit onus.
Illius eſt, ſolis modò quòd non polleat armis,
Sitque fero tantùm Suecia Marte potens;
Quòd cultum & mores miretur, opeſque ſuorum,
Atque artes, regio queis viget ulla, colat,
Illius eſt, primis quod cum regionibus Arctos
Certet, ab ingenio diſſideatque ſuo;
Facta quod Europæ ſit pars illuſtris, amicam
Quam regum quivis optet habere ſibi.
Nec populo contenta ſuo feciſſe benignè,
Complexa eſt curis extera regna ſuis.
Cùm foret aſſuetus palmis exercitus illi,
Sponderent belli non niſi fauſta Duces,
Militibus campos compleret, caſſibus æquor,
Pax placuit, pacem Rhenus & Albis habent.

Fulmen erat belli genitor; cùm poſſet eadem,
Quærere diverſa maluit arte decus.
Atque utinam qua nunc Germania gaudet, eadem
Numina permittant nos quoque ſorte frui!
Nulla ſalus bello, redeat pax optima rerum.
Splendidior nullus pace triumphus erit.

IDYLLIUM I.

IOSEPHUS.

Argumentum.

Joſephus puerum JESUM Herodis furori ſubtrahit, & in Ægyptum fugit, Patriarchæ olim Joſephi ſedem.

AD LUDOVICUM DE ROMER.

Cùm ei ædem in valle B MARIÆ, Facontina dicaret, conſecraretque.

TU, dum votivis adoles altaria flammis,
Inque novas ſedes, & fulgens marmore templum
Joſephum invitas, Ludovice, tibique favere
Cogis, & acceptis majora rependere donis;
Diverſum in terras alio ſub ſole calentes
Me meus ardor agit. Juvat ire, habitataque quondam
Sancto regna ſeni, & magnis loca conſcia curis
Viſere, divinum quibus olim fovit alumnum,
Depoſitumque ingens terris ſervavit & aſtris.
Non tamen ut Judæ domus & magalia Bethles
Me teneant; quamvis hæc illi patria, quamvis
Se Deus his primùm noſtros circumdatus artus
Oſtendit terris, & parvo vagiit antro:
Paſtores primi fæno videre jacentem.
O fortunati, quos ipſe ad limina cuſtos
Induxit ſenior, iamque ubera cara petentem
Oſtendit puerum, & ſtantem ad præſepia matrem!
Ille latus palæis & fœno fultus agreſti
Accepit lætus venientes, donaque turbæ

Pauperis arridens, primoſque admiſit honores.
Quis ſervaſſe gregem, quis noctem montibus illis
Non cupiat vigilaſſe? procul nunc illa voluptas:
Nunc dulcis pueri petitur caput. Hei mihi, quantus
Aſtra ferit clamor! fatalia linquite tecta,
Dum licet, inque ſinus abſcondite pignora matres
Bethlemiæ: tuque ante alias fuge regia Virgo,
Quò Numen, ſponſuſque vocat; ſed & o! mihi longè
Jeſſeæ valles, nec jam jucunda valete
Antra. Quis infandam cedem, laniataque membra
Infantum, matrumque hærentia funera collo
Spectet, & undantes inſonti ſanguine cunas?
Ibo, & Joſephi profugi comes, exulis exul,
Per, qui ſe obiicient, caſus, ejuſque, meoſque
Quo ſe cumque ferent) ſequar indefeſſus amores.
Atque utinam, ſacræ fuerit ſeu parva ſuppellex
Tranſportanda domus, via ſeu tentanda, laboris
Me vocet in partem! ſed in illo cardine rerum
Cui fidat? viden'ut trita regione viarum
Abſcedat? conjux oculos demiſſa modeſtos
It comes. Inſequitur cælo plaudentibus alis
Aligerum formoſa cohors, circumque, ſupraque
Ambit ovans puerum, ſive inter brachia matris
Geſtandus, collo ſeu pendeat ille paterno.
Fortunate ſenex, toties modò cujus in ulnas
Matris ab uberibus tam dulcis ſarcina tranſit,
Brachia cui nectit ridens, pretiumque ferendi
Oſcula divinis infigit dulcia labris!
Fortunate ſenex, cui blæſas reddere voces
Incipit, atque illud paulatim dicere nomen,
Quo vocat æternum nihilo minor ipſe parentem!
Ipſæ te valleſque cavæ, colleſque ſupini,
Quà tranſis, ipſæ te rupes, ipſa beatum
Saxa vocant; ponduſque tuum comitemque fatentur

Neſſe

Noſſe feræ, & prono venerantur vertice ſilvæ.
Quò properas? patulis hic ficus temperat æſtum
Frondibus, hic flores, immixtaque floribus herba,
Hic torus: hic molli puerum depone ſub umbra.
Ipſe Paretonias præcurram lætus ad oras
Nuntius. Excibo cives, Memphimque ſubire
Delicias terrarum & cæli gaudia dicam.
O felix, nimiùm felix, tua ſi bona noſti,
O dilecta Deo regio! redit ille tuorum
Servator populorum, his nomen amabile terris
Joſephus: nec jam attonito nocturna tyranno
Viſa aperit, nec ſeptenos collecta per annos
Partitur frumenta, famis ſolatia diræ.
Ipſum adeò auctorem frugum, qui gramina campis,
Qui ſegetes arvis, qui Nilo ſufficit undam,
Adducit. Deus, ecce Deus! quem ſæcla Canopo
Priſtina terribilem, perdentemque omnia latè,
Fulmina vibrantem, & tonitru videre cientem;
Nunc trepidus fugit, & teneris vagitibus auras
Impellit lacrymans, latebraſque & tecta requirit.
Spargite flore viam, manibus date lilia plenis,
Et triviis feſtas intexite, quà venit, umbras.
Me miſerum! quanto tellus incenditur æſtu!
Ut rabidi ſoles! ut nulli hoc aere venti!
Ah! tibi ne noceant inſueti, Virgo, calores!
Ne puero teneros urat ſol fervidus artus!
Sancte ſenex, tuus iſte labor: tibi creditus infans,
Infantiſque parens: generis tu gaudia noſtri,
Tu pretium mundi, & cœleſtia pignora ſerva.
Nos tibi, nos illo pro munere carmina grati
Solvemus, nomenque tum tollemus ad aſtra.
Carmina nos; alii ſolido de marmore templa
Conſtituent, & dona tholis ingentia figent.

IDYLLIUM II.

TESTYLIS.

Argumentum.

Puella ruſtica poſt Dei Matrem deſerto in ſacello religioſè cultam ibidem expirat, & cælo tranſcribitur.

AD
FRANCISCUM MONTMORENCIUM
è Societate Jeſu.

Cùm ab eo lyricam Pſalmorum Davidicorum
Paraphraſim accepiſſet.

Reddite Blandinio calamos in monte relictos
Pierides: iterùm ſilvas & rura canemus.
Adſis, & tenui aſpira, Franciſce, labori.
Bucolici princeps tu carminis; altera quamvis
Depoſitis modò plectra juvet tentare cientis.
Infelix, quò te rapit entheus ardor, & ultrà,
Quàm Venuſinus olor, quàm curſu Pindarus egit,
Cœlo iter affecta. Dudum tibi Tybris, Apeſque
Terrarum dominæ blando plauſere ſuſurro.
Noſtra humiles ſupra non ſurgit muſa myricas.
Nec tamen hanc ſpernit Grudiis celeberrima ſilvis
Virgo, cui primas agreſti carmine laudes
Dixit Bethlemio Paſtorum turba ſub antro.
Inde illi pecudes curæ, pecudumque magiſtri.
Theſtylis exemplo eſt, cujus malè cultus agellus,
Et grex parvus opes olim; nunc addita cœlo
Vota audit, fauſtum agricolis & amabile nomen.
Viderat hæc collapſum inter dumeta ſacellum,
Reginæ Superum pietas quod priſca dicarat.
Virginis effigies fracta ſqualebat in ara,
Imbribus, indignum, rapidoque obnoxia ſoli.
Huc

Huc animi mœrens, miſerãſque in imagine Divam
Aſiduè veniebat, & aræ affuſa, videnſque
Semirutam, & cultus jam nil niſi ſigna prioris
Flebat, & innocuis immiſcens vota querelis.
Hei mihi! dicebat, quòd non me divite naſci
Patre Deus voluit, quòd non mihi jugera culti
Multa ſoli, multique greges in montibus errent?
Tum tibi fulgenti, Regina, è marmore templum
Exſtruerem: medio tu ſtares aurea templo;
Aureus ille tuis infans hæreret in ulnis.
Dixerat; extergenſque madentia lumina, ſilvam
Cantu implet, nomenque Mariæ tollit ad aſtra.
Juſſerat hoc teneris inciſum creſcere fagis,
Hoc Zephyros, auraſque, cavas hoc diſcere rupes
Hoc matutinas ſecum celebrare volucres.
Quin & avis fieri ſimplex, & ſumere pennas
Optat, & hoc omnes cantando ferre per oras.
Vana voves. Potiùs decorandi cura ſacelli,
Theſtyli, te teneat. Quid tum ſi vile, Deique
Indignum genitrice? caſam non ſprevit, & illum
In ſtabulo genuit, quem geſtat ad ubera, natum.
Quid faciat? modò poma ſuis hærentia ramis
Fert, figitque tholo: modò de radice revulſa
Intexit virgulta, & opacat frondibus aram.
Adjicit & geminas vario de flore corollas:
Una tegit puerum, pueri tegit altera matrem.
Et quia, quod donem majus, fortuna negavit,
Accipite hæc, inquit, manuum monumẽta mearum
Tuque, puerque tuus, Virgo: nam te quoque dicunt
Exegiſſe humilem nato cum paupere vitam.
Fallor? an ille mihi divinis riſit ocellis?
Et magis atque magis blandos in imagine vultus
Aſpicio? o utinam ſcirem quo munere poſſit
Officioque capi! non quidquid protulit æſtas
Formoſum in ſilvis, non veſtem, quã mihi Phyllis
Cùm daret, urbanis potes hac certare puellis,
Theſtyli, ait: non ipſam animam donare recuſem.
Ardoris nunc iſte mei ſit cereus index:

Ignea viſceram tenues diſſolvet in auras;
Me conſumat amor. Dulce eſt in amore perire.
Thura etiam, & templis qui ſuccenduntur, odores
Vellem ager hic ferret; totas altaria luces
Fumarent: ſed enim dabit hæc opulentior Ægle
Ipſa feram geminos etiamnum implumibus alis
Turturis inventos celſa ſuper arbore pullos.
Hos meus ut frater nido detraxit Iolas,
Accepi, & dixi, Puero portabimus illos.
Accipe, care puer, placido mea munera vultu.
Munera parva quidem pro tempore;ſed malè nobis
Autumnus fetas ſi non affecerit, agnum
Velleris intacti, ſic ſpondet mater, habebis.
Agnum Zacharides ſolitus tibi ducere, quando
Dulcibus è latebris parvus tua tecta petebat,
Et tua deſertis veniebat ad oſcula ſilvis.
O nimiùm felix, cęleſtia ſtringere colla
Qui potuit, pueroque puer colludere! felix
Quë toties tecum amplexa eſt,gremioque receptū
Conſcia veſtrorum fovit tua mater amorum!
En erit has etiam puer ut dulciſſime nobis
Delicias facias, nec jam ſimulacra, ſed ipſum
Te ſpectem, qualis Superis quantuſque videris?
Intereà ſim cura, precor, tibi mutua, quamvis
Tu Deus, agricolæ quamvis ego filia Mopſi.
Sic nutrit flammas, teneroque liqueſcit amore,
Immemor abſentiſque domus, pecoriſque, ſuique.
Sæpè greges illi per opacæ devia ſilvæ
Errarent, ſi non abſentis Diva puellæ
Suppleret curam, cuſtodiretque vagantes.
Sæpè parens natam ſera ſub nocte reverſam
Increpuit; ſed non ea me, quam rere, morata eſt.
Cauſa, inquit: luſere aliæ, ludantque puellæ:
Vota Dei Matri pro te tua filia fecit.
Illa quidem (gemitumque imo de pectore ducens
Solvitur in lacrymas) hic jam deſpecta, ſituque
Fęda jacet, ſed non ego criminis arguar hujus.
Quin potiùs ſtratam me mors illius ad aram
Occu-

Occupet, equè ſuo defunctam luce ſacello
Theſtylin ad ſedes deducat Diva beatas.
Sic vovet. Audivit virgo: taciteque, quod optas,
Fiet, ait. Suprema tibi cùm venerit hora,
Me coràm aſpicies, interque precantia verba
Deficientem animam excipiam, cæloque locabo.
Præſidium quis tale mihi, dum fata vocabunt,
Spondeat! o ego tum quàm molli fine quieſcam,
Te ſaltem ſi, ſancta Parens, in imagine ſpectem,
Et fractos oculos in te, mea vita, tuumque
In puerum attollens, nil jam mortale videre
Exoptem, ſed cælo inhians de corpore ſolvar:

IDYLLIUM III.

I S I D O R U S.

Argumentum.

Inter Dei laudes ad cælum aſpirat.

AD JOANNEM SCHEGA,
è Societate Jeſu,

ARCHIDUCI LEOPOLDO A CONFESSIONIBUS.

Tityre, coge pecus: venit Heſperus. Hic ego noto
Succedam nemori, laudeſque, aſſuetaque ſolvam
Vota Deo. Par eſt votis prævertere noctem.
Ibo, & Davidico quæ ſunt mihi condita verſu,
Ad reſponſuras meditabor carmina ſilvas.
Intonſi montes, altæque in montibus umbræ,
Umbroſi nemorum ſaltus, & paſcua, & amnes,
Et pluviæ, & rores, matutinæque pruinæ,
Ventorumque leves animæ, ni mbique ſonantes,
Cuncta Deum laudate: Dei ſunt omnia munus.
Rebus ab hoc vigor, atque omnis primordia vitæ.
Meſſibus hinc ager eſt, hinc pomis utilis arbos.

Hinc oleum, & triſtes animo pellentia curas
Vina fluunt, lęto floreſcit germine terra.
Terra parens frugum: ſed quanto pulchior illa eſt
Cœlicolum regio, quam formoſiſſimus ambit
Sol, & inexſtinctis illuſtrant ſidera flammis.
O Divum domus alta, ingentiſque aurea cœli
Templa, Dei ſedes! O ſol, o candida Luna,
Et toties oculis mihi viſa madentibus aſtra,
Aſpectu ut rapitur veſtro, ut ſe jungere vobis
Mens ardet! jam nec fontes, nec flumina nobis
Ipſa placent: ſordent veſtiti gramine campi.
Jam ſilvę, præter latebras plorantibus aptas,
Nil, quod amentur, habent. Hic flendo condere ſoles,
Et totas juvat in queſtus abſumere noctes:
Hic damnare moras, & cuncta tempora tardè,
Et nimium longos, cœlo quibus abſumus, annos.
Sic olim Iſacidę dominę Babylonis ad amnem
Sederunt Solymę memores, longumque gementes
Exilium ignotas turbarunt fletibus undas.
E ſalicum ramis pendebant barbita, venti
Impulſu interdum gemitus imitata ſuorum.
Chaldęi venere, fero gens barbara cultu,
Quique Tigrim, quique Euphratem tenet accola, venit,
Venere Aſſyrii, Medi venere coloni:
Omnes inſultant captis, quaque antè jubebant
Vincula ferre manu, nunc plectra reſumere mandant:
Eja agite; & quę olim, dum ſtarent alta Sionis
Templa, canebatis, depromite carmina nobis,
Hebręis Babylon modulis ſonet: en ſilet omnis
Ripa, ſilet nullis percuſſa fragoribus unda.
Quis modus externis meditari patria terris
Carmina? ut inviſi Babylon ſibi Numinis hymnos
Audiat? Hebręos ut rideat impia cantus?
Hoc Deus, infenſus quamvis nunc, hoc tamen, ajunt;

Non

Non ſinat Iſacidis cultus Deus. Ite profani.
Debentur Solymæ, Solymæ ſervabimus iſtos,
Quos petitis, cantus: gemitus hæc terra repoſcit.
O Solyma! o arces! o ſancti culmina templi!
Exiliique mei Babylon o triſtis imago!
En erit illa dies umquam, quæ me quoque reddat
Dilectæ nimiùm patriæ, regniſque beatis?
En erit ut terris excedat liber, & artus
Qui regit hos, puro ſe ſpiritus æthere condat,
Cœlicolas ubi cernat, ubi cernatur ab illis?
Ah quid non animo, quid non ſum corpore paſſus
Hac ego ſpe! quoties intactos, fonte reperto,
Tranſivi ſitiens latices, & languida traxi
Membra fame! quoties Cereris pro munere, curæ,
Et gemitus alimenta mihi, lacrymæque fuerunt!
Errantem mediis ſi ſol exureret agris,
Si ruerent denſis hiberni nubibus imbres,
Perfundar pluviis, dicebam, ſolibus urar:
Tempus erit, cùm cœleſtes invectus in orbes,
Altior & pluviis, & ſolibus altior ibo.
Si ſine me in molli celebrarent gramine ludos
Paſtores, ſi me tetricum triſtemque vocarent:
Parcite, dicebam, cœlo ſperabimus iſta,
O pueri: cœlum nobis majora reſervat.
Quid, quod neſcio quam cùm Phyllida Thyrſis amaret
Infelix juvenis, Corydon arderet Alexin,
Non niſi divinis mihi pectus amoribus arſit!
Num minus idcircò turgent mihi lumina fletu!
Idcircò noſtras non audit ſilva querelas?
Audiat uſque tamen; cœlum modò lumina ſpectent,
Uſque fluant lacrymis. Eſt quædam flere voluptas:
Dulcis amarities lacrymarum, ipſæque querelæ,
Ipſi delectant, qui ſunt in amore, dolores.

IDYLLIUM IV.

DAVID.

Argumentum.

Leone & urſo cæſis epinicium.

NASSON, NABOTH, CHELION.

AD FREDERICUM DE MARSELAER, Equitem, Toparcham de Parck, &c.

NAS. Dicite io Pæan, lætaſque ad ſidera voces
Mittite: victorem lauro redimite Davidem
Paſtores: meruit fieri ſibi talia David.
David in adverſum generoſior ipſe leonem
Ivit, & ingenti diſtraxit hiantia niſu
Ora premens, lacerumque cruenta extendit arena.
NAB. Davidem agricolæ celebrate, & tollite cęlo.
Dicite, crescenteſque jubete ediſcere lauros:
Regnat in urbe Saul; rex nobis David in agris.
Bellua ſæva, ingens, Libani de montibus, urſa
Intulerat ſeſe campis, ſtragemque ferebat:
Davidis confecta manu eſt. Fruſtrà ore cruento
Infremuit, fruſtrà rigidos ſurrexit in ungues.
Nec pugnaturus clypeum tulit ille vel haſtam;
Tela fuere manus, invicti tela lacerti,
Et virtus animi telo violentior omni.
CH. Carpite, ſecuri modò carpite gramina tauri,
Nec vaſtatorem timeant armenta leonem,
Ut nuper. Jacet ecce leo, rex ille ferarum,
Silvarumque pavor: tabo per colla, per armos
Concrevere jubæ: lavit ater corpora ſanguis.
NAS. Pergite oves cãpis procedere, pergite molles
Ton-

Tondere in ſolis, puero duce, montibus herbas;
Cura nec ad caulas ſera ſit nocte reverti.
Urſus abeſt: urſi proprio rubuere cruore
Infecti toties agnorum ſanguine villi.
NAB. Ibimus & lęti exuvias, monumenta timoris
Præteriti, pagos circum villaſque feremus:
Excipient pompam, tauris ad aratra relictis,
Agricolæ, nec ſe poterunt explere tuendo,
Mirati rictus, & adhuc à morte timendum
Aſpectum, & diris aſſuetos cædibus ungues.
Cernere erit turbas puerorum, ipſoſque ſequentes
Cum terrore canes: ibit latratus ad auras:
Omne reſultabit ſtrepitu nemus, omne ſonabit:
Regnat in urbe Saul; rex nobis David in agris.
Tum, quæ vicina quercus ſtat maxima ſilva,
Tale ſub affixis ſpoliis ſibi carmen habebit:
Villoſi caput hoc urſi, cæſique leonis
Hæc, o Poſteritas, parvus tibi tergora David.
CH. Spargite humum foliis, foribus prætexite ramos,
Pompa venit: David princeps & gloria pompæ:
Quid tum ſi tener eſt? ſi primo flore juventę
In nivea flavos criſpat cervice capillos?
Quanto urſus vitulo; quanto leo fortior agno,
Davidi tenero tantum leo cedit & urſus,
Non validus Samſon, non primum quos tulit ævum,
Paſtores, quamvis geniti de ſtirpe gigantum,
Quamvis aerias æquarent corpore cedros,
Certior infirmo pecori tutela fuere.
NAS. O invicte puer, tibi circumjectus Ephratę
Collis, & intonſus Carmelus, & arduus Hermon
Dant plauſum, pulſæ referunt ad ſidera valles:
Regnat in urbe Sal; rex nobis David in agris.
NAB. Arboribus vites decori ſunt, collibus uvæ,
Armento taurus, torvo ſua cornua tauro:
Tu decus omne tuis. Te poſtquam cęde ferarum
Perfuſum, & geminum ſilvæ videre cadaver,
Venit honor ſilvis, ſtetit omnis pulchrior arbor.

CH.

CH. Viribus his alias, age, nunc circumſpice pugnas
Nunc lituos audire juvet: nunc fortia bella
Aggredere, atque ipſos in prelia poſce gigantes.
NAS. Audeat arma manu quiſquis te ſumere contra,
Næ de ſe corvis dabit ille voracibus eſcam.
Arque utinam nobis tantum ex hoc ſuppetat ævi,
Tantum oris, quantum fas erit tua dicere facta!
Non tali Gedeon, non tali carmine dictus
Nunniades fuerit: vincet tua gloria priſcos,
Ut corylos ilex, mirtos procera cupreſſus.
Jam nunc Allophyli, Madian, Arabeſque, Syrique
Reſponſis horrent Divum: tremit omnis Idume.
NAB. Intereà textam de lauro ſume coronam,
Et palmæ ramum pro tempore: quæque coloni
Parva ferunt læti, tu lætior accipe dona.
Ecce tibi calathis legerunt lilia plenis
Matres atque nurus: Tyrios potura colores
Vellera Bethlemiæ certant tibi nere puellę.
Mittit mella Thabor: Libanus tibi ſpirat amomo:
Ducit in Engaddi tibi montibus uva colorem.
Sed neque de terra miſſum Galaditide munus
Aſpernare, pedum nodis atque ære decorum,
Quod dedit Obededon; & cum daret, Hoc manus, inquit,
Iſta gerat, quæ ſemeſam extorquere leoni
Non timuit prædam, fauceſque invaſit hiantes;
Digna manus ſceptro. Sed ſint ſua ſceptra Sauli,
Et quacumque volet regnet ſublimis in urbe:
Regnat in urbe Saul; rex nobis David in agris.

IDYLLIUM V.

MOYSES EXPOSITUS.

Argumentum.

Infans à matre expoſitus Nilo committitur.

AD PETRUM VANDER BEKE,
In Provinciali Flandriæ Senatu Regi Catholico à Conſiliis.

Oppida ſint aliis; campi mihi ruraque curæ.
 Flumina me teneant: tenuerunt hæc quoque Moyſen,
Et vitam & nomen, fluitans in gurgite ſummo,
Debuit his olim: fluitantem gurgite ſummo,
Muſa refer Moyſen, primus qui pangere carmen
Inſtituit, tenuique gregem mulcere cicuta.
Jam fetum Rachobeta ſuum ſub luminis oras
Ediderat, jam mater erat, ſed pœnitet eſſe:
Et mallet nullum, quàm, quem ſervare tyranni
Juſſa vetant, natum. Quantò formoſior infans,
Tantò majori premitur luctuque, metuque.
Ergò perire ſinat, vitæque in limine primo,
Quem peperit, mitti patiatur piſcibus eſcam?
Idcircone decem tulerit faſtidia menſum,
Et fuerit duro partus defuncta labore?
Nil Pharao jubeat crudelius. Ut grave tandem
Ceſſet opus laterum, ceſſent immitia lora,
Et ſcuticæ, & fuſtes; inſtat ſors durior illis.
Ipſe puer quovis magis exactore fatigat
Infauſtum nimiùm matrem. Quodcumque moveri
Audit, qui ſobolem rapiat, qui mittat in undas,
Adventare putat: nec quid fugiatque, petatve,
Nec quid agat, certum eſt. Urget rex, regius ædes

Lictor

Lictor obit: prodit ſeſe vagitibus infans.
Sic, lupus interdum cùm jam ferus ambit ovile,
Balatum ignari tollunt ſub matribus agni.
Quid faciat? præter queſtus, ſolamen inane,
Nil habet in promptu: nec adhuc hos edere tutum
Reſne, rogat tacitè, nimii foret illa favoris,
O Superi, ſi, qui ſerviles creſcat in uſus,
Sitque miſer mecum, puerum ſervare daretis?
O ubi, quem vates nunc expectare jubebant,
Ille ſui vindex populi, qui compleat omnem
Prodigiis Memphim, qui terram ducat in illam
Aſſertos hinc Hebræos, ubi fata beatas
Promittunt ſedes, & mella fluentia campis?
Illius ad ventum, niſi ſpe nos ludat inani,
Quàm fuit optandum non hoc prævertere partu!
Sic ait, & vano nequiquam fluctuat æſtu,
Atque animum nunc huc, nunc anxia dividit illuc.
Cùm tàdem: Quod non aliunde, à fluctibus, inquit,
Speremus; quemque inſontis ſervire tyrannus
Exitio voluit, quæramus in amne ſalutem.
Dixerat, & lento fiſcellam è vimine textam
Inducit cera; ac patientem reddit aquarum.
Ter puerum immiſſura fuit: ter victa dolore
Deſtitit: haud aliter tumulandum imponeret urnę.
Poſtquam pauca dedit tanquam ſuprema jacenti
Oſcula, flens flentem Superis committit & undis.
Vade, ait, infelix (agilemque à littore corbem
Impellit trepidante manu) fluvioque ſecundo
Labere. Si pereas, non me ſpectante peribis;
Si Superis curæ es, quam me tibi ferre negarunt,
Nilus opem pręſtet. Nilum ſenſiſſe putares:
Sic ſubſternit aquas, ſic ſummo leniter alveo
Commiſſum ſibi portat onus. Natat ille pericli,
Nuper ut in cunis, ſecurus. Fiſcina quantum
Parva vehit fati! qui ſic natat, arbiter olim
Undarum legem ponet fluviiſque marique.
Hujus ad imperium decurret in æquora Nilus
Decolor, & fluctus mirabitur ire cruentos.

Hujus

Hujus ad imperium refugi maris unda dehiſcet,
Et via diducto pandetur ſicca profundo.
Arduus hinc ſtabit gurges ſuſpenſus & illinc:
Securi pedites imis gradientur arenis.
Tantùm aliquis, quo nunc agit in diſcrimine, preſtò,
Sit miſero, & forti tribuat ſupereſſe futuræ.

IDYLLIUM VI.

MYCON,

LYCIDAS, CHROMIS.

Argumentum.

Amorem impurum execrantur; cæleſtem commendant.

AD FERDINANDUM DEL PLANO, Societatis Jeſu, Rectorem Gandenſem.

MY. IBam, quà Grudiis ſinuoſus Dilia campis
Labitur, & multo conveſtit gramine ripas.
Errabant circum pecudes, porrectaque latè
Paſcua mille boves tondebant, mille bidentes.
Dum tacitus Superos veneror, ſicut meus eſt mos,
Ecce tibi ſubter ſalices Lycidaſque, Chromiſque,
Et cantare pares, & reſpondere parati.
Ut Lycidas contrà me conſpicit, Huc ades, inquit,
Care Mycon, non te Chromin audiviſſe pigebit.
Accedo, & ſocius poſitis in gramine jungor.
Incipiunt illi meditatos dicere verſus.
Sic Chromis exorſus: Lycidas ſic deinde ſecutus.
CH Eheu, quã pingui taurus macilentus in herba eſt
Ubera quàm referunt Corydoni ſicca juvencæ!
Impius eſt Corydon, nec munera ferre ſacellis,
Nec curat dare vota Deo: Deus illa rependit.

LY:

LT. Incolumes paſcuntur oves, capræque Menalcæ.
Lac ſub ſolſtitium, lac frigore ſuppetit illi.
Reginæ Superum nulla non luce Menalcas
Supplicat: hæc illi Superum Regina rependit.
CH. Jactat Damœtas ſibi quæ Galatea locuta eſt,
Et Superum ferri demens exoptat ad aures.
At me laſcivæ capiant quam verba puellæ,
Experiar rabidi dentes, precor, antè moloſſi.
LT. Interit indigno Niſæ deceptus amore,
Dicit & in Divos moriens verba aſpera Domon.
At ſimilis quàm me teneat veſania, fiam
Obvius antè lupo deſertis ſolus in agris.
CH. Accipiter nidis, ſtabulis lupus, improba vulpes
Cortibus infeſta eſt; pueris amor atque puellis.
Ah ſæve, ah fallax amor, ah mortalibus hoſtis,
Ut tua lethifero ſunt illita tela veneno!
LT. Alitibus laquei, mendaces piſcibus hami,
Retia cœca feris, homini metuenda voluptas!
Decipit, ac ritu prenſatæ elabitur umbræ,
Corda tamen morſu vel ſic ferit icta tenaci.
CH. O quibus eſt primi, juvenes, vigor integer ævi,
Si ſtudium vobis paſſim conquirere pulchra,
Vertite ad hanc curas, huic vos addicite ſervos,
Quæ peperit Numen: quid enim formoſius illa?
LT. O quibus eſt florens ætas & forma, puellæ,
Mutua vos ſi cura tenet, ſtudiumque procorum;
Sit, facite, ante omnes vobis in amoribus ille,
Quem peperit Virgo: quis enim tam dignus amari?
CH. Triſte gregi ſcabies, demeſſis nimbus ariſtis,
Florenti ceraſo nebulæ; juvenilibus annis
Inſaniſſe mihi. Teſtes ſunt paſcua & agri,
Quàm crebri ex imo gemitus mihi pectore ſurgant.
LT. Dulce apibus flores, ver floribus, aura Favoni
Purpureo veri; nullos experta furores
Ætas prima mihi. Nec agri, nec paſcua norunt,
Quan-

Quanta mihi manent ex illo gaudia fonte
CH Jam matura mihi vires firmaverat ætas,
Cùm nil jucundum, niſi quod me perderet, eſſet.
Quid volui demens? inter requieſcere ſpinas,
Dulciaque ex ipſis extundere mella cicutis.
LT. Tertius à decimo nondum me ceperat annus,
Cùm deſideriis cæpi cæleſtibus uri.
Tempore ab hoc ſic ille meo ſub pectore crevit
Ardor, ut æſtivi matura luce calores.
CH. Hei mihi, quàm brevis eſt quæ nobis ducitur ætas!
Ut fugit, inque modum numquam revocabilis undæ
Labitur! ah miſeris! vix paucos fata dederunt,
Et tamen è paucis multos diſperdimus annos.
LT. Hei mihi, quàm longa eſt ardenti cernere numen
Una dies! ut cor illi tabeſcit in horas!
Non ita purpurei, curvum quos læſit aratrum,
Deficiunt flores, tactæque uredine meſſes.
Finierant. Viſi cygnos ſuperaſſe Myconi,
Quaſque novum volucres audit ver, Tityrus, inquit,
Uſque ſibi placeat, ſeu fagi lentus in umbra
Formoſam doceat reſonare Amaryllida ſilvas,
Seu dicenda ſuo (ſed quæ legat ipſa Lycoris)
Ad Siculos fontes meditetur carmina Gallo.
Dulciùs agreſtes alter non inflat avenas,
Credo equidem: ſed quæ cæleſtes cantat amores,
Hæc ſonet, hæc noſtris celebretur fiſtula campis.

IDYL-

IDYLLIUM VII.

THYRSIS, DAPHNIS.

Argumentum

A rebus ſpectabilibus aſſurgunt ad Deum:
AD JOANNEM BAPT. VAN HOLLANT,
è Societate Jeſu.

Campus erat: fons in medio, quē plurima fagus
Ambit; ad hunc Thyrſis cum Daphnide fortè ſub æſtrum
Compulerant pecudes, ambo cantare periti;
Ambo divinis accenſi pectora flammis.
Dulcia, Thyrſis ait, ventorum hic ſibila, Daphni,
Dulcia de ſaxo labentis murmura lymphæ,
Dulcè ſtrepunt volucres; ſed vox tua dulcior illi.
Daphnis ad hæc: Quin tu frontem mihi baccare cingis,
Quando ultra placitum laudas? præconia, Thyrſi,
Hæc tua ſunt, te Pierides fecere poetam:
Et tantum tibi nos, quantum vel oloribus anſer,
Rauca vel argutis concedit rana cicadis.
Si tamen egelida juvat hic paulliſper in umbra
Mecum, vel calamis cantum, vel voce ciere,
Experiar quid poſſim. Age, carmina tu cane prima,
Carmina tu cane prima, tuus canet altera Daphnis.
TH. Ludere ſi calamis, ſi vocem ſolvere cantu
Eſt animus, ſit prima Deus, ſit & ultima nobis
Materies, bene Daphni. Regit Deus omnia, terras,
Et mare, cumque ſuo magalia ruſtica cælo.
D. Principium rerum Deus eſt, & terminus idem,
Fatorum dominus, vitæ, quam ducimus, auctor.
Auctori vitæ ſua laus, ſua ſemper apud me
Carmina erunt: vos hæc memores ediſcite fagi.

TH.

TH. Aſpicis ut ſegetes agros, ut gramina campos
Læta tegant, lętę tumeant in vitibus uvæ?
Omnia ſunt illius opus: niſi faverit ille,
Nec ſegetes veniant agris, nec gramina campis.
D. Aſpicis ut torrens modò terris incubet æſtas,
Aeris ut vitio pecudes moriantur & herbæ?
Omnia ſunt illius opus: ſi reſpicit ille,
Deſcendent pluviæ, ſuperabunt flumina ripas.
TH. Ver pulchrum, cùm ſe terris nova germina tollunt,
Cùm redeunt flores: pomis autumnus & uvis
Pulcher: at ut fuerit notus tibi conditor horum,
Nec vernum decus, autumni nec munera laudes.
D. Pura nitet cœli facies, ſeu nocte fugata
Aurora in roſeis effert ſe lutea bigis,
Aurea ſeu ſerus ſuccendit ſidera veſper;
Si ad Dominũ ſpectes, jam cœlum & ſidera ſordent.
TH. Omnia ſol luſtrat, quovis diffunditur aer:
At quò nec penetrat ſol, nec diffunditur aer,
Præſens Numen adeſt. fruſtrà fugit, & ſua quiſquã
Sperat in obſcuris abſcondere crimina ſilvis.
D. Omnia ſunt certas ſortita ab origine ſedes.
Flumina amant piſces, montes animantia, cœlo
Gens hominum nata eſt. fruſtrà hic ſibi conſerit hortos,
Fruſtrà aliquis multos vitæ ſibi poſtulat annos.
TH. Terra vale: totus cœli ſuccendor amore.
O quoties illuc, & quæ ſuſpiria mitto!
Non ita lethali confixus arundine cervus
Sepoſiti fontis gelidas aſpirat ad undas.
D. Tytire, balantes audin' in ovilibus agnos?
Abſunt jam nimiùm matres. Abſentibus agni
Matribus ut mœrent, ut matres, Tityre, quęrunt,
Sic abſente Deo mœror conſumit amantes.
TH. Solus amans novit, quo claudat funere vitam.
Res amor eſt violenta; mori nos denique coget.
Atque utinam cogat! creſcet poſt fata, nec illum
Vincere mors poterit, quamvis mors omnia vincat.

D. Sc-

D. Solus amans novit, qua ſpe ſua tempora ducat.
Quas ſegetes æſtas, annus quæ vina daturus
Serior, in dubio eſt: fallunt ſua ſæpè colonos,
Paſtores ſua vota: Deus non fallit amantes.
TH. Non tenerę ventos coryli, non frigora myrti,
Vinea grandinibus mixtos non ſuſtinet imbres;
Nec mihi fert tantos animus, quibus æſtuat, ignes.
O amor, o noſtras moderatiùs ure medullas.
D. Non ſaturantur aquis piſces, non rore cycadę,
Nec volucres cantu, nec apes florente ſalicto;
Nec mihi ſufficiunt quibus intus amoribus uror.
O amor, o noſtras violentiùs ure medullas.
Talia cantabant pueri, dulceſque fovebant
Pectoribus flammas, & fletibus ora rigabant.
Audiit, & vitrea flavum caput extulit unda
Paſtorum inſolitos Scaldis miratus amores.

IDYLLIUM VIII.

In obitum Natalis Rondini SS. D. N. Alexandro Papæ VII. ab Epiſtolis ad Principes.

AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM

PAULUM RONDININUM FRATREM.

DEſine fraternū lacrymis urgere ſepulchrum,
Paule ſupervacuos effundere deſine queſtus.
Frater adhuc ſupereſt, & poſt ſua funera vivit.
Quos coluit, vitam nomenque dedere poetæ.
Æquora dum Tiberis, Tiberim vicina ſubibunt
Flumina, quas rapto laudes ſcripſere, legentur.
Hæc vatum pietas: nec adhuc Natalis amati,
Quo ſe cumque ferunt, occurrere ceſſat imago,
Viſa loqui fidis, velut antè ſolebat, amicis,
Et dare complexus, & tendere brachia fruſtrà.
Nos etiam (& nobis ſunt carmina, nos quoque vatum

Dici-

Dicimur è numero, timidè ſed credimus, eſſe)
Nos etiam procùl à Latio, procùl Alpibus illi,
Quà licet, extremos mœſti curamus honores.
Exequias facimus, tumulumq; ſacramus inanem,
Et ſua dilectos manes ad ſacra vocamus.
Huc Natalis ades: ſolemnia ſolvimus umbris:
Belgæ juſta tuis. Belgas Natalis amavit.
Clitumni ripæ, Romanique Umbria teſtis
Patria Callimachi, ſatis ut nuper ademtum
Fleverit Hoſſchiadem: (Romano proximus ille
Callimacho fuerat) ſimul indè à finibus illis
Inferias caræ pia carmina miſerit umbræ.
Nil homini certum eſt. Egone hæc, Natalis, amico
Cùm faceres, eadem tibi mox præſtanda putavi;
O exſpectatum fruſtra tibi longius ævum!
Vixiſſes ſaltem, dum, quæ gens omnis & ætas
Noſcet, Alexandri licuiſſet dicere facta!
Nos aliis plus ſe jactaſſent ſæcula faſtis.
Raptus es ante diem, nec adhuc ſat cognitus orbi:
Raptus es, & tecum ſolatia rapta tuorum.
Ipſi etiam montes, ipſæ tua triſtia fata
Fleverunt rupes: ſed mors eſt durior illis,
Et tantum precibus, cùm ſumma vocaverit hora,
Tantum lamentis hominum miteſcere novit,
Balatu teneri quantum lupus efferus agni.
Quid clarus ſanguis, quid ſit domus inclyta, neſcit.
Stirps tibi contigerat titulis inſignis avitis,
Ingenium ſtirpi, virtus æqualis utrique.
Ut decori vites ulmis, ut vitibus ulmi,
Te genus ornabat, generi famamque decuſque
Tu laturus eras. Jam rebus læta futuris,
Aggredere o magnos, dicebat mater, honores:
Strata via eſt: patuit ſummi tibi principis aula:
Virtutum ſedes, iter hac tibi gloria pandit.
Signavit frater quo tendere tramite poſſis.
Euge meus ſanguis, tu forſeris alter ab illo
Purpura quem deceat, te dicar habere ſecundum.
Infelix mater, periit tua meſſis in herba.

Nata-

Natalis cinis eſt. Quos nec fuit utile naſci
Intereà vivunt, & terræ probra ſuperſunt.
Parcite Pierides. Deus omnia reſpicit æquus.
Non toti morimur: pars effugit optima letum
Hac adiit Superos, & jam labentia ſub ſe
Sidera Natalis, vaſtos miratur & orbes.
Jam libat vitæ fontem, ſitienſque ſaturque
Ambroſiæ ducit ſuccum, & ſe nectare paſcit.
H c pater, hic illi tulit obvius oſcula frater,
Sanguine frater adhuc ſtillans, plagiſque decorus;
Valla quibus ſervata ſibi ſua Candia debet.
Inter & amplexus: Viridi, pater inquit, in ævo
Te quoque, Natalis, rapuit mors: tu quoque nobis
Accides iuvenis; ſed qui maturus Olympo eſt,
Non cadit ante diem. Tuus hic neq; longiùs annos
Produxiſſe velit frater. Quæ vulnera ſervet
Aſpicis? his Divum vitam ſedeſque beatas
Poſſidet: his illi, quam cernis, gloria parta eſt.
Tum procerum turbam magnã,magnoq; coruſcam
Lumine deſignans: Majorum, nate, tuorum
Hic,ait,agmen habes: ſunt hi, quos maxima virtus
Eripuit terris, atque iſta ſede locavit,
Sanguinis auctores, & noſtræ ſtirpis origo.
Deducenſque manu Natalem miſcuit illis.
Stellantis mundi civis, decus addite Divis,
Natalis ſalve. Tua jam tibi prẹmia conſtant.
Aſpice nos. Quæ ſit votorum ſumma, requiris?
Quæ tibi nuper erat. Petimus quod ſæpè petiſti.
Vivat ALEXANDER: nos ſoſpite vivimus illo.
Vivat, & hic populos cœli favor ibit in omnes.
Non radios Titan, quàm curas ille paternas
Latiùs extendit: quidquid vaſtiſſimus æther
Orbibus immenſis, animo complectitur ille,
Communiſque pater toti ſe dividit orbi.
Religio, cultuſque Dei ſuper omnia curæ.
Hoſtis Alexandri eſt, quem non habet illa faventẽ,
Si premitur, fulcit; ſi quà labat, ipſe ruinam
Suſtinet, & quidquid non eſt reparabile, deflet.
Qua-

Quales eſſe ſuos, queis vivere moribus optet,
Exprimit ipſe ſuis, & vix imitabilis ulli
Quemque ſuæ vitam cuperet componere vitæ.
Præmia digna quidem meritis oramus ut illis
Sera tamen veniant. Subeat, fac ſidera tardè,
Deque tibi demtis illi Deus augeat annos.
Illi Roma diu regimen, quo gaudeat, illi
Debeat ęternam mundi pars cetera pacem.
Panonniæ fines, habitataque Thracibus arva
Mars petat: in diros vertantur prælia Turcas:
Auctor Alexander belli nova fœdera jungat:
Evocet Europæ populos, atque agmina magno
Auctorata Deo trans Hæmum mittat & Hebrum,
Nomen Alexandri Bizanti terreat arces,
Concutiat Rhodopen, Hypanim cum Strymone turbet.
Biſtonibus fatale, feris fatale Gelonis.
Illius auſpiciis Aquilas, & Lilia, & auro
Vellera fulva, Crucis fulgens ſuper omnia ſignum
Boſphorus everſis videat ſuccedere Lunis.
Quò ferimur Muſæ? revocant Natalis ad urnam
Non cari cineres, & dona noviſſima poſcunt.
Sparge puer flores, & vatum inſignia lauros,
Et dic: iſta tuo, Natalis, ſpargo ſepulchro:
Ut viret æternùm laurus, tua vivida ſemper
Gloria, Alexandri famæ comes, ibit in ævum.

IDYLLIUM IX.

MOYSES INVENTUS.

Argumentum.

Moyſen expoſitum Merris filia Pharaonis invenit, & adoptat.

AD CASPERIUM GEVARTIUM,
Conſiliarium & Hiſtoriographum Cæſareum ac Regium, Archigrammateum Antuerpienſem.

BUcolicæ Muſæ, labor iſte noviſſimus eſto
Rurſus adire Pharon, magnumque reviſere Nilum.
Niliaco Moyſen jactant in gurgite fluctus.
Ah, ne dulce caput violentior obruat unda!
Ah, ne monſtrorum, quæ plurima Nilus in altis
Nutrit arundinibus, puerum ferat æſtus ad antra!
Nile pater, quæ te ſervato fama per orbem
Hoc infante manet? minus eſt, quod vaſtus & ingens,
Quòd ſeptem gemino volvaris in æquora curſu,
Quòd per te nullos tellus tua poſtulet imbres.
Sed jam creſcentes pronus ſol duplicat umbras,
Et veſpertino rubuerunt lumine fluctus:
Noctem ille in mediis deſertus an exiget undis?
Exacturus erat, regis niſi filia Merris
Auxilium ſævo melior genitore tuliſſet.
Liquerat illa ſuis urbem comitata puellis,
Grataque fluminea captabat frigora ripa.
Pars comitum natos legit inter gramina flores.
Aut lectos in ſerta ligat: pars carmina dicit:
Illas camporum, tenet has aſpectus aquarum.
Dumque tenet, prono fiſcella allabitur alveo.

Quid

Quid ratis iſta feret! quærunt. Ditabimur, inquit
Regina, & ridet: ſimul hoc; ſimul illa propinquat.
Jam tetigit litus, jam quod cognoſcere poſſit
Cernit: erat paucis à menſibus editus infans.
Vagitum tum fortè dabat. Miſer, heu! miſer, inquit,
Quiſquis es, Hebræus certè; miſeranda parentes
Infauſtumque genus prodit ſors. Nec mora; corbis
Ex undis, è corbe puer, velut unio concha,
Eximitur. Quales parvi pinguntur amores
Talis erat: leni ſuffunditur ora rubore,
Cętera candidior cygnis: manſere relictæ
Hic illic guttæ: quales in floribus hærent,
Qualis manè novo tenera ros lucet in herba.
Ipſa manu propria terſit Regina madorem.
Inde venuſtatem contemplans oris, & artus
Lacteolos: Quàm non, inquit, mittendus in iſtos
Hic fuerat caſus! en huc ut brachia tendit
Arridens! ut me blandis aſpectat ocellis!
Infelix Hebræa, Deus cui gignere talem,
Nec ſervare dedit! ſed ſi pater iſta jubere
Suſtinet, & naſci Iſacidam pro crimine ducat,
Quis prohibet non eſſe pias? crudelior ut ſim
Fluctibus? ut perdam, cui fluminis unda pepercit?
Atque utinam tali feciſſent prole parentem
Me Superi! ſed quod natura Deuſque negarunt,
Hoc tibi debebo, Pietas genuiſſe putabo,
Quem ſic ſervaro: nec me non matris habebit
Ille loco; noſtro qui non niſi munere vivet.
Vive ergò, & ſenſim regali nomine dignos
Diſce puer mores, noſterque aſſueſce vocari.
Quam tibi cumque Dii voluerunt eſſe parentem,
Noſter eris, raptuſque ex amne vocabere Moyſes.
Dixerat, & puerum regales tollit in ulnas,
Oſcula ceu nato libans, matremque viciſſim
Ille velut teneat, protenſis ubera palmis
Lactis egens quærit. Nutricem filia regis
Hebraidum è numero quæri jubet: advenit ipſa

Pro nutrice parens: quemque, inquit, tradis alen-
dum,
O regina, meus tanquam ſi filius eſſet,
Nec veluti nutrix, ſed matris amore fovebo.
Dicta placent: merces addicitur, utraque gaudet,
Regina aſſumpto, nato Rachobeta recepto.
Sed jam Muſa ſuos excedit ruſtica fines,
Nec ſatis hic ruri, nec idonea cantat avenæ.
Conifera meliùs pendebit fiſtula pinu,
Atque aliis ex hoc numeris tentabimus ire.

GUILIELMI BECANI

E SOCIETATE JESU

ELEGIARUM

LIBER PRIMUS.

PARVULO,

DEI VIRGINISQUE UNIGENITO;

JESU,

CŒLI TERRÆQUE DELICIO.

POESIN non ut alias ſcientias acquiri vulgò ajunt: alias ſtudio comparari; ad hanc fruſtrà niti, quos natura eò non ferat: alias ut ramos adoptivos animis inferi; hanc inſtar primigeniæ ſtirpis ab radice pullulare: naſci Poetas, non fieri. Sunt tamen qui dicant ab amore ſe factos, nec naſcendo ſibi, ſed amando ingenium veniſſe. Cur id ego expertus non ſum, Puer dulciſſime, cùm de te ſcripſi? cur ingenioſum amor non fecit? an uſquam magis exerere ſe debuit? an quidquam amabilius quàm tu? * *Magnus Dominus*, dictum de te olim, & *laudabilis nimis*; parvus factus es, & amabilis nimis. Quē amorem majeſtas non obtinuit, benignitas extorquet. Tunc te non amare crimen fuit; nunc etiam

* *Pſalmus* 47.

inhumanitas eſt. Potentes erant divinitatis illecebræ, ſed uti magnes majore vi ferrum attrahit, dum ipſe ferro cinctus eſt; ita poſtquam humanos artus induiſti, hominum corda potentiùs rapis. Præ mortalibus tamen eam vim Superi ſenſerunt. E cœlo ad ſtabulum attracti ſunt, & relicto ſolio tuo, tibi ad præſepe applauſerunt. Fortunati paſtores, quibus cœleſtes cantus audire licuit! ſed inde feliciores, quòd & ipſi præcones tui fuerunt. Hos æmulari auſus ſum, & te carminibus meis materiam facere. Quidni auderem, quando poſt Cælitum laudes opilionum tibi ſtudia placuerunt? Nec vereor ne tui amantibus nihil proſim. Lignis etiam viridibus, qui jam ardet, fovetur ignis; nec ex hortis tantùm amœniſſimis, ſed etiam è vulgaribus pratis apes mella colligunt. Cœli terræque delicium cano, quid de carminis elegantia ſollicitus ſim? Artis lenociniis alibi locus ſit; hic omnis in argumento gratia.

ELE-

ELEGIA I.

Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt. Lucæ 2.

TEmpora noctis eunt divini conſcia partus.
  Quiſquis es, ignavo corripe membra toro,
Non facit ad ſomnos hæc nox, exſurgite ſtratis:
  Candidiora die tempora noctis eunt.
Ipſa domus Superum non ſe tenet: arduus æther
  Panditur: aligerum deſerit aſtra chorus.
Exoritur terris nova lux: ferit aera cantus
  Æthereus: celum quod ſolet, audit humus.
Nec vigilamus adhuc? ſtudiis nec tangimur iſtis?
  Nec pudor eſt, ſi nos lentior ardor agit!
Stirpe ſatus noſtra noſtros Deus induit artus.
  Gens cæli minùs hic, quod ſibi plaudat, habet.
Eſte procul ſegnes: juvat ire, choriſque beatis
  Immixtum volvi Numinis ante pedes,
Et tanto venerandum ortu luſtrare mapale,
  Et dare ſacratis oſcula liminibus.
Salve parva quidem, nec magnis uſibus olim
  Condita, nunc cœlis invidioſa domus.
Non tibi fulgentes vario ſtant marmore muri;
  Arte laboratum non laqueare nitet.
At, quem non terræ, non terris vaſtior æther
  Contineat, ſepto clauditur ille tuo.
At tibi naturæ magnus ſe credidit auctor:
  Hæc opere ex toto vindicat antra ſibi.
Nec qualem cælo credunt regnare, timentque
  Mortales, talis ſub tua tecta venit.
Inde ciet tonitru, terretque fragoribus orbem:
  Præter vagitus hic ſine voce jacet.
Inde ferit fontes, & noxia fulmina vibrat:
  In te faſciolis brachia vincta tenet.
Aſpirat tenerum, quidquid tu cernis, amorem:
  Majeſtas illic, quo timeatur, habet.

Si beat & Superos, ſi jugi gaudia curſu,
Si fontes illic nectaris ire jubet:
Tu, fontes alios, rorantia lumina ſpectas,
Primaque divinis ſpargeris à lacrymis.
Tu planctus, cęlum quibus ipſum commovet, audis,
Ut ſua, præque ſuis ut mala noſtra gemat.
Si qualis fuerit ſemper, quantuſque, det illic
Cernere, cernentes aſſimiletque ſibi:
Tu ſimilem nobis, niſi quod ſit egentior, ipſum;
Tu, noſtri quid ſit factus amore, vides.
Fortunata domus, quàm præ te regia ſordent
Atria! paupertas quàm pretioſa tua eſt!
Præ foribus tibi nunc intendat aranea caſſes;
Pendeat ad crates ſordida tela tuas;
Sit nunc, quàm ſtipulę, tibi nil opulentius, & quàm
Sparſa pavimento quæ jacet herba tuo;
Tempus erit, gentes ad te cùm munera mittant,
Quas ſol exoriens occiduuſque videt;
Ipſa caput mundi cùm te colat inclyta Roma,
Et tua præponat montibus antra ſuis.
Nec fore leſſides hoc prænovit, Ephrâtæ
Hàc dum ſæpè ſuas ad juga duxit oves.
Viderat hos humili ſuſpenſos fornice tophos,
Et Domini cunis ſaxa datura locum.
O quoties illis pia ſupplex oſcula fixit,
Et ſacram flexo poplite preſſit humum;
Quæque ſuis Numen lacrymis loca ſpargeret olim,
Ipſe per hæc ſiccis noluit ire genis!
O quoties, hoc ne frigus captaret in antro,
Arcuit exuſtum ſolis ab igne gregem!
Ergo erit, ajebat, deſertis Numen ut aſtris,
Rupe ſub hac inopis matris àlatur ope?
Arbiter ut rerum noſtro de nomine dici,
Davidiſque olim gaudeat eſſe nepos?
Fortunata ſpecus, puerum quæ prima videbis
Quærentem matris colla ſinumque ſuæ.
Nunc ego te, viſent olim populique duceſque,
Figenturque tuo regia labra ſolo.

At

At tu rumpe moras ſanguis meus, aſpera quamvis
Hic tibi ſint primus ſaxa futura torus.
Rumpe moras: nec te terris oſtendere differ,
Sæpe petite, mihi, ſæpe petende puer.
Ipſi lętitia voces ad ſidera mittent
Intonſi montes: geſtiet omnis ager:
Fundet humus flores: ſtillabunt nectare colles,
Et duræ quercus roſcida mella dabunt.
Audiam, & hæc manes inter me fama beabit,
Et ſolvam lætus vota vel inde tibi.
Dixerat. Audivit cælo tunc Numen ab alto,
Exceptum laribus nunc, domus alma, tuis.

ELEGIA II.

Peperit Filium ſuum primogenitum, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diverſorio. Lucæ 2.

VIrgo parens facta eſt: Deus eſt è Virgine natus:
Spectatum e cœlo turba beata veni.
Nec te pæniteat formoſas linquere ſedes;
Nunc aliquid noſter pulchrius orbis habet.
Qui vobis Dominus, noſtra ſub lege teneri,
Et noſtri voluit ſanguinis eſſe puer.
Spargite purpureos circum cunabula flores,
Cinnamaque, & tenero balſama mixta croco,
Et quidquid veſtris fovet aura beatior hortis
Non defecturas ver ubi fundit opes.
Ver ibi perpetuum: noſtro nunc exulat orbe,
Inque locum nimbis horrida venit hyems.
Fronde carent frutices: periit ſua gratia campis:
Quo ſteterant flores, nix jacet alta loco.
Atque utinam ſolæ regiones, ſola rigerent
Flumina! non animos frigus haberet idem!
Exciperent homines divinum pignus, & hoſpes
Certaret Domini quilibet eſſe ſui!

Spernitur, heu! tectique venit communis egenus,
Inque ſuo naſcens non habet orbe locum.
Ah genus ingratum! tibi celſa palatia ſurgunt,
Tectaque divitiis conſpicienda ſuis:
Compoſitum lecto mollis te ſomnus eburno
Excipit, & picta ſtragula veſte tegunt:
Ah miſerum rector Superum compellitur antrum:
Nec quo feſſa toro membra reponat habet
Excipit infantem durus lapis; inque reſecta.
De fluviis ulna, ſtraminibuſque jacet;
Afflatuque bovis, ſociique fovetur aſelli:
Hac rerum Dominus frigora pellit ope.
Nate Deo, te longa novem faſtidia menſes
Materno clauſum ſuſtinuiſſe ſinu;
Te noſtros ſumpſiſſe artus, infirmaque membra;
Te patrio terras præpoſuiſſe polo;
Ut tandem in dura quæras tibi rupe cubile,
Et pecudes optes inter habere locum?
Aſtra ubi nunc? ubi ſtellatæ, tua regia, ſedes,
Et tot in obſequium millia prompta tuum?
Nempe amor agreſti cœlum mutare mapali
Suadet, & in parva te jubet eſſe caſa.
Illius imperium plus te, quàm Cæſaris, urget:
Fert Cæſar leges gentibus, ille Deo.
Cùm poſſes quovis, hoc juſſit tempore lucem
Aſpiceres, quo non triſtius annus habet.
Nazareos intra muros ſua parva parenti,
Qua recipi poſſes, reſque domuſque fuit:
Non tibi permiſſa eſt contingere; parvaque quãvis,
Ampla nimis viſa eſt uſibus eſſe tuis.
Hanc rupem ferus ah! hæc maluit antra ſubires,
Antra quieturo vix ſatis apta gregi.
Illic parva tibi pater incunabula nuper
Fabrili ſimplex arte pararat opus:
Et, Manibus quandoque meis hæc ipſe movebo;
Communis labor hic, dixerat, uxor erit.
Hic illi, cujus vigili ſtant omnia cura,
Nitemur ſomnos conciliare leves.

Hic

Hìc oculos figam faciem ſecurus in illam,
Aligeri quam non abſque pavore vident.
Porriget hìc ridens dextram mihi, quamque tenebo,
Mirabor dominam fulminis eſſe manum.
Et modò blanditias, modò verba precantia dicam,
Atque illi, quicum luſero, vota feram.
Tu tua conjunges, Virgo, magnumque ſtupebis
Auxilio Numen lactis egere tui.
Hæc, puer alme, pater ſibi promittebat, eratque
Talis de cunis curaque ſpeſque tuis.
Ah! præſepe tibi pro cunis contigit iſtis:
Huc ſpes, huc rediit patrius ille labor.
Cur hoc ſis paſſus, cauſam quis quærit? amaſti:
Hæc ſumma eſt: hinc lex tam tibi dura venit.
Eheu! jura tibi jam nunc ſi talia ponit,
Subjectumque tuum ſic ſibi numen habet;
Si primo crudelis amor te cogit in ortu,
Quæ numquam fuerant perpetienda, pati;
Quid faciet, magnis (nec enim miteſcere diſcit)
Cùm te ſuppliciis viderit eſſe parem?
Care puer, quid poſt exordia talia ſperes?
Quis curſus vitæ ſic ineuntis erit?
Ah! tibi ne ſubeant aliquando tædia cœpti,
Nec, tanti, dicas, cur mihi terra fuit!
Ne nimiùm caros tibi nos, nimis eſſe querare
(Ut ſumus) indignos pro quibus iſta feras.
Cauſa ſumus, fateor, tantorum ſola malorum:
Eſſe ſinas miſeros, non eris ipſe miſer.
Vilis ès & nihili, quia nos extollere cordi eſt:
Res majeſtatem deprimit illa tuam.
Sed tamen hoc ipſo Deus agnoſceris in antro:
Hìc cultum, quem non templa dedere, feres.
Agnitus eſt terris jam nunc tuus ortus Eois:
Aſtra procùl cunis ſunt famulata tuis.
Inde ferent qui ſis teſtantia munera reges,
Et tua ſubmittent hac tibi ſceptra ſpecu.
Præveniet gregibus paſtorum turba relictis,
Pars melior populi primitiæque tui;

Teque vel in pannis venerabitur, & tua ſupplex
Numina, qua caperis, ſimplicitate colet.
His tua principiis ſenſim ſe gloria tollet,
Et veniet magno fenore dignus honor.

ELEGIA III.

Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. Lucæ 2.

DIvitias alius fuſcis ſibi quærat ab Indis,
Et ſua centenis jugera bobus aret:
Vos inopes panni, vos tartæ ſtramine cunæ
Majores quantò ſuppeditatis opes?
Invideo vobis, pueri quæ ſtringitis artus,
Faſciolæ. Cur non hac ego ſorte fruor?
Quem gremio præſepe tuo complecteris, ulnis
O quanto meliùs pendeat ille meis!
Vile quidem lignum es: ſed, cùm tibi pignora cælum
Tradidit hæc, quis det, tu quod es, eſſe mihi?
Quid loquor? ah! egon'eſſe quod es? egon'artubus illis
Duritiem cupiam ſuppoſuiſſe tuam?
Tu ego brutorum natum excepiſſe Tonantis,
Sacraque, quæ lædis, lædere membra velim?
Hoc voveant hoſtes quamquā quos ſentiat hoſtes
Parvulus hic? à me ſit procul iſte rigor.
Atque utinam intranti noſtrum licuiſſet in orbem
Inſtruere arbitrio tecta torumque meo!
Alta cedro ſtarent, Pariiſque palatia ſaxis,
Qualia regalis non videt ulla Sion.
Quas premeret cunas, opus Indi dentis, obiret:
Purpura, gemmarum pingeret omne genus.
Eminus adſtaret vigilum cuſtodia; quales
Ambivit thalamum, nate Davide, tuum.
Quòd ſi me ſervos inter cenſere minores,
Poſtremumque ſuę vellet habere domus.

Eſſem,

Eſſem, confiteor, quovis prę rege ſuperbus,
Et caperem faſtum non ſatis ipſe meum,
Servitii merces o quam mihi magna daretur,
Si poſſent illo lumina noſtra frui!
Quàm vigilē, quàm me nōnumquam viſus haberet
Intentum obſequiis nocte dieque ſuis!
Dormiret? ne quid poſſet turbare ſoporem
Curarem: foret hęc & mihi cura quies.
Nil vigil aſpiceret, quod non vidiſſe juvaret:
Auribus acciperet non niſi lęta ſuis.
Quid ſiccę frondes, quid ſint, neſciret, ariſtæ;
Quid gelidi lapides, & ſine veſte ſolum.
Tota domus nardi, ſuccoque maderet amomi:
Qui ſtabulis afflat, quàm procùl eſset odor!
Quā procùl ut ſordes, quā ſit procùl inde remotus,
Ut videat matri proxima bruta ſuę!
Frigus ut hibernę cum ventis ſentiat aurę,
Nec ſit qui parvo luceat igne focus!
Ut cunctis egeat, cujus ſunt omnia donum;
Ut, per quem lęti degimus, ipſe gemat!
Auditis? teneris totum vagitibus antrum
Perſonat: & gemitus vox quoque prima Deo eſt.
Virgo parens flenti turgentes ſiccat ocellos;
Et lacrymis, eheu! ſpargitur ipſa ſuis.
Parce puer, quibus hanc crucies, da re ſigna doloris:
Aptior adveniet planctibus hora tuis.
Tēpus in hoc illos differ, dum, quod modò pungunt
Stramina, divellent flagra cruenta latus.
Dum crux pręſepi ſuccedet; ſanguis, & ipſę
Pro pannis plagę dum tua membra regent.
cipe nunc dulci matrem cognoſcere riſu:
Incipe virgineo velle ſedere ſinu.
Molliter illa ſuis compreſſum ſtringat in ulnis,
Et ducat blandas cara per ora manus.
Et modò blanditias leni tibi murmure dicat:
Et modò det roſeis oſcula multa genis.
Oſcula quę ſtabuli brumęque incommoda penſent,
Oſcula quę cœlo te petiiſſe juvet.

ELE-

ELEGIA IV.

Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Luc. 2.

PAſtores ovium, cœlo gratiſſima pubes,
 Aſſuetum campis, innocuumque genus,
Ut gregis hæc vobis cuſtodia numine fauſto
 Obtigit! ut pretium grande laboris erit!
Cernitis Aligerum lętos per inane volatus?
 Æthereo quantus ſplendeat axe nitor?
Cernitis, in terras ut cœli regia migret,
 Et noſtro dominum quærat in orbe ſuum?
Illum jam vobis natum Davidis in urbe
 Jæſſeis virgo regibus orta fovet.
Ite, ſacros partus, demiſſaque pignora cælo,
 Cumque ſua puerum viſite Matre Deum,
En vocat ęthereum feſtis concentibus agmen,
 Quaque vocat, radiis lux nova ſignat iter.
Nec quemquam quòd ſit vilis, quod ruſtica, tardet
 Sors ſua: nec pudeat, turba quòd eſtis inops.
Non auro, non ille jacet ſpectabilis oſtro:
 Non lictor clauſas excubat ante fores.
Adſtabunt cunis (cunæ pręſepia, panni
 Velamen, lectus canna paluſtris erunt)
Adſtabunt cunis, puerumque animalia cingent.
 Cuſtodes habet hos corporis ille ſui.
Cętera conveniunt: abſint genitricis amores
 Sedulitaſque, nihil, quo recreetur, erit.
Parva licet fuerint, tamen eſſe videbitis illi
 Præcipuas, quę vos dona feretis, opes.
Lac tepidum, paſsas Engaddi collibus uvas,
 Defruta, & in ceris condita mella ſuis,
Quæq; parens teneris ſubſternat vellera membris,
 (Hei mihi! læſerunt ſtramina molle latus)
Excipiet gaudens, &, quo fugat æthere nubes,
 Vos illo aſpiciet leniter ore puer.

Veſtra-

Veſtraque brachiolis complectens munera patris,
Qua poterit, matri porriget illa ſuæ.
Heu pietas! vix ſacra pedem ſub tecta tulere,
Et tergit lacrymas (fleverat antè) puer:
Seque ſalutantes vultu ridente ſalutat,
Quodque Deum prodat, ſpargit ab ore jubar.
Deproperant illi tenui munuſcula cultu,
Procumbuntque ſolo, concipiuntque preces.
Atque aliquis, Quidni facilis paſtoribus adſis
Care puer? fies tu quoque paſtor ait:
Te nec oves laſſas humeris geſtare pigebit,
Nec medicas ægris applicuiſſe manus.
Non erit armentis leo te cuſtode timendus,
Tutaque ſe mediis inferet agna lupis.
Ubera lacte domum referent diſtenta capellæ:
In pratis aries vellera tincta geret.
Pabula ſufficient ſteriles jucunda myricæ,
Creſcet arenoſo fertilis herba ſolo.
Eia age care puer: tecum nova naſcitur ætas,
Primus ab integro temporis ordo redit.
Ferrea deficiet, toto gens aurea mundo
Surget: juſtitiam quælibet ora colet.
Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita nullius cauſa timoris erunt.
Tu nova progenies cœlo demitteris alto,
Occluſamque diu pandis ad aſtra viam.
Eia age care puer, magnum patris incrementum,
Cara Dei ſoboles, noſter & orbis amor.
Aſpice, venturo lætentur ut omnia ſæclo,
Ut pax naſcenti rideat alma tibi.
Horrida jam poſitis miteſcent ſæcula bellis:
Junget amor populos: otia mundus aget.
Nec raſtros patietur humus, nec vinea falcem:
Sponte ſua campos mollis ariſta teget.
Aurea male ferent quercus, rubus aſper amomum,
Alnus narciſſos, & ſaliunca roſas.
Occidet herba nocens, perdent aconita venenum,
Stactea de taxi cortice gutta fluet.

Occidet & ſerpens, quâ decipiente parentes
  Lethalis fuſa eſt in genus omne lues.
Dixerat: applaudunt comites: notat omnia Virgo,
  Et pariter tacitâ gaudia mente fovent.
Me miſerum! quod non hos inter noctibus illis
  Sit mihi ſervandi tradita cura gregis:
Nec ſtabulũ, & cunas, poſitũque in ſtramine regem:
  Ejus ſpectavi pars ego magna chori.
Quod licet, illarum ſe paſcit imagine rerum,
  Et ſtabulum & cunas mens ſibi noſtra facit.
Ante oculos puerum fingo, puerique parentem,
  Ante oculos aſinum cum bove ſtare meos.
Oſcula ſacratis juvat hic infigere cunis:
  Hic juvat ad teneros procubuiſſe pedes:
Et pueri dulces, & dulces cernere fletus
  Matris, & his viſis non retinere meos.
Divinis oculis ut primùm expreſſerat illos,
  Dixit Amor telis nil opus eſſe ſuis.
Projice tela puer, pharetram depone, faceſque:
  Jam lacrymæ domini ſunt mea flamma mei.

ELEGIA V.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer. Lucæ 2.

ERgò parùm eſt cœlo ſtabulum ſubiiſſe relicto,
  Et niſi de paleis non habuiſſe torum?
Frigoraque, & ventos, & quidquid cogat egeſtas,
  Quidquid hyems puerum ferre, tuliſſe Deum?
Ergò divinis, tot poſt incommoda, membris
  Qui vix ullus ineſt, ſanguis oportet eat?
Saxeus hunc illis cruciatu culter acerbo
  Extrahat? o durum religionis opus!
Cujus ad hoc animus, cujus ſat dextera fortis?
  Ferreus ah! quiſquis vulneris auctor erit.
Ferreus hoc viſo, qui non ſibi pectora lędi,
  Nec pueri pœnas ęſtimet eſſe ſuas.

Ante

Ante alios tu te ſpectaclo Virgo cruento
Subtrahe: ſanguis, erit, quem dabit ille, tuus.
Tu nati tremulos artus, liventia labra,
Nativo roſeas abſque colore genas,
Tu ſe torquentem parvaſque levamine nullo
Jactantem videas, & patiare, manus?
Subtrahe te: non ſunt rigido tibi vincta metallo
Viſcera, nec ferri ſemina pectus habet.
Quid loquor? hæc ipſa eſt, cultrũ quę ſtringit, & eſſe
Sanguineæ legis dura miniſtra parat:
Vulnere quæ infami divinos ſuſtinet artus,
Nataque de membris membra notare ſuis.
Alma parens, huc blanditiæ rediere priores?
Huc amor, huc animi pignora mille tui?
Quid facis ah? ſpargas illum modò ſanguine, cujus
Pœna gravis, lacrymas cernere nuper erat?
Pande ſinum potiùs, ſitienti que ubera prebe.
Ecce puer blandas tendit ad illa manus.
Subjicias cultro; cui cannas antè timebas?
O modò nec nati, nec memor ipſa tui!
O mater jam non mater, ſed inhoſpita rupes,
Sed de Caucaſeo monte revulſa ſilex!
Crede mihi, nec dura ſilex, nec inhoſpita rupes,
Non nati, non eſt immemor ipſa ſui.
Blandiùs infantem numquam tractavit, amoris
Nec tam certa ſui, quàm modò, ſigna dedit.
Antè ſinu fovit; tulit inter brachia; ſtrinxit;
Involvit pannis, compoſuitque toro;
Lacte ſuo pavit; lacrymans lacrymantis ocellos
Terſit; blandita eſt; oſcula multa dedit:
Jam vulnus, ſed dat cum vulnere nomen Jeſu.
Nil, puero majus quod dare poſſet, erat.
Hoc præ blanditiis, & præ complexibus illum,
Hoc præ materno lacte ſinuque juvat.
Hoc eſt, quod cęlo quęſitum venit ab alto
Hoc, pretio quovis quod ſibi ſtare velit.
Aligeri manibus tremulis legere cruoris
Primitias, Patri quas pia Virgo litat.

Et

Et lacrymas inter gratum quoque munus obortas:
  Hos, ſupreme Deus, ſuſcipe pignus, ait.
Quod, niſi de nati tibi corpore gratius eſſet,
  Quàm mallem è venis elicuiſſe meis!
Et tamen his etiam venis, hoc corpore fluxit,
  Et pars eſt ſanguis ſanguinis iſte mei.
Sancte Pater, ſibi qui reſtat ſi filius offert,
  Et pretium accepti nominis eſſe velit;
Si ſua vulneribus reddi magis apta ferendis
  Membra, caput ſpinis, terga latuſque flagris;
Carnificumque meæ dextras ſuccedere dextræ
  Optat, & illæſum nil remanere ſui;
Da Pater his hominum manent ſolatia plagis:
  Fontibus his, quivis unde juvetur, eat:
Nullaque fundendi, fuſi pars nulla cruoris
  Non habeat fructum, te tribuente, ſuum.
Mortales gaudete. Jubet rata Virginis eſſe
  Vota, Pater, nati quæ videt eſſe ſui.

ELEGIA VI.

Vocatum eſt nomen JESUS. Lucæ 2.

AUdiſtis? puerum mater ſua dixit Jeſum.
  Quiſquis adeſt, flexo poplite tangat humum.
Sternite vos alto venientes æthere turmæ;
  Et quas damnatis Styx tenet atra locis:
Ante omnes, quibus illud erit magis utile nomen,
  Corpora mortales ſternite veſtra ſolo.
Cernitis? ipſi etiam, ſacra qui præſepia cingunt,
  Nomen ad hoc proni bos aſinuſque jacent.
Nomen ad hoc ſtabulo ſpiravit mitior aura:
  Non Aquilo puerum, non fera læſit hyems.
Mutatos pannos, mutatas ſenſit ariſtas,
  Molliaque in cunis ſtramina facta ſuis.
Quid tuum, ſi roſeo perfundi membra cruore
  Debuit, & læſus parte carere ſui?

De

De non inciſo nec ſudant balſama ligno,
Myrrha nec integris ſtillat ab arboribus:
Nec tribui nomen, niſi læſo, tale decebat.
O quovis dignum vulnere nomen emi!
Nomen quod myrrhā, quod vincat balſama, vincat
De terra quidquid divite mittit Arabs.
Cinnama nomen olens, nardumque: ſuavius illo
Melle, quod in ceris Attica ponit apis.
Cur aliquis curis animum conſumat amaris;
Preſſaque triſtitiæ pectora mole gerat:
Pro gemitu & mœſtis, fruſtra quibus aſtra fatigat,
Queſtibus, hoc illi nomen in ore ſonet.
Hoc ſimul auditur, fugiunt planctuſque, dolorquè;
Terrores abeunt, ſollicitique metus.
Si qua trahit ſecum ſuſpiria, paſceris illis;
Si gemitus, ſunt quos elicuiſſe juvat.
Nec lacrymæ currunt, niſi fortunatus amantum
Queis chorus ardores lenit, alitque ſuos.
Ite leves venti, terras hoc ferte per omnes
Nomen, quas luſtrat ſera recenſque dies,
Per, modò quod plauſtris, ratibus modò curritur, æquor,
Per, propior ſolis quas rota pingit, aquas.
Auditum Heſperiis, auditum hoc nomen Eois,
Urat & Eoos, urat & Heſperios.
Auditum pelago ventos componat & undas,
Et ratibus placidum per mare ſternat iter,
Inter ſaxa ſonet, quibus ingens Caucaſus horret,
Fient Caucaſeis mollia ſaxa jugis.
Hoc Rhodope nivibus, queis ſemper tecta, ſub altis
Audiat, in rivos ſentiet ire nives.
Poſſit ad hoc catulis tygris miteſcere raptis:
Poſſit ad hoc ovibus nolle nocere lupus.
Inſcriptum Libycis hoc deveneretur arenis;
Et rabiem ponat torva leæna ſuam.
Si ſapis, hoc incide tuis, Amor auree, tædis.
Hoc pharetram, hoc arcus, hoc tua tela nota.

Nulla

Nulla faces iſtæ non urent pectora, quamvis
  Vincta gelu, quamvis frigidiora meo.
Durabunt ignes quos hinc ſuccenderis, & quam
  Foveris hoc oleo flamma perennis erit.
Nec, quàm quæ nomen pro cuſpide præferat iſtud,
  Certior in pharetra eſt ulla ſagitta tua.
Idque utinam cupias his explorare medullis;
  Et telum cordi figere tale meo!
Fige puer, quæſo, nec ſit medicabile vulnus:
  Felix! ſi mihi tu funeris auctor eris.
Atque ubi ſupremus jam labris halitus ibit,
  Hoc, facito, veniat nomen in ora mihi.
Hic mihi deſtituat mortales ſpiritus artus,
  Et longum fidens ingrediatur iter.
Hæc illi ſuperas reſerabit teſſera ſedes:
  Hac ſubeat tutus judicis ora ſui.

ELEGIA VII.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. Matth. 2.

Quæ procul adventat peregrino turba paratu?
  Quod graditur campis agmen, Ephrata, tuis?
Æthiopum agnoſco vultus, illaque profectas
  De terra turmas, ſol vehit unde diem.
Non tamen infeſtis urbes populentur ut armis;
  Non ut caſtra locent hoc inimica ſolo.
Virginei partus & nati nuntia Regis
  Stella fuit longæ cauſaque, duxque viæ.
Ut juvat hac cauſa ſubjiſſe pericula, Reges,
  Ignotas terras hac petiiſſe duce!
Ut Solymam repleſſe metu, turbaſſe tyrannum;
  Si fureret, nullas pertimuiſſe minas?
Et nunc auſpicio meliore ſubibitis urbem
  Claudentem muris gaudia veſtra ſuis:
Iſacidum qua Rex, aſtrique videbitur auctor.
  O quanto ſtellis pulchrior ipſe ſuis!

Cer-

Cernitis, ut ſteterit qui cœlo prævius ibat
Ignis, & hic Dominum nuntiet eſſe ſuum?
Cui ſuperimmineat rupi? quæ limina ſignet?
Limina regali non adeunda pede.
Hęc, ſi neſcitis, regis quem quęritis aula,
Hęc ille eſt, cœlum cui fuit antè, domus. (get:
Hic gemit, hic plorat, tremit hic malè tectus, & al-
Hic illi pauper cum ſene mater adeſt.
Bos comes, & vector genitricis aſellus eodem
Pabula præſepi, quo jacet ille, petunt.
His ſociis, hoc, Heroes, habituque, locoque,
Vos expectat inops donaque veſtra puer.
Quis credat? nil hic nutant: animalia, pannos,
Algores audent credere digna Deo.
Succedunt ſtabulo: ſternunt regalia proni
Corpora, quadrupedes quo jacuere, ſolo.
Appendunt ſacris diademata regia cunis.
Ad pueri videas ſceptra jacere pedes.
Jamque nitere auro pudor eſt, regeſque videri:
Pannoſa mallent corpora veſte tegi.
Inde locum luſtrant, oculoſque per omnia ducunt:
Quod non mirentur, nil caſa pauper habet.
Jam præſepe ſtupent, fœnique rigentis acervum,
Signaque quę pecudum facta fuere pede;
Lumina jam adſtantis vultúq; habitumq; parentis:
Jam puer hęrentes attonitoſque tenet:
Et tacitè: Quàm non, ajunt, nos ſtella fefellit!
Quàm fortunatum carpere juſſit iter!
Duxerit ad tuguri congeſtum ceſpite culmen,
Aptaque, quę pecudes, non Deus, antra colat:
Se tamen hic prodit, quodque eſt, cognoſcitur eſſe
Vel pannos inter pauperiemque puer.
Hic puer, hic ille eſt, cui ſol, cui ſervit uterque
Axis, cui terrę, cui famulantur aquæ;
Ipſis qui dicit, licet infans, jura tyrannis,
Et tenero regum ſub pede colla tenet.
Hic puer ęterni natus genitoris amorque;
Nec minùs, o Virgo, ſanguis, amorque tuus.

Quid

Quid tum, ſi cunas pictum velamen acantho
Non obit? ornatus pulchrior ipſe ſibi eſt.
Ut blanda eſt facies! ut lumina dulciter ardent,
Æthereas animis ſubjiciuntque faces!
Quàm matri ſimilis! quàm non mortalis utrique
Forma! tamen plus hic, quod venereris, habet.
Et nunc ecce ſuos ad nos convertit ocellos.
O merces longæ digna labore viæ;
Sic ſecum, & fundunt lacrymas. Hæ prima fuerunt;
Expediunt gazas altera dona ſuas.
Dant regale aurum, & lacrymatam cortice myrrham,
Adjiciunt ſacris thura cremanda focis,
Et ſuper hæc animum: nibil eſt pretioſius illo;
Nil regum, quod det, dextera majus habet.
Lætatur puer, & meritos agnoſcit honores,
Et pretium donis, quæ capit, ipſe facit.
Aurum inopi aſſignat matri, patrique remittit
Thura, ſibi myrrham preſſat utraque manu;
Abſconditque ſinu, guſtandamque admovet ori:
Agnoſcit mortis prævia ſigna ſuæ.
Tum dare complexum, regumque hærere lacertis
Suſtinet, & caro matris abeſſe ſinn.
Qui ſenſus animi, quæ flammæ, quæ nova ſurgunt
Gaudia, dum jungunt os puerile ſuo?
Et Jubet in patriam, Reges, & Eoa reverti
Littora? Sic cœlo ſomnia miſſa jubent.
Ite boni, quà vos Superum mandata reducunt,
Et quà præcones vult puer eſſe ſuos.
Mortalemque Deum, viſumque in carne referte:
Eſte aliis, vobis ſtella quod antè fuit.
Felix hoc ſtabulo totum qui tranſigit ævum,
Figat & æternos hac ſibi rupe lares!

ELE-

ELEGIA VIII.

Venit in ſpiritu in templum Simeon, & cùm inducerent puerum Jeſum parentes ejus, &c. & ipſe accepit eum in ulnas ſuas. Lucæ 2.

Ferte faces templo: rutilent altaria flammis:
 Inſolito niteat clarior igne dies.
Ecce ſacris ſeſe Virgo penetralibus infert,
 Cui venit & pietas, & decor ipſe comes.
Forma illi, qualem nec præfert candida Phœbe,
 Nec matutinis lucifer ortus equis.
Tam formoſa, tamen magis hoc, quod ad ubera geſtat,
 Pignore quàm ſpecie conſpicienda ſua eſt.
O adyta! o magni felicia culmina templi!
 O fortunatum, quod premit illa, ſolum!
Tempus ad hoc, quamvis vobis & cedrus & aurum
 Materies fuerit, vile fuiſtis opus.
Jam pretium * venit, primamque noviſſima vincit
 Gloria: jam nullus dignior orbe locus.
I lande Sion: tibi quem promitti ſæpiùs audis,
 En tandem vindex æthere miſſus adeſt:
Inferturque ſuam Superum dominator in ædem,
 Jam puer, & teneræ jam leve matris onus.
Quò modò devoti flammis cultroque juvenci?
 Quò cruor, & ſacris exta cremanda focis?
Mitte greges ovium, nec ſentiat hoſtia ferrum,
 Quæ veniente die, quæque cadente cadit.
Siſtitur ad ſacras agnus divinior aras,
 Hoſtia ſupremo dignaque parque Deo.
Infelix, quòd non illum cognoſcere cures,
 Nec quæ ſit mater, quis puer ille, roges!
Rumpe moras Simeon, & qua ſit origine natus,
 Quid veniat, quo ſit dignus honore, doce.

Accur-

* *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ, plus quàm primæ.* Aggæi 2.

Accurrit: vires animus facit; altaque templi
  Limina jam ſenio nil remorante ſubit.
Hic ubi virgineis portari Numen in ulnis
  Attonituſque animi, deveneranſque videt:
Ergò tuo tandem deſcendens, inquit, Olympo
  Veniſti populi ſpeſque ſaluſque tui;
Quique prius cœlo nos exaudire ſolebas,
  Ad tua nunc ultrò templa domumque venis?
Quin etiam media gaudes in plebe latere,
  Et partem turbę pauperis eſſe juvat.
Rex Superum, quàm non tibi priſtina gloria cordi?
  Majeſtas vilis quàm tibi facta tua eſt?
Antè pedum fulcro nimis acceſſiſſe tuorum
  Crimen erat; populi te modò turba premit.
Hęc loca viſentem, nubes te denſa tegebat,
  Eſt modò viſendi copia plena tui.
Votaque more novo coràm tractabilis audis,
  Orantum lacrymis jungis & ipſe tuas.
Qui pennas Cherubim ſubiectaque terga premebas,
  Virgineo gaudes nunc reſidere ſinu:
Sic te moliri quidvis, & ad omnia verti
  Cogit amor, ſimilem nec ſinit eſſe tui.
Hactenus. At tradi geminos ut deinde palumbos,
  Quęque ſolent inopes munera ferre, videt:
Hęret, &, O noſtri generis mundique redemptor,
  Hęcne, rogat, pretium ſunt, puer alme, tui?
Ah quantò pluris tibi nos conſtabimus olim,
  Vulnera erunt nummum cum numeranda loco!
Tum puerum poſcit: videt ardeſcitque videndo:
  Jungit per longas oſcula preſſa moras.
Stringit, &, O, inquit, gelidi ſenis ultimus ardor,
  Ten', puer, accipio? ten' ego, nate Deo,
Invalidumq; artus, moribundaq; membra gerentem
  Aſpicio? manibus ſuſtineoque meis?
Heu pietas! heu dulcis amor! tantumne mereri
  Viſa tibi miſeri vota preceſque ſenis?
Certè alacrem, lętumque, ac vita cedere promptum
  Dimittis ſervum nunc, Pater alme, tuum.

Atque

Atque utinã (quid enim poſt hæc optabile reſtat?)
Summa dies oculis fulſerit iſta meis!
Vidi, quàm juſſæ gentes ſperare ſalutem:
Quod lumen populis præſidiumque pares:
Iſacidum qui ſurgat honor, quæ gloria plebi:
Ulterius votis non licet ire meis.
Quò, Pater, ingratos extendam longiùs annos?
In terris viſo lux gravis ipſa Deo.
Mors veniat, dumque hunc ſpecto, mihi lumina claudat,
Et ferre ad manes nuntia læta ſinat.
Mox fore, cùm victis fugiant Acheronta tenebris,
Et mutent ſuperis triſtia regna locis:
Quod fuerat magno promiſſum ſemen Abramo,
Hos vidiſſe oculos, has tenuiſſe manus.
Sic orat, pignuſque ſuæ cæleſte parenti
Reddit, &, En, natum ſuſcipe, mater, ait;
Dumque licet, gaude. Quantis mœroribus olim,
Infelix, quantis conficiere malis!
Ecce dies veniunt, cum, ceu ſpectabile ſignum,
Impetet hunc telis impia turba ſuis.
Quotque petent illum, tot tu ferire ſagittis:
Amborum plagæ, quas feret alter, erunt.
Sarcina grata tuis ſedeat nunc ille lacertis,
Pectoribuſque premat pectora cara ſuis.
Quæ nunc ille premit, tranſibit pectora mucro,
Inque animum vulnus viſceraque ima feret.
Dixerat, & largo rigat ora ſenilia fletu,
Et miſeræ jam nunc ipſe dolore dolet:
Ipſe etiam, cauſa, dubites, matriſne, ſuane,
Vagitu præfert triſtia ſigna puer.
Virgo oculos cælo tollens: Pater optime, quæ me,
Quæ cupies natum ferre, feremus, ait.
Ille tuas tibi nunc offertur parvus ad aras;
In luctus creſcat, nil moror, ille meos.

ELEGIA IX.

Remanſit puer Jeſus in Jeruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. Lucæ 2.

ANnua feſta vocāt: Solymam pete, regia Virgo:
Sit comes aſſuetæ virque puerque viæ.
Nonne vides, quanto incenſu genitoris amore
Geſtiat hoc tecum carpere natus iter?
Obſequitur Virgo ſtudio natique, ſuoque,
Quæque ferant templo munera parva parat.
Sacra litant: ſacris repetunt ſua tecta litatis.
Ille (quod ignorant) nectit in urbe moras.
Prima parens, ſed non niſi cùm nox inſtat, abeſſe
Comperit, & Conjux, heu ubi natus? ait.
Ille metu pallet ſubito: ſcitatur amicos
Anxius, inque agros proſpicit, inque vias.
Et tamquam propè ſit, poſſitque audire vocantem,
Dat ſignum, quo ſint mater & ipſe loco.
Jam Fili, jam care puer, jam clamat, Jeſu:
Ipſa etiam Jeſu, Virgo, veniſne? rogat.
Veſper erat: non ad ſolitæ conſortia menſæ,
Non puer obſcuræ tempore noctis adeſt.
Tum verò incuſant ſeſe, miſcentque querelas:
Alterius luctu creſcit utrique ſuus.
Et cur, mater ait, ſeſe ſubduxerit? heu me!
Sollicitor mores ipſa timere meos.
Angor, &, admiſſæ quamvis non conſcia culpæ,
Quod patior, timeo me meruiſſe pati.
Et nunc ille aliqua defeſſus fortè platea,
In nudo poſuit languida membra ſolo.
Nec ſtipulæ ſaltem, quales invenimus olim,
Nec puero tectum, nec cibus ullus adeſt.
Ah ne illum, qui nunc cadit æthere, noxius humor,
Ne frigus noctis, duraque lædat humus!
Ah teneros ne longa fames exhauriat artus,
Siſtaturque oculos pallidus ante meos!

Di-

Digna quidem non ſum, quicum velit ille morari:
Quam faceret matrem, ſed neque digna fui.
Fallor? an alterius ſtat nunc excluſus ad ædes,
Et fruſtrà poſtem laxet ut illa, rogat?
Pande * fores, dicit, venerunt tempora noctis,
Cara ſoror, moto cardine pande fores.
Jam mihi cincinnos gelidæ tinxere pruinæ:
Nocturno plenum jam mihi rore caput.
Quid faceres hoſti, quæ ſic excludis amantem?
Pande, ſoror, moto cardine pande fores.
At ſemel exutas negat illa reſumere veſtes,
Neſcia divinis cedere blanditiis.
Tempora cauſatur ſomni, lotóſque recenter
Demens ah metuit commaculare pedes.
Non ſponſæ curat, non blandum nomen amicæ,
Non quòd formoſam, quòd ſine labe vocet.
Nate, quid ingratæ traducis ad oſtia noctem?
Huc ades: hæ pandent ſe tibi ſponte fores.
Ipſi te poſtes, ipſum te limen, & ipſæ,
Ut cupias, orant accelerare feræ.
Mater amans, & amata tibi, niſi fallitur, orat,
Et deſiderio deficit ægra tui.
Sic illa; & meminit, Simeon quæ dixerit olim,
Et gladius, quo ſit confodienda, ſubit.
Deque ſenex gladio fuerit quocumque locutus,
Accepi jam hunc non leve vulnus, ait.
Nec medicina meo ſperanda eſt ulla dolori,
Qui fecit plagam ni mihi præſtet opem.
Non minùs invigilat curis, ſecúmque maritus
Quærit, quæ puero facta, vel unde mora.
Cognatumne ſuum nemorum ſecreta colentem
Viſerit? & ſoli ſolus adeſſe velit?

N 2 An

* *Aperi mihi, ſoror mea, amica mea, columba mea immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cantic. 5.

An potiùs ſeductus, ait, regione viarum eſt,
Nec potuit turba nos prohibente ſequi ?
Nam, puto, non alias hinc eſt abiturus in oras:
Oſtenſum populo ſe volet antè ſuo.
Ægyptum fuit ille quidem mihi viſus amare,
Cùm domus hic nobis perfugiumque fuit;
Quando ſed in patriam juſſi ſumus inde reverti,
Cur rear huc illum velle referre pedem ?
Cæleſti minùs eſt cur ſuſpicer arce receptum,
Hic nondum ſummum quando peregit opus.
Forſan at Herodes patrias renovaverit iras,
In ſe quærentes inciderítque manus;
Quæque pati primis Pater illum noluit annis,
Forſan adeſt, quo ſint perpetienda, dies.
An fruſtrà metuo, vaniſque timoribus angor,
Et nondum nobis imminet ille dolor ?
An citò ſe nobis, & ſecum quidquid amamus
Reſtituet, miſeros nec ſinet eſſe diu ?
Sic mœſtus mœſta noctem cum conjuge ducit,
Affectu vario diſtrahiturque ſenex.
Ut modò deprimitur vento, modò tollitur unda,
Jam ſperat, jam ſpes victa timore cadit.

ELEGIA X.

Et non invenientes, regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum: & factum eſt poſt triduum, invenerunt illum in templo, ſedentem in medio Doctorum. Lucæ 2.

EHeu! quàm tardæ labuntur amantibus horæ,
Nec ſolito tempus creditur ire pede!
Noctis erat medium; tranſactam Virgo putavit,
Et queſta eſt nondum Solis adeſſe jubar.
Sol aderat, ſtellaſque dies abſcondere cælo
Cœperat: heſternum rurſus initur iter.
Si quis adhuc dubia ſub prima crepuſcula luce
Eminus occurrit, Fallor, an, inquit, adeſt?

Scru-

Scrutatur quæ fixa ſolum veſtigia ſervet,
Et preſſam noto pondere quærit humum.
Nunc hanc nunc oculos partem deflectit ad illam,
Si qua eſt in varias ſecta platea vias.
Unaque, ſeu paſtor, ſive eſt conſpectus arator,
Vox eſt, Ecquis iit iſta per arva puer?
Ut Solymam ventum eſt, vicos & compita luſtrat,
Quoque ferat, dubitat, quò referatque pedem.
Ipſo quo properat ſtudio tardatur, & omnem
Conſpergit lacrymis mœſta, notatque locum.
Hic, ait, in reditu fuimus: tranſivimus illac:
O conjux, nobis huc fuit uſque comes.
Hìc, o me miſeram! (ſed cur quid tale timerem?
Implicitus dextræ deſiit ire meæ.
Altera ſollicitæ, jamque altera naſcitur Eos,
Incertas quòd non ceſſet obire vias.
Res nova, conferta populis ſic urbe vagari.
Quid faciat? cedit victus amore pudor.
Progreditur: nunc hos, nunc flens interrogat illos:
Deſcribit, quales præferat ore notas. (ſtram)
Tali, inquit, facie eſt, qualem (niſi quod modò no-
Deformat luctus) cernitis eſſe mihi.
Alter in alterius dignoſci poſſumus ore;
Squalor abeſt illi; cętera matris habet.
Quæ mihi continuo turgent modò lumina fletu,
Illi ſidereo pulchriùs igne micant.
Funduntur flavi per lactea colla capilli;
Multa affuſa labris gratia, multa genis.
Quale ebur aſperſo dilutum murice, qualis
Si roſa lacte natet, talis in ore color.
Quò caput obvertit, nitet illic purior aer:
Quos videt, his caſtus leniter afflat amor.
Cultus adeſt ſimplex, amethyſtina veſtis ad imos,
Noſtra texta manu, defluit uſque pedes.
Iſta patent cunctis; nos plura videmus in illo:
Plus aliquid forma, quo capiamur, habet.
At modò nos puero lux tertia conſpicit orbos.
At! ut conficerer, plus ſatis una fuit.

Vos ego per matris (vocem ſuſpirat ad illam,
  Appoſitaque premit pectora mota manu)
Vos ego per matris nomen, Solymiades, oro,
  Dicite ſi vobis viſus in urbe fuit?
Illum ego vel media Galilæi Regis in aula
  Non timeam ſævos inter adire duces.
Ad Romana meos prætoria ſi quis amores
  Vidit, Romanis inſerar agminibus.
Nil agit infelix, fruſtrà quæriturque, rogatque,
  Augetur dolor hinc, unde requirit opem.
Converſura preces aliò, queſturaque cœlo,
  Ad templum, miſeros quo Deus audit, adit.
O rerum facies! hic en, hic illa cupitos
  Ah nimiùm vultus, oraque cara videt.
Hic ſedet in media populique ſenumque corona,
  Datque ſui ſpecimen non puerile puer.
Jam, veluti dubitans, interrogat ille peritos:
  Reſponſis turbam jam tenet ipſe ſuis.
Seu ſua depromat, ſeu Vatum oracula pandat,
  Pendet à pueri non pudet ore ſenes.
Unde, rogant, iſtis ſapientia talis in annis?
  Atque aliquis, Felix quæ tibi mater, ait.
Felix quæ talem geſtavit ad ubera natum!
  Vivat, ſitque diu pignore læta ſuo.
Dixerat. Ille palam matrem confeſſus honore,
  Complexum turba conſpiciente petit:
Solaturque ægram, luctumque in gaudia vertit,
  Utque ita quæſitum ſe juvet eſſe, facit.

ELE-

ELEGIARUM
LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

CAROLI V. IMPERATORIS APUD GANDAVENSES NATI

GENETHLIACON.

AD URBEM GANDAVUM.

Cùm eam Ferdinandus Hiſpaniarum Infans triumphali pompa ingreſſus, proavi ſui memoriam renovaret.

GANDA fave: da thura focis: da munera templis,
 Qualia nec victis hoſtibus antè ſoles.
Jam bello partos ſuperas in pace triumphos,
 Teque aliquid, quamvis maxima, majus habes.
Quem maria & terræ, quem mox ſibi regia cæli
 Vindicet, ille tua naſcitur urbe puer.
Æra ſonent: latè feſtivo ſplendeat æther
 Igne: fremant plauſu lætitiaque viæ.
Ducantur ludo noctes, agitetque juventus
 Læta choros: quemquam ſit doluiſſe nefas.
Vicini colles, vicinæ aſſurgite ſilvæ:
 Scaldi, jube fluctus puriùs ire tuos.
At tu vitales almi ſub luminis oras
 Edite, ſpes hominum, Carole, cura Dei,
Accipe qui rerum ſucceſſos & ordo tuarum:
 Præſcribant vitæ quem tibi fata modum.
Quas nec noverunt alii, moderabere terras:
 Surget in imperio noxque dieſque tuo.

Augebis virtute tua, quod a vitâ paravit.
Auſpiciis creſcent regna paterna tuis.
Et proavis tu multa licet, tibi plura nepotes
Debebunt, per te qui caput orbis erunt.
Ecce tibi jam nunc extremæ munera gentes,
Obſequiique ſui pignora certa ferunt:
Et dominas flexo veneratæ poplite cunas
Aſpectu certant ſe ſatiare tuo.
Fallor? an excelſo Jovis armiger ales Olympo
Hæſurum auguſtis fert diadema comis?
Suſcipe dona Dei, populiſque aſſueſce regendis:
Vel teneras poterunt ſceptra decere manus.
Sceptra quidē tibi mox: ſed erūt ſimul arma gerenda.
Gallia tranquillos non ſinet ire dies.
Bella, puer, video, crudelia ſurgere bella,
Et conjuratos in tua fata duces.
At tu ne terrere minis. Dant bella triumphis
Materiam. Gaudet ſanguine nomen emi.
Rex animis armiſque ferox in prælia ſurget,
Et tibi, Pelidæ quod fuit Hector, erit.
Ecce per aerios rapit arduus agmina montes,
Nec timet Alpinas primus inire nives.
Jam tenet Italiam, turmaſque laceſſit Iberas.
Quid facis? invictas gens habet illa manus.
Stant acies: dant ſigna tubæ: concurritur. Eheu!
Ticini quantum ſanguinis unda vehet!
Miſcentur cædes: perimuntque, caduntque viciſſim:
Sed tamen indomitus fortius inſtat Iber.
Inter utrumque diu volitat victoria: tandem
Auſtriacas Aquilas notaque ſigna petit.
Maxima quæſita eſt: major modò gloria reſtat.
Poſt hoſtes, animum, Carole, vince tuum.
Et bellum, & belli victoria finiat iram.
Vindicta eſt regi pulchra, fuiſſe pium.
Proſpera Mars ſpondet: ſed ad arma venire coactū,
Amplecti pacis fœdera ſponte decet.
Pax placet. Exhauſti bellis gaudete coloni;
Atque oleæ lætas cingite fronde comas.

Inno-

Innocuo gladium miles commutet aratro:
Occupet in tenebris tela cruenta ſitus.
Quid loquor? impietas ira comitata dolòque
Inſidias alias & nova bella parat.
Carole, quid ſperas in tempora longa quietem?
Hoſtis adeſt: turmas ad ſua ſigna voca.
Ecce rebellatrix Germania cornua tollit,
Et domini ſumit in caput arma ſui.
Sed non & ſumpſiſſe volet: dabit improba pœnas,
Nemo in te poterit perfidus eſſe diu.
Parce tamen, poſito ſi quando furore, ſceluſque
Faſſa, tuos ſupplex concidat ante pedes.
Vincere multorum; proprium non perdere victos
Sit tibi: proximior gloria nulla Deo eſt.
Fulminat ille quidem; ſed paucos fulmina lædunt:
Contenta eſt ſolo Numinis ira metu.
Sed tamen interdum nocet & clementia. Multis
Ferri acies, multis attulit ignis opem.
Tu quoque ne nulli ſis implacabilis: hoſtem
Crede tuum, quiſquis Religionis erit.
Religio paſſis ad te miſeranda capillis
Confugit. heu quantis fluctuat illa malis!
Et tamen, Odryſio quæ ſervit terra tyranno,
Pacem habet, & felix impietate ſua eſt,
Et veteres clades, & noſtri probra recenſet
Nominis, & magnum ridet inulta Deum.
Vade age, damnatis infer pia gentibus arma
Biſtonios ultra Sarmaticoſque ſinus.
Hìc odia, æternaſque gere implacabilis iras:
Hac cauſa pulchrum crede piumque mori.
Soſpite te, Scythicas paveat Germania Lunas?
Auſtriaco rutilent Turcica ſigna ſolo?
Soſpite te, infames populentur littora claſſes
Itala? ſint populis æquora clauſa tuis?
Avertant Superi. Vertet hoc omen in hoſtes,
Captaque cum dominis barbara roſtra trahes.
Per medias acies, Libycas penetrabis in urbes;
Accedat titulis Africa terra tuis.

N 5 Fal-

Fallor? an Iſmariis video ſtare agmina campis,
Byzantique arces, mœniaque alta quati?
Me miſerum! cur hoc aliquis noſtro invidet ævo?
Succeſſuſque tuos propria damna putat?
Quiſquis is eſt, precor ut ne ſit ſine vindice, quæque
Hoſtibus inferri non ſinit, ipſe ferat.
Nec tamen impediet quin ultra ſolis & anni
Notum iter extremo des nova jura mari:
Herculeaſque ultra metas, Bacchique labores
Auſtriacum nomen imperiumque feras:
Dum laudis famæque fatur, moderamina rerum,
Sceptraque deponas, ſufficiaſque tibi.
Tum te ſublimem titulos ſuper atque trophæa
Ad cælum niveis Gloria tollet equis.
In tua certantes ibunt præconia vates.
Hei mihi, nil magnum quod mea Muſa ſonet!
Non majora tamen laudum monumenta tuarum,
Quàm benefacta tuæ poſteritatis erunt.
Ergo, ubi de ſummo terras ſpectabis Olympo,
Quæque animis fuerant regna minora tuis,
Aſpicies illic dignos te patre Philippos,
Quorum vita ſalus duplicis orbis erit.
Aſpicies Carolos, æternaque Ferdinandos
Nomina; in Auſtriacum nomina nata decus.
Quorum aliquis proavum Belgis ut reddat, & ævū
Olim reſtituat per tua facta tuum.
Annue cum reliquis de cælo, Carole, Divis.
Poſt tua ſic etiam fata ſuperſtes eris.

ELEGIA II.

AD BELGICAM.

De Sereniſſimi Ferdinandi Gubernatoris illā deſtinatā ex Hiſpania in Italiam navigatione.

IRe parat dubias Fernandus claſſe per undas:
Vota fer ad magnum Belgica ritè Deum.

Te

Te propter, regnata ſuis majoribus arva,
  Te propter, fratrem deſerit ille ſuum:
Cumq; aliter nequeas, quàm quà finit æquor, adiri,
  Æquoris incertas ſuſtinet ire vias.
Scilicet hic aliquid ventis debere neceſſe eſt:
  Virtutis totum, quod ſuperabit, erit.
Sed malè (me miſerum!) ventis, malè ſiditur undis.
  Oceano conſtans non ſolet eſſe fides.
H s tamen ille ſuam credet noſtramque ſalutem,
  Speſque per incertas tanta feretur aquas?
Et tota à fragili pendebit Belgica ligno,
  Et tantùm felix, ſi volet Auſter, erit?
O utinam Divis ſolvat ratis illa ſecundis,
  Sentiat & magni, quem vehat, unda maris;
Et commiſſa ſibi populorum vota duorum
  Deferat ad portus, Auſoni terra, tuos!
O utinam venti veniant in vela ferentes;
  Et faciant celerem remus & aura viam!
Quæque regunt nautas, numquam fulgere ſereno
  Sidera deficiant officioſa polo!
Tyndarei fratres, formoſæ pignora Ledæ,
  Præcipuè vobis convenit illud opus,
Nam quod tu cælo Pollux cum Caſtore, terris
  Hoc cum fratre, ratis quem vehit illa, ſuo eſt.
Qui fuit in vobis, vinclo qui veſtra perenni
  Junxit, & illorum pectora jungit amor.
Vos immortales fecerunt fata, nec illos
  Gloria permittet poſteritaſque mori.
Vos jubare & radiis genitor circumdedit aureis,
  Hos genus illuſtres, & ſua vita facit.
Sidus ſollicitis vos eſtis amabile nautis,
  Gratius hic populo ſidus uterque ſuo.
Denique qua Virtus olim vos duxit, eadem
  Hos quoque, ſed ſerò, ducet in aſtra via.
Vos igitur, cui ſe nunc horum credidit alter,
  Ne ſinite in mediis puppis ut erret aquis.
Audior? an totus tenebris involvitur a r?
  Nox fugat atra diem: nubibus aſtra latent.

Inſurgunt venti: tolluntur in æthera fluctus:
  Exitium tumidæ triſte minantur aquæ.
Hoc ſuperi prohibete nefas, Hiſpania quotquot,
  Et non averſos Belgica quotquot habet;
Et ſervaturum populos ſervate, nec unum
  Fluctibus his perdi credite poſſe caput.
Belgica naufragium puppi patietur in illa:
  Hei mihi! ſi fruſtrà tot modò vota facit.
Hei mihi! ſi veſtras fruſtrà procumbit ad aras,
  Et ſpargit lacrymis omnia templa ſuis;
Si venia nondum digna eſt veſtroque favore,
  Imperio dignam quam putat ille ſuo.
Nequidquam timeo. Redeunt ſua ſidera cęlo,
  Et rabiem Boreas ponit, & unda ſuam.
Incolumes terram propè jam tenuere carinę,
  Jam portum è ſumma navita puppe videt.
Felicem terram, quę gaudia debita Belgis,
  Pręcipiet; felix, quod premet ille, ſolum.

ELEGIA III.

AD SERENISSIMUM FERDINANDUM,

De mora ei in Italia injecta, & Alpium tranſmiſſione.

RUmpe moras, Fernande: manus tibi Belgica tendit,
  Tam tibi, tam fratri Belgica cara tuo:
Et (quamvis Moncada nihil ſinit eſſe timendum)
  Neſcio quo ſine te fluctuat illa metu,
Et plus à tanto (quamvis nihil ille reliquit
  Armis quod potuit conſilioque geri)
Plus tamen, ut par eſt, à tanto Principe ſperat.
  Eſt aliquid, ſumma ducere ſtirpe genus.
Nec minus infelix ſibi te Germania poſcit,
  Indiget auxiliis nec minùs illa tuis.
Te vocat aſſiduis, o Princeps, utraque votis:
  Dinumerat lentos utraque mœſta dies.

Utraque cùm vocat hæc, cur te tenet Itala tellus?
Cur magis illius vota preceſque valent?
Cur regio felix damno manet una duarum,
Plus juſto noſtris perfruiturque bonis?
Jam certè diſceſſit hiems; jam frigore pulſo
Apta viatori tempora veris eunt.
Jam tibi miles adeſt ſummo Duce dignus, Iberis
Et junxit turmas terra Latina ſuas.
Eja age, rumpe moras; populis nec ferre ſalutem,
Nec dubita laudes accelerare tuas.
Quid loquor? obſtit nobis natura; voluntas
Nec ſua Fernandum, ſed grave tardat iter.
Quòque minùs veniat, tangentes vertice cęlum
Impediunt Alpes, impediuntque nives.
Hoc eſt, infidi quod poſt diſcrimina ponti,
Poſt dubios timuit Belgica ſæpè Notos.
Sed fruſtra timuit. Nam quod natura negavit,
Hoc illi virtus jam ſua pandet iter.
Nempe datur forti quovis penetrare: nec ulla
Invia virtuti difficiliſque via eſt.
Quis teneat volucrem, ne tendat in æthera, flammā?
Quis faciat nimbis fulminibuſque moram?
Quis clauſum cæcis vetet expirare cavernis,
Et cælo Boream liberiore frui?
Quis, virtus obices nequeat quos vincere, ponat?
Semper vel reperit, vel facit illa viam.
Hac duce Fernandus per montes nubibus æquos,
Incola quos tuto vix ſubit ipſe pede,
Per rigidas cautes & inhoſpita ſaxa, geluque
Obſita perpetuo per loca carpit iter.
Hac duce præcipites contemnit rupium hiatus,
Nec timet abruptas per juga ſumma vias.
Et quò conſuetas paſci per ſaxa capellas
Vix ageret paſtor, hìc ſua caſtra locat.
Scilicet ad magnos ſic tendimus, inquit, honores:
Ad famam mollis non ſolet eſſe via.
Principis exemplo miles non ſegnior inſtat;
Et pudor eſt tardè, quò præit ille, ſequi.

An-

Ante alios feſtinat Iber, fortemque probare
Jam tum præcipuè ſe ſtudet ille Duci;
Et mediis dum pendet adhuc in rupibus agmen,
Jam tum pugnandi tempus adeſſe cupit.
Jamq; animos, jamq; arma parat, jam concipit iras,
Jam ſpondet palmas exuviaſque ſibi:
Et quaſi vicinum convitia jactat in hoſtem,
Nec, niſi cunctari ne velit ille, timet.
Gaudete o Tylij, Feriæ gaudete ſepulti,
Qui veſtras clades expiet, ultor adeſt,

E L E G I A IV.

DE VICTORIA AD NORTLINGAM

Obtenta à Sereniſſimis Ferdinando IV. Hungariæ Rege, & Ferdinando Hiſp. Infante.

Plaudite io populi, patriæ quos cura Deique
Tangit, & antiquæ religionis honor.
Plaudite fortunam qui veſtram ducitis eſſe,
Auſtriacæ Numen quam volet eſſe Domus.
Et tu flere tuos (quamvis jam ſæpè coacta
Cæſare ſub tali non patienda pati)
Deſine flere tuos tandem Germania caſus:
Deſine fatorum de gravitate queri;
Triſtibus ut paſſim tua videris oppida flammis,
Sanctaque cum ſignis templa flagrare ſuis,
Civibus exhauſtas urbes, cultoribus agros,
Pinguia de domini ſanguine prata fui;
Deletaſque acies, totiſque cadavera campis
Sparſa, cruentato non benè tecta ſolo.
Germanas aquilas hoſti ceſſiſſe pudendo,
Vincere conſuetos vincla tuliſſe duces,
In mare Danubium curſus volviſſe viroſque,
Purpureas Rheni ſæpè fuiſſe vias,
Et quæ, quàm dici poſſent majora, tuliſti,
Deſine funeſtis ingeminare modis.

Jam

Jam facies rerum verſa eſt: jam cœpit Olympo
Candida depulſis nubibus ire dies.
Priſtina ſors rediit: verſiſque in proſpera fatis
Ultio ſumpta tuis dignaque parque malis.
Succubuit tandem, qui pridem debuit, hoſtis;
Quæ meruit belli præmia, cæſus habet.
Funeribus complet, modò quos vaſtaverat, agros;
Qua ſegetes vetuit creſcere, mordet humum.
Sparſa manu ſæva miſeris incendia villis
Reſtrinxit rivo ſanguinis ipſe ſui.
Gratia magna Deo: vetuit Deus ipſe manere
In ſibi ſacrato ſigna inimica ſolo:
Indignaſque neces, terriſque illata ſuorum
Juſſit ad auctores damna redire ſuos.
Emendare ſuam voluit, non perdere gentem,
Et pietate minor, ut ſolet, ira fuit.
Proxima virtuti debetur gratia veſtræ,
O animis ſimiles nominibuſque Duces,
O conſanguinei duo fulmina Ferdinandi,
Veſtrum eſt, poſt Numen, quod jacet hoſtis, opus.
Per vos parta ſalus: quiquid Mars pluribus annis
Peccavit, per vos reddidit una dies.
Annorum clades per vos lux una rependit,
Reddit & amiſſum quidquid ubique fuit.
Quæ priùs intulerat, quæ mox inferre parabat,
Turpiter hæc hoſtis cogitur ipſe pati.
Spes ubi nunc, Wimare tuæ, voteſque, minæque?
Illa ubi Cæſareæ certa ruina domus?
Si neſcis, domus hæc humanis altiùs ortum
Traxit, & è cælis, unde perennet, habet.
Invidiæ ſcopulus, ſed vertice ſidera tangens,
Quem rabidi fruſtrà verberet aura Noti.
Hæc domus, ut duris truncata bipennibus ilex,
A damnis animum ducit opeſque ſuis.
Hac daret everſa Germania altera leges?
Se populus domino ſubderet ille novo?
Imperij ſacras regeret peregrinus habenas?
Auſtriaca gereret ſceptra gerenda manu?

De-

Demens, illa tibi quando ſpondere tuiſque
 Auſus es, hos aleret cùm domus iſta duces,
Quorum hic auſpiciis fraternis, ille paternis,
 Invictuſque animis eſſet uterque ſuis.
Faverit, ut cęca eſt, tibi ſors hucuſque, virumque
 Mars dederit letho millia multa tuus:
Auſtriadas ſed non ipſos impunè laceſſas:
 Nil vetus hic miles, nil ferus enſis agat.
Auſtriadæ ſolo non certant milite: cauſam,
 Et Superos ſecum, fataque ſtirpis habent.
Et tamen his etiam pugnam temerarius offers,
 Primus ſigna moves, primus in arma ruis?
Audeat in ſævos ultrò ſic præda leones,
 Audeat in rabidos ire voranda lupos.
Arma, parum refert, quod non per luſtra tulere,
 Attrito canum nec caput ęre tegant.
Si neſcis, animis non annis bella geruntur.
 Virtus, non ętas ferre tropħęa ſolet.
Utque ſuos hoſtes numquam non vincere poſſint,
 Auſtriacis robur contigit ante diem.
Quod vobis uſus, prudentia contulit illis,
 Ingeniumque annis majus utrique ſuis:
Quod vobis fortuna, hoc illis fata Deuſque,
 Hoc ſtirpi virtus ingenerata dedit.

ELEGIA V.

AD PHILIPPUM IV.

De miſſo in Belgicam Ferdinando.

Vota valent igitur, nec inexorabilis umquam
 Eſt Deus, aut fruſtrà nos ſinit eſſe pios.
Quæ negat ipſe tibi nolis conceſſa: rogando
 Perſta, quàmque roges, uberiora feres.
Uberiora tulit nunc certè Belgica, habetque
 Cur non auditas gaudeat ante preces,

Non

Non quia nunc urbes, quas perdidit antè, recepit;
Alterius donum temporis illud erit:
Nec quia depoſitis, quod adhuc non expedit, armis
Dulcia ſecuræ tempora pacis eunt;
Tunc erit hoc, cũ ſe, quod jã reor eſse propinquum,
Subdiderit domino pars inimica ſuo:
Sed quia, quod multis meritò plus eſse triumphis
Ducit, habet fratrem, magne Philippe, tuum.
Dumque habet hunc, ipſum te, Rex, ſe pænè tenere
Credit, & ut credat, moribus ille facit.
Tam ſimilis virtute tibi eſt, quàm tu ipſe parenti:
Jmperio minor eſt, cętera fratris habet.
Ergo Deum ſibi jam faviſse fatetur abundè
Et te, poſt magnum, quem colit illa, Deum;
Et, quamvis animo nil non ſperabat ab illo,
Jam tamen optatis plura tuliſse ſuis.
Scilicet ingentem cùm plurima Regna per orbem
Jmperio & cura ſunt moderanda tua,
Te, quod jure poteſt, tellus ſibi ſervat Ibera:
Nos tibi, poſt illam, proxima cura ſumus.
Illa quidem ſervat, multos & ſervet in annos,
Quo nullum ſperet majus habere caput:
Sed quo non illi propius vel ſanguine poſſit,
Vel virtute dari, Belgica noſtra tenet.
Vos igitur nobis, quorum defenſa labore,
Emptaque ſæpè fuit ſanguine noſtra ſalus,
Vos precor, o magni nobis faveàtis Iberi,
Et Belgas vobis dicite pænè pares.
Namque ubi, qui cunctis ſatis eſſet gentibus unus,
Uni ſe genti plus ſatis eſse videt,
Jam bona nobiſcum diviſit veſtra Philippus:
Vos Regem, fratrem Belgica Regis habet.
Et tamen hic aliquis [veniam da patria, luctum
Si renovem, & prodam dedecus ipſe tuum]
Et tamen hic aliquis dominum non fidus in illum
Vixit? poſteritas ne precor adde fidem.
Quæ tamen hic fecit, ſi perſananda Philippus
Vulnera ger manum miſit ad illa ſuum,

Ira-

Iraſci fidum potuit, miſereſcere Princeps
Maluit, offenſæ nec meminiſſe ſuæ;
Qui fuit, invictas qui prodidit hoſtibus urbes,
Utiliter nobis perfidus ille fuit.
Ergo tibi, per quem nobis ſic eſſe beatis
Contigit (o Belgi ſpeſque ſaluſque tui!)
Numina tam faveãt (quid enim niſi vota queamus
Reddere?) quàm nobis ipſe Philippe faves;
Et,quã longa tibi petimus, dent tempora, princeps
Ut noſter poſſis eſſe, paterque diu.
Atque ubi, quos terræ debes, impleveris annos,
Teque tuos inter cernet Olympus avos;
Tum tuus, in laudes natus qui ſurgit avitas,
Indole cognoſci qui tuus eſſe poteſt,
Per tua, perque tui fratris te facta ſequatur,
Et ſedeat ſolio non minor ipſe tuo:
Sceptraque cùm totidem,quot tu, geſtaverit annis,
Per ſimiles dextras poſteritatis eant.
Cętera cùmque Deus conceſſerit omnia, fratres
Tam claros habeat, quàm pater antè ſuus.

ELEGIA VI.

GANDAVENSIS VRBIS, IN ADVENTU SERENISSIMI FERDINANDI GRATULATIO.

CHRONICON.

Ergo VenIſtI; MIhIqVe eXpeCtata tVerI
Ora DatVr?

ERgo veniſti, mihique expecta ta tueri
Promiſſi toties Principis ora datur?
Lexter ades Fernande, favet tibi terra poluſque,
Et Deus adventu dat bona ſigna tuo.

Ecce

Ecce nitet puro diffuſum lumine cælum,
Cumque tuo vultu convenit ipſa dies.
Tuque quod in terris, hoc præſtat in æthere Titan:
Tu tenebras animis diſcutis, ille polo.
Ecce tibi Patriæ ſurgunt ad ſidera moles,
Aſpicias laudes in quibus ipſe tuas.
In quibus armorum vides monumenta tuorum,
Atque animi pariter pignora certa mei.
Ecce tibi feſtis collucent compita flammis,
Lætitiæ ſignis non caret ulla domus.
Suntque mei cives, quod, cum duxere triumphum,
Credibile eſt turmas ante fuiſſe tuas.
Eſſe ſuum dicunt te poſt mala multa levamen,
Extendique orant jam ſua fata ſenes:
Et, tua quos ſpatiis tangit propioribus ætas,
Non ſibi, majores quæ ſubiere, timent.
Atque aliquis Tyrio cum te conſpexit in oſtro,
Phœbus ut in Cynthi dicitur ire jugis;
Qualis, ait, facies! quàm tanto Principe digna eſt!
Quam placidæ ſpeciem ſignaque mentis habet!
At bona mox alius quæ ſunt majora recenſet,
Quæ carpat nullus diminuatque dies:
Quòd tibi, cùm titulis tam ſis generoſus avitis,
Non tamen eſt virtus nobilitate minor:
Quòd decus ipſe tuis addas natalibus, & quòd
Par animus generi eſt, par animoque genus.
Nortlingæ pugnam tum narrat; iterque fuiſſe,
Quæ foret alterius gloria ſumma, tuum.
Excipiunt illum plauſu fremituque ſequentes,
Quiſque tuas laudes ſpes putat eſſe ſuas.
Ipſe tuus, tanto qui jam ſeſſore ſuperbit,
Plauſibus attonitus ſæpè reſiſtit equus.
Tu, precor, intereà totam circumſpice turbam;
Quaque venis, gaude vix reperire viam:
Et placeat quòd quiſque cupit tibi proximus ire,
Et ſtudium populi judiciumque nota.
Cumque ſat è vultu fuerit mens cognita, dicas:
Cui tam ſum carus, hic mihi carus erit.

Tum ſubeas arcem, quam nuſquam forſitan eſſe
Hoſpitis poſſit dignior ulla tuis.
Carolus hic primùm, quẽ nunc tenet, æthera vidit:
Hæc domus, hæc illi terra paterna fuit.
His cœpit reptare locis, tectoque ſub illo
Auguſtus tenero vagiit ore puer.
Tu quoque lætus in hos, Princeps, ſuccede penates,
Auctorem generis devenerare tui.
Quodque illi natale ſolum eſt, tu aere, veliſque
Me partem curæ, quod facis, eſſe tuæ.

ELEGIA VII.

Auſtriacam potentiam religione erga Venerabilem Eucbariſtiam, unde orta eſt, niti.

MOrtale eſt quodcumque vides. Rapit omnia tempus.
Ipſa, qua ſteterant, grandia mole ruunt.
Pyramides ubi nunc? etiam periere ruinæ.
Mauſolea ſibi facta ſepulchra jacent.
Templa ubi quæ quondam Romana potentia cœlo
Æquavit? Divis incubuere ſuis:
Utque domus, & buſta, & celſa palatia Regum,
Ipſa etiam fato regna premente cadunt.
Poſt Trojæ exitium ſtravit brevis hora Mycenas.
Romanæ famam jam pudet hiſtoriæ.
Quàm cito trans Gangem Macedo ſua victor & Indum,
Ultra quod nihil eſt, ad mare ſigna tulit?
Quàm cito Achæmeniis ſuperata Perſide Suſis
Jura dedit? Bactris impoſuitque jugum?
At citiùs tanti, quàm parta eſt, gloria regni
Occidit, & domini fata ſecuta ſui eſt.
Sic placitum Superis. Brevis eſt humana poteſtas,
Et Reges uno ſtantque caduntque die,
Ne metuas ſimilem, mundi decus, Auſtria, caſum;
Auſpicio terras tu meliore regis.

Quod

Quod dedit his fortuna, tulit. Tua ſceptra, Tonantis
Munera ſunt: Etiam cura Tonantis erunt.
Hunc tibi religio fructum pietaſque rependit,
Et quæ delicias continet ara tuas.
Ergò ſubjectum tibi dum circumſpicis orbem,
Quaque cadit Titan, quaque reſurgit aquis:
Dum titulos, palmaſque, & gentes mille ſubactas,
Et tua trans Gangem fixa trophæa vides:
Ne tibi ſuſpectum tanti ſit culmen honoris,
Nec faciant, lapſi qui periere, metum.
Nec, licet ingentem minitentur ſumma ruinam,
Sideribus dubites inſeruiſſe caput.
Ut terram excedas, ut te ſuper æthera virtus
Evehat, hoc fulcro gloria tuta tua eſt.
At neque, ne mundis impar ſis una duobus,
Curarumque gravi mole premare, time.
Grande quidem, & majus mortali robore pondus,
Quod tibi tot gentes impoſuere, geris:
At præſtò eſt, additque ſuo de corpore vires,
Supponitque oneri ſe Deus ipſe tuo.
Herculeis humeris dum cælum & ſidera feſſus
Fulſit Atlas, Divum regia tuta fuit.
Tu quid formides, quando, qui ſuſtinet orbem,
Te, molemque tui ſuſtinet imperij.
Inſurgant populi, certent armiſque doliſque,
Et fas, omne tibi quod nocet, eſſe putent:
Dum tua cum cauſa conjuncta eſt cauſa Tonantis,
Vinces: ille tuis hoſtibus hoſtis erit.

ELE-

ELEGIA VIII.

AD CLAUDIUM COMITEM DE COLLALTO ET S. SALVATORE.

Dum Ferdinando IV. Auguſtiſs Cæſaris Ferdinandi III. filio ſuas de jure Majeſtatis, &c. Theſes Lovanij dedicaret anno M. DC. XLV.

TAntùm igitur bellis ſe ſe Germanica tollat
  Nobilitas? quærat ſol per arma decus?
Ingenio vires præſtent, ſapienſque feroci
  Concedat? laudis ſit genus eſſe rudem?
Nec niſi ſanguineæ ſit pulchra ſcientia pugnæ,
  Nec placeat niſi quæ palma cruore madet?
Ah miſeri! quibus ad famam per buſta ſuorum,
  Per clades iter eſt, patria cara, tuas.
Sed tamen hoc potiùs, quam miſceat omnia victor,
  Inſultetque tuis hoſtis ovetque malis.
Viderit Auguſtas Aquilas Germania pelli,
  Atque inimica ſuo ſtare trophæa ſolo,
Imperij ſpoliis peregrina impunè fruantur
  Agmina, nec pubes omnis ad arma ruat?
Arma citi ferte arma, vocat Cæſarque cadenſque
  Patria. Pro patria dulce piumque mori.
Tuque adeò, ſi te genuit, Collalte, Vienna,
  Hoſtis quam circum jam ſua ſigna tulit,
Arma tui, atq; animum, atq; iras, atq; omnia Patris
  Affer, & Auſtriaci nominis ultor ades.
Quid loquor? an ſolis Domus Auſtria dimicat armis?
  His tantùm Cæſar nititur eſſe potens?
Hoc agat, hunc referat malè ſtrenuus alter honorē:
  Sic bellum, quo vel vincere turpe, gerat.
Auſtriacis proprius cauſa ſuperare triumphus,
  Primum, juſtitiam non violaſſe, decus:
Non hoc imminuunt clades. Sors cętera verſat,
  Nec ſemper cauſa pro meliore facit.

Sic

Sic & qui Domui putat huic ſervire decorum ,
Juſtitiam primùm falſque piumque colat .
Cura vel in bellis eſt illis maxima legum :
Sectetur dominos hac quoque parte ſuos .
Nec tam quid gladius poſſit roburque furorque ,
Quàm quid jura ſinant , quid caveantque , ſciat .
Quid benè pugnando vincas , quod jure tueri
Non poſſis ? ineunt ſic ſua bella feræ .
Contemnes meliùs , quod honeſtat cauſa , periclum ,
Juſtaque quæ noris , fortius arma geres .
Huc curas , Collalte , tuas , pulchroſque labores
Et tanta dignos nobilitate refers :
Huc ſpectant artes , animum quibus excolis , & te
Venturis titulis muneribuſque paras .
Sola fremant annis alii juvenilibus arma ,
Et diſcant quo ſint bella gerenda modo ;
Quid ſibi depoſcat Majeſtas Cæſaris , hoſtis
Quid violet , primus ſit tibi ſcire labor ,
Fortis erat genitor : tu laudibus adde paternis
Non ſola palmam poſſe referre manu .
Sic famæ captes primordia : bella deinde
Pro domino reſtent ſi peragenda tuo ,
Si te vel Cæſar , vel natus Cæſaris olim
Ad ſua depoſcat jura tuenda ducem ,
Tum bellatorem ſit cura referre parentem ,
Mantua , vel qualis , dum caperetur , erat ;
Vel qualis medios per cædes actus in hoſtes ,
Corpora fulmineo ſtrata premebat equo .
Eſt tibi non impar patrio , nec laudibus iſtis
Spiritus , eſt qui pro Cæſare ſanguis eat .
Nec timor eſt , ne non venias inſtructus ad arma ;
Sint licet à ſtudiis nunc aliena tuis .
Cognatæ tibi ſunt ab origine militis artes ;
Quodque aliis uſus , hoc tibi ſtemma dedit .
Quis , genus heroum , longo quos ordine cenſes
Collaltos , belli fulmina , neſcit avos ;
Seu Venetis (multa his Veneti felicia debent
Prælia) Cæſaribus ſeu placuere Duces ?

At

At modò pugnatum ſatis eſt, ſatis enſis & ira
Peccarunt. Quæ non ſanguine fluxit humus?
Pax redeat. Pacem viduatæ civibus urbes,
Et magna tenuis oppida parte cinis,
Cornibus & fractis Rhenus, totieſque cruentas
In mare Danubius volvere feſſus aquas,
Ipſe adeò pacem ſaturatus cladibus optat
Miles, & invita ſuſtinet arma manu:
Militibus, Reges, populoque favere precanti.
Publica ne careant pondere vota ſuo.
Eveniet. Quid tunc artes Collalte cruentas
Proderit, & ſævum noſcere Martis opus?
Quis tum poſcentis certamina militis uſus,
Pars etiam quem nunc optima damnat, erit?
At tibi, qui ſtudiis animum quoque mitibus ornas,
Nec facere ad laudem ſola ſat arma putas;
Et vigilatorum pretium tum grande laborum,
Et benè de populis quod merearis, erit,
Dum quibus in terris per bella ferociit, & jam,
Quod priùs injuſtè plebs tulit, ipſa facit,
Tu veteres iterum mores, legeſque reduces,
Et quæ curaſti diſcere, jura dabis.
Urbibus atque iterùm cives, & civibus urbes
Reſtitues, quæ nunc procubuere ſolo.
Sic tibi, quam miles non ſperet, gloria ſurget,
Et melior, quàm qui ſanguine conſtat, honor:
Utque voluptatis populo ſancita per orbem
Fœdera; materies ſic tibi laudis erunt.
Macte animis: hoc ipſe vovet tibi Cæſar, & olim
(Si tua, ſi quidquam publica vota valent)
Auguſtæ cui fata domus, virtuſque paternos
Cum meritis titulos, imperiumque parant.

ELE-

ELEGIA IX.

AD

LEOPOLDUM GUILIELMUM ARCHIDUCEM AUSTRIÆ, &c.

Dux templi, quod Deiparæ immaculatè conceptæ Societas Jeſu Lovanii extruit, per Comitem Iſenburgicum primum lapidem poneret.

Una manu faciebat opus, & altera tenebat gladium. 2. Eſdræ 4.

QUiſquis adeſt, faveat. Nova conditur omine fauſto
Cælicolum Dominæ, Cælicoliſque domus.
Ferte viri lapidem, ſubeat qui ritè paratam
A magno poſitus Principe primus humum.
O lapis, auſpiciis alios præiture ſecundis,
Excipiat facili te bona terra ſinu!
A te ſurgit opus, cui religionis amantes
Injectas toties indoluere moras.
Unde novum Grudia pietas expectet in urbe
Momentum rebus præſidiumque ſuis.
Fortunate lapis, quamvis nec luce frueris,
Nec medio illuſtris conſpiciere tholo:
Hanc tamen invideant tibi cætera marmora ſortem,
Exoptentque tuo delituiſſe loco.
Ipſi de cælo, Divi, dum poneris, adſunt,
Æthereæ Michael gloria militiæ,
Et multo Quintinus adhuc à vulnere pulcher,
Cujus laurus obit ſanguine ſparſa caput,
Et ſibi devoti cui maxima cura Lovani
Petrus, & hac templum quiſquis in urbe tenet.

Gaudent, & talis niſi, te qui poneret, eſſet,
Certaret manibus ponere quiſque ſuis.
Tu tamen ante alios, Grudiis cultiſſima ſemper,
Dignaque majori ſemper honore coli,
Adſis o! ſtudiique tuo cum nomine noſtri
Huic lapidi inſcriptas aſpice, Virgo, notas.
Quodque tuo junctum nomen legis, id quoque reddi
Clarum promeritis perpetuumque velis.
Vivat, cumque tua Leopoldi gloria creſcat,
Seu pax ſit, ſeu, quod non cupit, arma gerat,
Auſtriacos decoret faſtos utraſque per artes,
Nec præſtet titulis inferiora ſuis.
An pietate prior fuerit, quæratur, an armis:
Sed pietas palmam religioque ferat.
Utque places illi, placeat ſic omnibus ille,
Et ſit, ut eſt noſter, poſteritatis amor.
Quique ſuo metas in te non ponit amori,
Auxilii finem neſciat ille tui.
Quantò tu major, tantò majora repende;
Cùm tibi præſtiterit plurima, plura ferat.
Viribus ille hoſtem; tu vince favoribus illum,
Materiam ſtudiis ſuppediteſque novis.
Quæ tibi fundandis promptè deſerviit aris,
Sit felix, hoſti nec toleranda manus.
Hoc primùm. Tum conatus bona provehe noſtros
Et pia præſenti numine cœpta fove.
Sunt tibi ſintque, precor, terris delubra Brabantis
Plurima, vix alia quot regione vides.
Si tamen hoc primum eſt, Grudia quod in urbe dicandum
Sit tibi, non nihil hoc, Virgo, valere velis.
Sufficias animos; ne deſint cætera cures;
Quodque tibi ſurgit, fac, citò ſurgat, opus.

ELE-

ELEGIA X.

AD DIVUM LEOPOLDUM AUSTRIACUM.

Dum annuum ejus feſtum Leopoldus Guilielmus Archidux Auſtriæ Bruxellis celebraret anno M.DC.IIL XVII. *Kal. Decemb.*

FEſta dies rediit. Belgę tibi ſacra paramus:
  Dexter ades ſacris, o Leopolde, tuis.
Auſtria centenis tua nunc tibi ſupplicat aris:
  Hunc ſibi ſeu proprium vindicat illa diem.
Tota tibi eſt hodie: laudes tibi, votaque ſolvit,
  Suſpenditque tuis munera multa tholis:
Auſtria, pace tua, noſtra hujus pars bona feſti eſt,
  Atque aliquid, tibi quo Belgica certet, habet.
Quem prece ſollicitas, eſt & cur invocet illa,
  Quem colis; & eſt cur non minùs illa colat.
Olim tu fueras Leopoldo Principe felix;
  Hęredem tanti nominis illa tenet.
Qui quod habet nomen, virtutibus ornat iiſdem,
  Per quas deliciæ tunc erat illæ tuæ.
Tu fueras illius amor, tu maxima cura:
  Et nos hujus amor, primaque cura ſumus.
Ille tibi recti datus eſt moderator & æqui:
  Et nobis hic eſt, quod fuit ille tibi.
Pro te ſuſceptos ſua credidit ille labores
  Commoda; pro nobis hunc vigilare juvat.
Ut tibi prodeſſet, nil non tulit ille, ſuaſque,
  Queis tu gaudebas, eſſe putabat opes;
Huic quoque jucundum eſt, quodcumque eſt utile nobis,
  Hic quoque præponit commoda noſtra ſuis.

Tu ſtatuas Divi, & Divum venceraris in illis,
Artificis finxit quas tibi docta manus:
Verior illius nobis obvenit imago:
Vivit apud Belgas, tu quod in ęre vides.
Et tibi quam credis nunc illuxiſſe beatam,
Non felix nobis fulſerit illa dies?
Tu cui ſolemnes ſolvis, non ſolvat honores
Belgica? cui tua fers, non ſua vota ferat?
Dentur thura focis: peragat pia ſacra ſacerdos.
Quiſquis ades, pura concipe mente preces.
Et pete, donati cælo quam ſervat, amatque
Principis effigiem, ſervet, ametque diu.
Gaudeat & longùm, quo gaudet, præſide rerum,
Et per quem ſperat plurima, plura ferat.
Felicem videat felix, fauſtumque redire
Sentiat hunc illi ſæpè, ſibique diem.
Fallor? an adjungit noſtris ſua vota? ſuique
Quod poſcunt ipſi, poſcit & ipſe ſuis.
Exaudi, ſi digna petit, tantique clientis
Eſſe veta vanas, o Leopolde, preces.
Ipſi commiſſis oriantur tempora Belgis,
Per te quæ populis acta fuere tuis.
Aurea te dicunt illis regnante fuiſſe
Sæcula. Felices, qui meruere frui!
Ardebat ſævis, ut nunc, Germania bellis:
Sanguineis ibant Rhenus & Albis aquis.
Auſtria tuta fuit. Proſtraverat omnia Mavors:
Auſpiciis ſtabat Principis illa ſui.
Pax erat. O utinam per te nos illa reviſat,
Solamen longis una futura malis!
Utque tibi eſt ſimilis, qui Belgi flectit habenas,
Sic ſimili ſimus conditione tuis.
Si licet, & tandem Superum placavimus iras,
Pax veniat: nullo reſtet ab hoſte timor.
Alter ſeceſſit, ſecedat & alter ab armis,
Triſtia quæ nobis, nec ſibi læta gerit.
Inter ſe Eumenides pugnent, & Erinnyes atræ:
Fœdera nos jungant, & ſocialis amor.

Ille

Ille quidem nobis dux eſt, quo ſoſpite nullis
Cedet, quantumvis Belgica preſſa malis.
Huic animi, vireſque, huic ſunt, quibus arma repellat,
Arma: ſed invita ſuſtinet illa manu.
Pacis amat, quamvis belli ſit factus ad artes:
Hinc mavult famam nominis ire ſui.
Altera non tanti, quæcumque eſt, eſſe videtur,
Ut benè tot damnis gloria poſſit emi.
Auguſtus ſanguis, Divum genus, Optime Princeps,
A cujus pendet noſtra ſalute ſalus,
Sic tibi contingant, quanti debentur, honores:
Sic in longa tuum ſæcula nomen eat:
Auſtriacos tua ſic illuſtret gloria faſtos,
Ut tibi, qua debet, quæratur illa via.
Ah miſeri, quibus arma placet ſic ferre, triumphis
Ut poſſint ipſis illacrymare ſui!
Qui cives, hoſtem poſſint ut perdere, perdunt,
Et lucrum per non damna minora petunt.
Conſule tu meliùs nobis, nullumque tuorum
Pulchrius eſſe tibi crede ſalute decus.
Hinc tibi, ſeu cogant hoſtes contendere bello,
Hinc tibi, ſeu pacta pace, triumphus eat.
Sic illi, cujus tu reddis amabile nomen,
Et per te Belgæ gens cui cara ſumus,
Sic tua te jungat virtus, ſed ſerò, Parenti,
Et Superos adeas, qua præiere, via.

Ad majorem Dei gloriam.

JACOBI
WALLIJ
E SOCIETATE JESU
POEMATUM
LIBRI NOVEM
Editio nova, cui accedit poſthuma ad Elegias appendix.

ALEXANDRO VII.

PONTIFICI MAXIMO

JACOBUS WALLIUS.

LABITUR *quidem adhuc, Santiſſime Pater, Pontificatus tui annus primus: ſed cujus dies ſingulos ſingulas vitas reputare quilibet poſſit. Ita multa, ac præclara, ſunt quibus nominis tui ſanctitatem quotidie tueris, ac ſuſtines, ut ſi quis illa temporibus ſejungere, ac diſpertiri per ætatem integram velit, habiturus ſit, unde illum Pontificii virtutibus impleat, & illuſtret. Neque ſic tantùm Roma imperii tui ſedes, & rerum à te geſtarum ſpectatrix ſentit, & loquitur: ſed hæc eſt omnium nationum, quas ab oraculis & nutibus tuis pendentes è Quirinali monte circumſpicis, conſentiens & pervulgata vox. Non enim odores, aut ſoni, qui, quo longiùs feruntur, eò languidiùs ſenſus afficiunt: ita ſecundiſſima de Pontificatu tuo fama ad remotiores populos extenuata pervenit. Sed ut ſolis lumine illi quidem primùm apud quos oritur; dein alii atque alii, toto etiam cælo diſtantes, illuſtrantur, omnes ex æquo: ita virtutum tuarum pari omnes luce perfun-*

dimur, & recreamur. Quid, quod ut orientem ſolem priùs è radiis, quibus oppoſita longeque ſubmota montium juga feriebantur, obſervaſſe, regiæ felicitatis olim auſpicium fuit: ita nunc lætitię noſtrę pars magna eſt relucentem ſanctitatis tuæ ſplendorē prius conſpexiſſe, quàm ex hoc rerum culmine ſeſe pleniùs jucundiuſque diffunderet. Vidimus quippe, vidimus Septemtrionem noſtrum ſapientiæ, pietatis, eruditioniſque tuæ luce colluſtrari, ex eoque communi præſagitione conjecimus id futurum, quod nunc publico terrarum bono eveniſſe gratulamur. Quocirca cùm de ſuprema Deoque proxima dignitate conſenſu antehac inaudita tibi delata nuntius venit, non quid tibi debitum, ſed quid perſolutum eſſet, intelleximus. Hæret adhuc infixus omnium animis vultus ille tuus, dignitatis & modeſtiæ plenus: recurrunt veteres tuæ ad religionis propagationem temporumque tranquillitatem intentæ curæ: abſolutiſſima vitæ exempla, quæ de te ſumpſit, perire apud ſe aut evaneſcere numquam ſinet Germania. Habet ſua verba ſincerus animus, ſimulatus ſua: aliud obſervantiæ, aliud aſſentationis ingenium eſt. At teſtis ipſe es, quàm integræ minimeque fucatæ eminerent ex omnium ore, eorum etiam qui a Romanis ſacris alieni erant, amoris in te, venerationiſque ſignificationes. Quò minùs ſperanda mihi eſt ab iis venia, in quorum manus hi libelli incident. Neque enim falli ſe ſe ferent, cùm eoſdem tibi videbunt inſcriptos, in quibus nihil ferè deprehendent, quod cum animarum ſuorum ſenſu, & ſanctiſſimi nominis tui inſcriptione conveniat. Quis eorum, ſi modo hujus opuſculi veſtibulum viderit, non continuo de materia judicabit, quam tu illi copioſiſſimam præbuiſti? Id ego veriſſimè dici fateor: at omnium judiciis ſententiiſque convictus, quem præter te appellem, habeo neminem. A rerum tuarum & meritorum magnitudine ad modeſtiam tuam provoco, quæ Romam, quæ Italiam, quæ orbem Chriſtianum ad ſe convertit,

& ra-

& rapuit. Incredibilis omnium erat ad honores tibi deferendos voluntatum ſtudiorumque conſenſio: geſtiebant omnes erumpenti latiſſimeque redundanti lætitiæ paria præſtare: columnæ, imagines, ſtatuæ nullæ ſatis magnificæ & elaboratæ videbantur, quæ in arcus triumphales aſſurgerent; ut eaſdem inſcriptionibus te dignis exornarent, contendebant ingenia: ſeptem ipſi colles, ita vivam, gentilitiis tuis montibus altiùs attollendi, ſeſe ſubmittere velle videbantur: cùm his omnibus modeſtiæ tuæ nutus unus occurrit, & obſtitit, & in egenorum animis omnes triumphos, omnia ornamenta honoris, & laudis inſignia condi & collocari voluit. Hæc faciet, ut Pontificatus tui gloria alatur memoria omnium, ſermonibus creſcat, literarum monumentis corroboretur. Hac igitur, non ſolùm Ferdinando Furſtenbergio Cubiculario tuo, me deducente, illud mihi ſumpſi, ut auderem, quidquid hoc libelli eſt, ad ſacros pedes tuos venerabundus deponere. Non quòd eſſem neſcius, quid offerrem, ſed quòd exemplis, & ſapientium vocibus inſtitutus mihi perſuaderem nihil deliberari de cujuſquam gloria, ſi rem exilem benigno vultu animoque dignetur. Auxit potiùs, quàm imminuit regum laudem benevolentia, qua aut aquam è propinquo fluvio exceptam, aut avulſum è terrâ legumen admiſerunt. Nam * cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hic uno modo creſcere poteſt, ſi ſe ipſe ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuę. Neque enim ab ullo periculo fortuna Principum longius abeſt, quam ab humilitate. *In ſupremo te faſtigio conſiſtentem adorant ipſi, quibus præter te unum nihil eſt ſublimius, Reges: illi pedibus tuis figunt oſcula: illi te communem patrem, diſcordiarum moderatorem, bellì pacíſque arbitrum à Deo ſibi datum vocant: illi poteſtatem tuam dicam, an ſanctimo-*

O 6 *niam?*

* *Plinius in Paneg.*

niam? certè utramque reveriti coronas ſuas & regna conſignatis à ſe literis tibi tradunt, & conſecrant. Reginæ ab ultimo Septemtrione ſapientiæ tuæ fama excitæ te audire, tibi parere pulchrius ducunt, quàm imperare. Nec me cum his libellis ad te accedere cogitantem majeſtatis tantæ ſplendor aditione prohibuit? Prohibuiſſet ſanè, niſi, quanta illa ſit, ex ejuſdem remiſſione, quà rem tenuem, ut confido, excipies, clarius perſpici videretur.

S. D. N.

SIDRONII HOSSCHIJ
E SOCIETATE JESU
ELEGIA
AD
JACOBVM VVALLIVM
EX EADEM SOCIETATE.

Ut poemata ſua in lucem edat.

FLos & amor vatum, quo Cynthius ipſe canente,
Et veniunt faciles ex Helicone Deæ,
Quando erit, ut magnis addat te fama poetis,
A tota dignum poſteritate legi?
Serta quidem, lauroſque tibi properamus amici:
Munera privati ſunt tamen iſta laris.
Immenſum tua Muſa, nec arctius orbe theatrum
Exigit; hoc ſpatium laudis habere potes.
Quis tibi non canit hæc, miſcet plauſibus iras?
Illa tibi iraſci me quoque cauſa jubet.
Quod potes, hoc igitur tantùm te poſſe ſciemus?
Solaque ſpes de te votaque ſemper erunt?
Utilis interea, meliorque elabitur ætas.
Ceſſatum ſatis eſt: quo vocat ira, ſequar.
Nec mihi vindictæ eſt, quam non vereare, facultas.
Muſarum cauſa eſt: & Deus ora movet.
Nec tibi, ſi cauſa victus vicaris & armis,
Turpe puta culpæ pœnituiſſe tuæ.
Invidiam, & lauros, & nomen, & omnia vatum
Præmia Pierides jam meruere tuæ.
Sive gravi nixus canis arma viroſque cothurno;
Armis digna virum verba cothurnus habet.

Seu

Seu Latiam tentas Venuſina barbiton arte,
Proveniunt latia carmina digna lyra.
Seu cantes elegos: Quo dicat Apolline Naſo
Implevit numeros iſte poeta meos?
Seu Deus increpuit thyrſo graviore furentem,
Nil vulgare ſonas: omnia pondus habent.
Sermo fluit purus, priſcoque ſimillimus auro,
Et quem Roma vetus non neget eſſe ſuum.
Pars operis quæcumque tui, quæcumque legetur
Pagina, me verum dicere teſtis erit.
Curarum intereà pretium tibi vile tuarum eſt,
Si te nil aliud, quàm labor ipſe juvat.
Admonui quoties: Debes tua carmina famæ:
Fama tuum expectat non patienter opus.
Sic ego: ſed mihi, tu Muſiſque monentibus aures
Obſtruis, & paucos poſcere carmen ais.
Quid culpam extenuas? non excuſabilis illa eſt.
Quæ labor eſt meritus præmia ferre, ferat.
Quis, niſi mentis inops, ipſis jam dives ab Indis
Dum redit, advectas in mare mittat opes.
Numquid Erythræo quas legit litore conchas,
Rurſus Erythræo litore condit Arabs?
Quid tibi, quid Superis obſtas, tantumque recuſas
Quantum optare ſoles, nec tua vota capis?
Ergò terra tuum cum corpore nomen habebit?
Et qui te tumulus, tam bona ſcripta teget?
Sit tibi meus melior, nec poſtera neſciat ætas,
Nec tua, te priſcis vatibus eſſe parem.
Marmora Lyſippus, vivoſque imitantia vultus
Non tulit in cæco ſigna latere ſpecu
Neo Venerem Cous poſtquàm pinxiſſet Apelles
Paſſus in obſcuro delituiſſe loco eſt.
Tu tua ſcripta premes? potioraque marmore & ære
Ingenii perdes tot monumenta tui?
Si furor antiquis placuiſſet vatibus idem,
Quid Maro, quid Flaccus, quid modò Naſo foret?
Hæc eadem magno ſi mens veniſſet, Homero,
Quis vatum Aoniis ora rigaſſet aquis?

Finibus

AD AUCTOREM.

Finibus exiguis virtus, & inertia diſtant,
Obruta ſi virtus ſemper, ut illa, latet.
Si Calamis noſti tantùm tenebriſque laboret,
Exactos Calamis quid mihi jactet equos?
Illa Syracoſiis toties laudata Myronis
Bucula, quæ domino, quæ ſibi fama fuit,
Plus propè, quàm domino, luci debere fatetur:
Hæc vitam, hæc famam contulit; ille manum.
Ille dedit ſaxo vitam, lucemque mereri;
Quod vivat, quod adhuc nota ſit illa dedit.
At tibi, ſi lateas, quid proderit eſſe poetam?
Si renuis laurum, quid meruiſſe juvat?
Quid dubitas, nimiumque times tua credere famæ
Carmina: nil illis cura quod addat habet.
Aude, quid trepidas? en cum lauroque tubaque
Fama tuas pridem conſtitit ante fores.
Hoc aude verſare tuos in pulvere currus:
Ne dubita, vinces: palma parata tibi eſt.
Sæpè aliquis lauroſque comis, ederaſque precatur,
Imploratque omnes, ſollicitatque Deas.
Nec veniunt ederæ, nec circum tempora lauri,
Nec miſero Phœbus, Pieridesque favent.
At tibi quos vivo promittit Fama triumphos,
Paucis poſt cineres vatibus æqua dedit.
Ipſa tibi defert Pindi de vertice laurum,
Sertaque temporibus Calliopeja tuis.
Ecce tibi aſſurgit Phebi chorus omnis, & orat
Ut te reſpicias, & quod es, eſſe velis.
Sarmaticas horrens Naſonis ſpiritus umbras
Dum, fugit, & noſtram luſtrat & ambit humum,
Repperit heredem, dominoque ævoque ſuperſtes
Incidat ingenio, magne poeta, tuo.
Hunc tu, quem nec hiems Scythiæ, nec Cæſaris ira
Perdidit, hunc in te non ſupereſſe ſines.
Hoc tu ſi facies, tum te de marmore dicam
Exciſum è Scythicis pectus habere jugis.
Hoc tu ſi facies, fiam de ſupplice vindex.
Cornua jam ſumpſi: dum licet, illa cave.

Indice

AD AUCTOREM ELEGIA.

Indice me (neque enim nomen culpamque tacebo,
Nec mea cum paucis juncta querela venit)
Indice me, donec vates, ederæque vigebunt,
Diceris populi publicus ore reus.
Cedis? an obduras? nec te mea vota, nec iræ,
Nec te Parnaſſi numina magna movent?
Jam feror in pugnam: neque me reverentia vertet,
Aut pudor, aut tanti cauſa furoris, amor.
Nec vani aſſultus, nec erunt ſine viribus iræ:
Pierides nobis, & dolor arma dabunt.
Trans ego Pyrenen, trans altas audiar Alpes,
Vena mihi felix ſit modò, parque tuæ.
Solis ab occaſu mea vox pertinget ad ortum,
Nec te poſteritas neſciet eſſe reum.
Sed puto, flecteris: ſi falles, pagina teſtis
Hæc maneat culpæ tempus in omne tuæ.

A D

A D
LECTOREM.

NUMQUAM mihi conſilium fuit, Amice Lector, libellos poematum ſcribere, nedum publica de iis judicia experiri. Verùm cùm Muſas ſive naturæ quadam inductione, ſive earum elegantia atque ſuavitate captus ſic amarem, ut illæ me viciſſim non omnino negligerent, & cùm ita res ferret, tentanti dictarent aliquid, quod legi poſſet, factum eſt, ut me priùs inter Poetas cenſeri poſse animadverterem, quàm ipſe me Poetam eſse crederem. Nimirum ut illi interdum, qui utiles herbas in montibus legunt, legendi ſtudio in eorum faſtigio conſiſtere ſe priùs vident, quàm eodem eniti conſtituerant: ità dum hæc ſtudia me oblectant, & nunc mea ſponte, nunc amicorum rogatu elaboro aliquid, eò me paullatim dies, & nonnulla ſedulitas inſcientem deduxerunt, quò vix me pervenire poſse ſperaveram. Quæ igitur diverſis temporibus vario argumento à me ſcripta fuerant, cùm ejus artis periti legerent probarentque, eadem ut in publicum prodire permitterem, impetrarunt convitio pænè quotidiano, ſed amoris & commendationis pleno, quale in ſuperiore Elegia expreſsum vides. Veritati quidem aliquid, plus amicitiæ ab iis tribui facilè ſuſpicabar, tamen utrique locum dedi. Et, amabo, quæ pulchritudinem umquàm ſuam audivit commendari, nec credidit? Forma, ut peſſima ſit, nulli ſua non placet. Nam quid hic multa excuſem, qui, ſi excuſandum à ſcriptore quidpiam ſit, ſemper exiſtimàvi id una litura potiùs quàm verbis confici oportere: in poeſi præcipue, in qua ſi optimo ſcribendi &

judi-

judicandi magiſtro ſtandum eſt, mediocribus eſſe non licet. Neque tamen mihi non aliquid ſubinde in mentem venit, quod hujus qualiſcumque libelli editionem inhiberet, hoc prçſertim ſæculo & erudito, & culto, & quo vix totidem rudes reperias, quot olim ſapientes repertos fuiſſe accepimus. Sed cùm eruditionem ferè omnem ad utilitatem & quçſtum plerique conferant, granum etiam, unde victitent, ſi fas eſt credere, præ gemma habituri, inutilia hæc, ut ipſi quidem loquuntur, & inania Muſarum oblectamenta haud magni putant, quia cœna duci ſine illis poteſt. Quò fit, ut ſi quem poeſis delectet, neceſſe propemodùm ſit, ut benè vivat, & lateat; quorum alterum conſcientiæ, alterum arti excolendæ tribuat, ampla graviorum ſtudiorum prçmia aliis relicturus. Ad hçc, dum quidam ingenio ſuo, bono quidem, ſed præfidenti tamen,& quod miſera arte fortunacius ſibi eſſe credunt, pluſculum favent, illicò ſi in libellum novum inciderint, faſtidio neſcio quo evicti pulchrum putant non pauca carpere. Cur, inquiunt, hoc omiſit? cur illud pleniùs non tractavit? in iſto quid neceſſe erat ita multis immorari? illud, & illud quàm amplam & rei convenientem materiam dabat? Sic nonnumquam tecto ædificiis impoſito notantur & perſtringuntur multa: hoc anguſtum, illud amplum nimis: hoc non aſsurgit ſatis: iniquo ſoli iſtud obverſum: aliud non quo debebat loco ſitum; & ſexcenta ejuſmodi. Hæc judicia ut vitare quiſpiam velit, vix eſt ut poſſit. Neque dubitant ingenioſi illi, quin haud paullò meliora, qualia ſibi ſemper comminiſcuntur, ſcripturi ſint, dummodò aut otii tantillum à ſe impetrent, aut patientiæ, ut cum Muſis in gratiam redeant, & ad pluteum paullìſper meditabundi conſideant. Quos ego quidem tam magnificè & ſentire de ſe, & loqui facilè patior, hoc minùs æquè, quod, cùm non etiam nihil poſſint, & tamen de Hippocrene, utì

canes

canes de Nilo, biberent ſugerintque, ad judicii ſui laudem, & reconditioris doctrinæ exiſtimationem intereſſe putent, palàm efferre, quàm nihil aut parùm ſit, quodcumque diuturnus aliorum labor extruſerit. Sed, ſi dicenda res eſt, eorum quiſque

1. *ſudet multùm, fruſtraque laboret*
Auſus idem.

Quantò illi rectiùs, qui, cùm diſciplinæ alicujus arcana penitùs ſe introſpicere exiſtimant, ex eo potiùs laudem ſibi conficiunt, quod, quæ in aliis bona ſunt, expendere ſuis momentis, & commendare explicando poſſint? Domum à perito architecto conſtructam ingreſſus, quis non ex Vitruvianis regulis, ſi modò eas ipſe calleat, & obſervatas videat, laudet potiùs, quàm, ut nihil eſt ab omni parte perfectum, arguat neſcio quid, dumque in eo totus eſt, tot alia concinnè eleganterque diſpoſita velut inobſervata prætereat? Sed querelis ne tum quidem, cùm neceſſariæ ſunt, eſt locus: ab hac certè præfatione alienæ prorſus videantur, in qua bonis & comibus verbis Lectorem ad hos libellos percurrendos invitare convenientius ſit. Quare cùm nihil æquè animum conciliet, quàm reverenter alterum habere, volui, Erudite Lector (ſi minùs id præſtiti, convenit te mihi ignoſcere,) volui ſanè eum tibi honorem tribuere, quem hoſpes hoſpiti, cujus gratia, ſi fortè cum eo convivere lubeat, nihil, quod ad epulas, aut addita epulis oblectamenta pertinet, ſumptui parcit. Nequid igitur tibi aut inſipidum aut ingratum offerrem, impenſam, quam quidem opes meæ ferre potuerunt, lubens volenſque ſuſtinui. Nam cur indignum putem cum Oratorum Principe fateri, me, quò minùs ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparaſſe? Detinuit me ſæpiùs epiſtolæ ad Atticum inſignis omnino locus, in quo magnus

1. *Horat. de Arte Poet.*

gnus ille dicendi ſcribendique artifex prodidit; quantum ſtudii, curæ, judiciique conferret ad delectum proprietatemque verborum, ſuaviſſimam ad capiendos legentium animos illecebram. Scripſerat librum neſcio quem (nam & ille injuria temporum intercedit) &, ut cum Attico illi erant omnia communia, communem cum eo fecerat. Legit enimverò librum Atticus diligenter: nec dubitavit vir prudentiſſimus eloquentiæ patrem per literas de voce una commonere. Dixerat ille, 2. *ſuſtinere remos: inhibere*, arridebat Attico magis. Et ille quidem amici primùm judicio ſuum ſubmittere: verbum poſteà excutere: excuſſo ſententiæ ſuę priori adhæreſcere. Satiſne hoc homini diligenti fuit? etiam Attico præcipere, Varroni ſimiliter, verbum, ſi fortè ſubmoviſſent, loco ſuo reſtituerent. Quid prætereà? laudare Lucilium & Carneadem ſic locutos: cauſam etiam, cur ita ſentiret, reddere: ad extremum non diffiteri, hoc à ſe diligentiùs curatum eſſe, quàm quod ad publicas privataſque res pertineret. Tantane vocis unius mutandę retinendęve cura virum maximum inceſſerit! Atqui ſcribendi & loquendi leges auctoritate ſua figere ac refigere poſſe videbatur. In foro, in curia, in judiciis dominabatur, ac triumphabat: nec jam Oratoris, ſed Eloquentię nomen ſibi comparaverat. Et tamen non ſe nugas agere credidit, cùm de verbo uno laboravit. Riſerit aliquis, ſi parùm propriè dictum eſſe contendero, *valetudini fideliter inſervire*: at riſum ipſe merebitur, ſi quam Tiro 3. Ciceronis libertus reveritus fuit, cenſuram defugerit. Quid hìc ego nunc de Poetarum noſtrorum cura loquar, quando optimi magiſtri præcepto jubemur carmen hoc ipſo reprehendere, quod perfectum cùm fuerit, decies prętereà ad unguem uſque caſtigatum non ſit? Alia

profe-

2 *Lib* 13. *Epiſt.* 21.
3 *Lib.* 16 *Epiſt.* 17.

profectò in judicium ſubſelliis, alia in Muſarum ſacrariis exercentur judicia. Illic capitales homines & peſtiferos decem pœna eximi potiùs videas, quàm multari probum unum: hic, ne verſiculus unus incultior ſervetur, obliterantur elegantes decem: quaſi his ad noxam ſatis ſit ſententia cum illo cohærere. Quam judicii & emendationis ſeveritatem cùm quotidie magis magiſque animadverteremus in paucis illis ac præcipuis, quorum tantùm exempla intuiti ſumus, crevit in nobis illorum veneratio, & cum ea ſtudium, & animus, & ſpes ſcribendi aliquid, quod qui legeret, ab iis non abiret. Porrò ut pictores interdum imagines ſuas, ſic nos libellos noſtros ſingulis ſingulos inſcripſimus. Quod etſi veteri recentique more à me factum eſt, vereor tamen ne non rerum mearum exiguitas cum eorum quos ad id delegimus amplitudine convenire videamur. Cùm eſſet, ut Cicero refert, 4 apud ſe ad Lavernium Scipio, ac fortè allatus illi eſſet acipenſer piſcis in primis nobilis, unum & alterum ex iis qui eum ſalutatum venerant, invitavit, pluresque etiam invitaturus videbatur, cùm in aurem Pontius: *Scipio, vide quid agas: acipenſer iſte paucorum hominum eſt.* Poterat & mihi Pontianum illud quiſpiam inſuſurrare, qui vidiſſet ad rem omnino modicam tot ac tantos à me evocari. Neque ego in illius ſententiam non lubens volenſque conveniſſem, niſi credidiſſem fore, ut articum noſtrarum cultores fautoreſque rem etiam parvam pro ſua humanitate non parvo æſtimarent. Hortorum cultores exiguas in illis areas deſcribunt, & hic floribus, illic peregrinis plantis, alibi arboribus conſitas ſuis ſpatiis ac ſeptis ad elegantiam aliquam includunt: cur ab his exemplum mihi non liceret capere? Ego verò cepi, & libellos meos paucos & exiles non inconcinna partitione diſtinxi: & ſi mihi quidem tam ambitioſo
eſſe

4. *In fragment. lib. de Fato.*

eſſe fas ſit, ut cum Cyro Perſarum Rege me componam, ut ille Lyſandrum, Lacedæmonium, virum ſummæ virtutis, ita ego non unum auctoritate & eruditione præſtantem in hortulos meos deduxi. Ingredere & tu, Amice Lector, ſi curæ tuæ ſinunt; & otii tui ſeceſſum hic aliquem cape. Siquid fuerit, quod in iis te teneat, ſi ejus te delectet ſollertia à quo ſcilicet omnia dimenſa atque deſcripta ſint, erit quod te amem in iſto tuo judicio, & cum eodem Rege, pari ſenſu, non abſimili vultus hilaritate tibi dicam: Atqui ego iſta ſum dimenſus: mei ſunt ordines, mea deſcriptio: nihil iſtarum, quas hic vides, rerum non meo elaboratum ingenio, non mea digeſtum induſtria.

JACO-

JACOBI WALLIJ HEROICORUM

LIBER PRIMUS.

PHILIPPO IV. HISPANIARUM

Indiarumque Regi Catholico.

Cùm à Fontarabiana victoria venerabilem Euchariſtiam Madridij è templo S. Joannis ad ſacellum Regium ſolemni pompa deduceret anno 1639. 10. Martij.

NOminis Auſtriaci columen, geminique Philippe,
Orbis amor, Divumque genus, cui pectore cura
Prima ſedet clauſo Europam componere Jano,
Et Gangem ſuper, ac domiti latera ultima mundi,
Oceanique vias Romana extendere ſacra,
Perge Deum pompa inſigni & ſolemnibus aris
Excipere, auguſtoſque adytis ſubmittere faſces.
Hæc pietas, famæ meritò pars maxima veſtræ,
Auſtriacas ſuſtentat opes. Hinc vivida bello
Dextra viris, audenſque animus, certuſque paciſci
Sanguine ſperatas dubia inter prælia lauros.
Non ego fatidicæ revocabo oracula vatis,
Rudolphoque datos monitus: non horrida bella,
Disjectaſque acies, raptoſque in vincula reges
Hìc repetam. Tu priſca tuo Fonrabia vati-

Teſtis

Teſtis eris (pompæ cauſas namque ipſa dediſti;
Quam canimus) non arma aliis tractare Philippum
Auſpiciis, neque malle aliis ſolemnia dona
Ferre tholis. Sit fas ritus, & ſacra, diemque,
Et ſtudia, & plauſus procerum memorare canendo,
Hos mihi quando animos Muſiſque & Apolline major.
Inſpirat victor. JAM ruperat otia miles,
Jam facies Terrorum omnes, Iraſque, Minaſque
Intulerat campis Mavors, cùm torvus ab alto
Vertice Pyrenes in Iberos impulit haſtam,
Immeriti belli ſignum. Simul æthere toto
Æra procul, lituique, & rauco cornua cantu
Inſonuere: tremunt diro juga pulſa fragore.
Audiit & fulvus longè Tagus: audiit Aſtur,
Aſtur equo celer, atque animis dextraque timendus
Cantaber. Ante omnia ſeſe Fonrabia poſci,
Infeſſoſque aditus claudi videt. Undique miles
Imminet, & foſſis urbem jactiſque coronat
Molibus: armatæ prætexunt litora puppes,
Tormenta hinc muros lacerant: hac vinea ſerpit:
Hic aperire viam labor eſt. Obſeſſa juventus
Pectora pro vallis, qua Mars acerrimus inſtat,
Objectat bello, letumque hoſtemque laceſſit.
Nec, ſi fortè arces labefactaque mœnia fundo
Verſa cadant, non in media perſtare ruina
Geſtiat, atque omnes pugnando abſumere vires.
Quin & fæmineas animas, res aſpera quando
Urget Amazonia fuſos mutare ſecuri,
Æmula ſollicitat virtus, ſtimulatque volentes.
Stant operi accinctæ matres, natæque nuruſque
Certatim auxilio ſubeunt. Nil Martius urbis
Confuſæ ſtrepitus, nil ipſa pericula terrent:
Urbis amor prohibet, Pars pulvere feta nigranti
Dolia convectant: pars arma, ignique fovendo
Materiam funes facilem, glandeſque miniſtrant.
Arbuteas aliæ corbes, munimina valli,
Ingeſta ſtipant terra: defeſſa virorum

Cor-

Corpora procurant aliæ, Cereremque caniſtris
Expediunt, & vina cadis. Amor omnibus unus,
Fortunæ & belli quem vis durare laborem.
Intereà ſi fortè aliquem juvenumque, ſenumque,
Aut patrem procùl, aut cognati ſanguinis unum
Aſpiciant cecidiſſe, nihil muliebriter auſæ,
Corpora (ſunt animi, ſunt hæc in pondera vires)
Stragibus eripiunt pariter, forteſquæ pięque.
Dein cæſos condunt tumulis, aut vulnera lymphis
Cruda fovent, mollique manu medicantur & herbis.
At non indigni gemitus planctuſque ſequuntur
Fęminei. Vitam credunt, aut vulnus honeſtum
Penſari decoris pretio benè. Vos ego matres,
Invictæque nurus, vos, ſi quid Muſa canendo
Noſtra poteſt, leto immemori & pallêtibus umbris.
Eripiam vates. Dicam mulieribus armis
Defenſam, dicam thalamis cariſque priorem
Pignoribus patriam. Vobis hirſuta leonum
Tergora pro palla ſignis gemmiſque rigente.
Injiciam: vobis galeas criſtaſque comantes
Pro crinali auro, & vitta lucente ſmaragdis.
Addam habilem lęvæ clypeum, flammaſque vomentem.
Ægida pectoribus. Tum ſalvæ cuſpidis haſta
Implebit dextras: iraque & ſanguine torvis
Scintillę abſiſtent oculis. In prælia poſcat
Pantheſilea viros, lunatiſque agmina peltis
Inſtruat, exſertumque latus pugnæ aptet & armis
Bellatrix. Optet Volſca de gente Camilla,
Fęmineis calathis ſtudiiſque inſueta Minervę,
Tyrrhenos equites colletis obvia ſignis
Excipere. At veſtros non impar fama triumphos
Vulgabit terris; & vos ego dicar ad ortum,
Dicar ad occaſum priſcas Heroidas inter
Sideribus quondam mediis, cæloque locaſſe,
Haud ulli veterum patria virtute ſecundas.
O mihi tam magnę veniant ad carmina vires!

Et jam bis vacuo, bis pleno viderat orbe
Cynthia bellantum caſus Martiſque labores:
Jam vallo everſo, jam muri parte revulſa
Hiſpanus tandem longum trahit agmen, & hoſti
Fit prior. Signa anteeunt, & claſſica circùm
Pulſa ſonant: equitum nimbus peditũque coruſcus
Inſequitur. Sed enim tardè venientis Iberi
Ridetur virtus, & tutus ceſpite miles
Securas vigilat per propugnacula noctes.
Heu rerum ignaræ mentes, & noxia ſæpè
Credulitas! Quid caſtra juvant, quid valla, moræque
Foſſarum ingentes, ſi bello lecta juventus
Ut primam effudit rabiem, ſibi degener ipſa eſt,
Deficienſque labat? ſic primo animantia morſu
Letiferum ejectant virus, pariterque ſequaces
Exſpirant animas. Pugnet modò præmia pugnæ
Cunctator miles referet, ſeu rumpere vallum,
Sive acie juvat, & medio concurrere campo.
Uſque adeò audenti nil non ſuperabile Ibero eſt.
Quondã etiã 1 veniet (Phœbus, certiſſima Phœbus
Signa dedit) veniet, quam triſtia fata minantur,
Atra dies, qua ſe captam mœrebit Ilerda.
Mœrebit Sicoris, vacuoque reconditus antro
Augebit miſeris captivas fletibus undas.
At benè, quod tantos mox ſolatura labores
Proxima libertas aderit, fractiſque catenis
Servitium excutiet Sicoris pater. Heu quibus ille
Auſpiciis patrio Mavortem avertere regno
Incipiet! quanto pacem promittere bello!
Ipſe ſuperfuſe ſtagnantes ſanguine ripas,
Et ſpoliis currus gravidos, direptaque ſigna,
Æraque nequidquam flammas jaculata, duceſque
Impulſam ante aciem ſtrato, longumque cruenti
Argumentum operis fulva cælabit in urna

Quà

1 *Poſt Fontarabiam anno* 1638. *obſidione liberatam liberata deinde eſt Ilerda anno* 1646. *à Marchione de Jiganez; ab ipſis obſeſſis, anno* 1647.

Quà vacat. Ardentes nãque illic a ſculpſerat olim
Cæſaris & generi pugnas. Hic ſtantia ſummo
Signa adverſa jugo, diviſaque flumine caſtra
Fecerat. Hac ibat Sicoris: pons additus amni
Hic erat: hic leni tumulo ſurgebat Ilerda.
Fecerat & ſummis liquentes rupibus undas
Diffundi latè campis: innare videres
Quadrupedeſque, viroſq; abreptaq; fluctibus arma.
Exiguas iuxtà lento de vimine lintres
Excuderat, ponteſque novos. Heu turbidus amnis
Impoſitas iterùm diſturbet gurgite moles,
Scinditur in ſulcos, ſectaque it debilis unda.
Haud procùl inde hoſtem Cęſar; dũ jam ũdiq; clauſũ
Obſidet, ac viſis ſitientem fontibus arcet,
Parere imperiis, ac juſſa faceſſere cogit.
Parte alia inſignes vittis, & dona ferentes
Quinque oratores veniam pacemque precantur.
His ſuper admirans oculos per ſingula volvit
Cęruleus pater, atque operis monumenta futuri
Secum agitans, nihil hæc priſcis ceſſura fatetur,
Arma armis, animis, animos, Magnumque Philippũ
Juliadæ, Martemque auſus componere Marti.
Ergo ubi disjecto patefactos aggere muros
Hoſtis habet, quamquam vis jam maturior urget,
Non tamen everſis pariter cum mœnibus, urbis
Spes & opes cecidere. Viam reperire saluti
Ardet Iber: quacumque animi jam plenus & iræ
Se campis infert mediis, agit antè Pavorem,
Præcipitemque fugam, & trepidas formidine curas
Et Spes diffiſas votis, ſimulacraque Leti
Triſtia, pallentes amiſſo ſanguine formas.
Infelix pubes, quæ circum plurima muros
Fulminat obſeſſos bello, turbata tumultu
Miſcetur pavido: volitant trepidantia circum
Caſtra duces, muſſantque metu: coit omnis in unum
Horreſcitque acies. Nuſquã mora: dat tuba ſignum

a *Quæ in hac digreſſione finguntur Sicoris urnæ inſculpta, fusè Cæſar narrat lib. 1. de Bello Civili*

Fit fuga : cæduntu :r nec quiſquam exterritus hoſte
Suſtinet adverſum, & ferrum letumque ferentem.
Projiciuntur opes: ſua cuique oneroſa graviſque eſt
Sarcina : non currus ſecum, non arma juventus
Feſsa trahit. Galæ paſſim, criſtæque per agros,
Scutaque, loricæque, & lato haſtilia ferro
Strata jacent. Heu quantus equis peditumque ca-
Sudor adeſt! terrent vultus inſtantis Iberi. (tervis
Qualis ubi Æmonius vacuo venator in arvo
Deprenſam inſequitur cervam, quã picta rubentum
Linea pennarum clauſam tenet, ęquore ſepto
Illa volat, curſuque canes & hiantibus inſtant
Morſibus: eluſo crepitant à vulnere malę.
Tùm ſi fortè procùl deſcendere monte leonem
Conſpexere, pavent: nec jam ſpes ulla moratur
Diſſuadetve fugam: latebris conduntur & umbr's.
Ille fremit, quaſſatque toros: tremit omnis ab alto
Proſpectans ſcopulo paſtor. Non mitiùs hoſtem
Perculit adventans acies. Nihil ille nec auſus,
Nec potuit: dat terga fugæ, defixaque vellit
Signa locis, magnique perit ſiducia cœpti.
Haud aliter Senonas quondã Brennumq; Camillus
Exultantem animis Tarpeja depulit arce;
Appenſumque auro gladium, & funeſta minantem
Excidia, Auſonidum procùl à cervicibus egit.
At non victorem plauſus tetigere Philipp:m:
Nec ſuper ipſe ſuo molitur Marte triumphum.
Numinis auſpici s hæc, inquit, movimus arma:
Illius auſpiciis quoque vicimus: illius aris
Noſtra triumphales debet victoria lauros.
Auſtriadæ (proavum mem'ni lætorque meorum)
Auſpice te duros quoties terraque marique
Fregerunt armis populos, tibi magne trophæum
Bellipotens ſtatuere; & ſtirps ego ſanguine ab illo.
Tantùm effatus ad auguſti penetralia tecti
Solemnes duci pompas jubet. O ubi turres
Heſperiæ, ingenteſque arces! ubi Mantua regum
Auſtriadum ſedes! ubi Divum limina, & arę
Lau-

Laurigere! Mene ętherea non poſſe per auras
Triptolemi currum admiſſis impellere habenis?
Nec procul evectas rapere ad ſpectacula Muſas?
Non illic curru niveos ſubjunxit eburno
Victor equos, merita redimitus tempora lauro.
Non illic domitos, & adhuc crudelibus hoſtes
Ardentes oculis, aut longis ſqualida tectos
Ora comis, currus videas anteire ſuperbos.
Non verſas in terga manus ſtrictoſque lacertos.
Vincla gravant: nullis ſtridet via ſacra catenis
Nec me ſpectandi ſtudio jam priſca triumphi
Detineant ſimulacra, animum neque prēlia paſcāt
Picta meum. Non ſi rurſum ad Capitolia Gallos
Cęſar, ſeu Numidas Marius, vinctumq; Jugurtham
Victor agat. Non ſi Patres, effuſaque totis
Obvia Roma viis, atque oppida facta metallis,
Æquoraque, & fractis mœrentes cornibus amnes,
Exuvięque ducum, captivaque veſtis, & ingens
Argentum, ſeries olim longiſſima pompę,
Multaque Clitumni ſacro perfuſa fluento
Victima, ſolemneſque epulę, ludique viarum
Pulchra mihi referant Latij ſpectacula faſtus.
Omnia jam majora: Deus, Deus ipſe beatis
Delapſus Divorum adytis, quem mille phalanges
Aligeræ circum volitant, huic pompa triumpho
Per ſe magna ſat eſt. Idem quoque victima templis,
Idem epulū, idē operſi monumentū inſigne ſuorum.
Quin etiam Rex ipſe ſuam (mirabile dictu!)
Captivus pompam ſequitur, ſenſuſque revinctos
Pone trahit, cogitque ſequi, Numenque fateri
Quod tenui frugum genitrix ſub imagine celat.
Ut ventū ad ſedes, quantuſque & qualis ab aula
Siderea excipitur, tantus taliſque receptus
Æde ſacra eſt, niſi quòd lateat, fugiatque videri:
Principio ante aras defixa horrore Philippus
Ora tenet, ſanctumque, & inobſervabile Numen
Poplitibus flexis, & corpore pronus adorat.
Verbaque quærenti patrium teſtantia cultum

Deficiunt. Tandem ut ſacrum eluctata pavorem
Vocis iter vicit pietas, ac deſuper ipſe
Exſtimulat Deus, atque imo ſe pectore verſat,
Continuò: Salve o magnum & venerabile terris
Numen, ait: ſalve gentis fiducia noſtræ,
Rex Superum, rex idem hominū, & pallētis Averni.
Dexter ades, propiùſque tuos agnoſce penates.
At te principium regni: tibi debita ſceptra,
Auſtriadumque aquilę, tot euntibus ordine longo
Cæſaribus: per te (neque me ſperaſſe pigebit)
Æternum ventura trahent in ſæcula nomen:
Interea dum tantus amor tibi, curaque noſtri eſt,
Hoſpitio ut jungi cupias, ſimul has quoque mecum
Divide terrarum curas, regnique vocari
Tutor, & eſſe velis. Non belli præmia quæro,
Nec ſuper his moveor. Vincant, quos vincere rebus
Chriſtiadum proſit, quorum felicibus armis
Victa ſuperſtitio terris excedat, & aris
Priſcus honos redeat. Quas nūc quantū ipſe laborat
Diſturbare Acheron, tantò me impenſiùs æquum eſt
Protegere, atque omnes ſacrorum avertere peſtes.
Bellorū hęc meta eſt: hæc quo me cumque vocarint,
Voti ſumma mei fuerit, tot provida rerum
Pectora, tot fortes animas, dextramque meam me
(Sive fide, ſeu quis bello experiatur) honori
Devoviſſe tuo. Tu mentem hanc numine firma.
Talibus orantem dictis pulcherrima proles,
Os animóſque patri ſimilis (quam ſi modo regnis
Admorint patriis, quamquam o! nil lætius umquam
Contulerint terris Superi) proſtrata ſub aras.
Audiit, &: Sequimur, dixit, tua vota precantes
O genitor, Tantus ſuccedens ſedibus hoſpes
Hunc, reor, hunc lætum nobis, totique ſecundum
Imperio volet eſſe diem; noſtroſque minores
Olim hujus (neque vana fides) meminiſſe juvabit.
Dixerat: expleri nequeunt gnatique patriſque
Vocibus intenti Heroes, quas Martia virtus,
Et regum favor illuſtri dignatus honore eſt.

At

At tu, dum rerum auctorem, cui ſubdita pareat
Imperia, aſtrorumq; orbes, totumq; quod uſquã eſt,
Regales intra ſedes & limina cernis,
Inclyte Rex, belli molem tam grandibus urge
Auſpiciis. Cedent, ut non ceſſiſſe pigebit
Hoſtiles acies. Quod enim contendat Iberi
Viribus imperium, ſua ſi modò robora norit,
Caſtigetque moras? Tibi victus ſubdidit Afer
Litora: te metuit Ganges: tibi turbidus Indus
Volvit opes: uni Americe tibi viſcera pandit
Feta auro. Quocumque diem ſol orbe reducat,
Feſſus obis tua regna: tuo ſeſe aureus effert
Oceano, conditque tuo. Tantùm arma capeſſe:
Dumque alii nova bella movent, infeſtaque jungũt
Fœdera, ſive illos regnandi inſana libido,
Et ſceleri ſperatus honor, ſeu Numinis aras
Exoſæ inſtigant furiæ, ſine præmia cuique
Sint ſua: tu laudes & fortia facta tuorum
Exſuperans, cælumque animo complexus & orbẽ,
Romana populos ſub religione tuetor.
Hic tibi ſit proprius belli labor, hæc tua palma.
Auſtriacos huc verte animos, totumque Gradivum.
Si dubiis virtus numquam non altior exſtat
Caſibus, ac juſtam ſequitur Victoria cauſam,
Armis, ut cauſa, vinces, atque aurea condes
Sæcula, & æterno compones fœdere terras.

LEOPOLDO GUILIELMO,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

Belgij pro Rege Catholico Gubernatori.

Cùm expugnata Dunkerca Flandriam ab armis Gallicis liberaſſet, anno 1652. victoriis in Hiſpania, Italia, Gallia, reportatis memorabili.

EPINICION.

Vicimus! aſſeruit ſeſe, rupitque catenas
Flandria. Nec vobis ultra, ſpem ponite, Galli,

Serviet. Indigna tenuiſtis compede vinctam;
Indigna vinctam Leopoldus compede ſolvit.
Qualis ubi Andromedam Perſeus materna luentē
Crimina, & ad duras religatam in litore cautes
Aſpexit miſerans, clypeo confiſus & enſe:
Pone metum, virgo: non es ſine vindice, dixit.
Nec mora: congreditur, monſtrique per illia ferrum
Exigit. Illa feræ, mortique erepta, catenis
Solvitur, & dominum ſervatoremque ſalutat,
Nec capit admirans ſua gaudia. Perſea Cepheus,
Perſea Caſſiope, victorem Perſea virgo
Libera conclamant: reſponſant Perſea rupes.
Haud aliter bello felix, creberque triumphis
Auſtriades Morino captivam in litore Nympham,
Lumina, quod poterat, longo liventia fletu
Tollentem cælo, jamque ultima pænè ferentem,
Et, Leopolde veni, clamantem, & multa voventem
Servitio, & vinclis, luctuque exemit acerbo.
Ardua res, quæque Atridas, pugnæque ſcientes
Poſceret Æacidas, totidemque quot Ilion annos.
Tot rūpendi aditus. 1 Non urbs, caperetur ut una,
Una fuit capienda. Moras hic altera 2 Chryſe,
Altera 3 Lyrneſſos magno repetenda labore
Fecerat: an frugum pecorumque feracibus arvis
Ditior, incertum eſt, an belli tutior arte.
Hic quoque 4 Cilla fuit vix expugnabilis armis,
Expugnanda tamen, quam Nereus æquore pulſat,
Cui foſſæ triplices, & propugnacula circùm
Grandia, firma ſitu, poſitoris habentia nomen

Quæ-

1 *Dunkercā undique inacceſsā reddebant Furna, Winociberga, Gravelinga, à Gallis capta inceſſaque oppida: quę appellare placuit nominibus urbiū ad Trojam ſitarum, & priùs etiam expugnandarum.*

2 *VVinociberga.*

3 *Furna.*

4 *Gravelinga: à Carolo V. Imp. munita caſtro & propugnaculis, quorum ſingulis nomen dederunt Ordines Flandriæ.*

Quæque ſui. Magnus ſic illam juſſerat olim
Muniri Cæſar: nunc feta hoſtilibus armis
Frenabat latè Morinos, belloque premebat.
5 Stabat & æquoreo munita in litore moles
Ingenio defenſa loci: ſinus æquoris altus
Curvato flexu prælabitur: Iccius olim,
Ut perhibent, portus, tutum navale carinis
Objectu bimaris dorſi & flaventis arenæ.
Hinc arx alta, ingens, vaſtum procurrit in æquor.
Mille trabes illam ſolido de robore, mille
Ferrati firmant vectes, unam omnia contra
Vela Batavorum quondam, dum litora noſtra
Nequidquam armatæ claſſis cinxere corona:
Unam omnes contra furias cęlique, mariſque.
Heu quas illa vices belli, quæ funera vidit
Externis quaſſata armis! Bis Gallica ſenſit
Signa: bis hoſtili ſudavit ſanguine litus.
Narraſtis cæſorum animę pallentibus umbris,
6 Camoſij Termique umbris, quo ſanguine rurſum
Litoreæ cumulus ſteterit non magnus arenę.
Tantùm non ſubito rapuerunt vortice flammę
7 Borbonidem, dum, quà noſtri s acerrimus inſtat,
Hique fugam ſimulant, ſparſo de pulvere torrens
Igneus erupit campo, incautèque ſequentis
Fulmineo ambuſtum fœdavit turbine corpus.
Quid validas hinc atque illinc coeuntibus arces.

P 3 Am-

5 *Mardica, bis à Gallis cruenta ſuorum clade capta, bis iiſdem erepta.*

6 *Camoſius anno 1583. Ab Alenconio impoſitus Dunkercæ Gubernator, ab Alexandro Farneſio obſeſſus ipſe militeſque gladiis tantummodò accincti ſine ſignis ac ſuppellectile urbe emiſſi ſunt. Termus Gallicorum caſtrorum Præfectus ad Gravelingam à Comite Egmondano cæſus anno 1558.*

7 *Princeps Condæus ad Mardicam ambuſtus incenſo nitrato pulvere.*

8 *Linca propugnaculum ad Alpha n & Colmath fluvios ſitum.*

Amnibus impoſitas memorem, pelagique ſonantis
Laxatos obices, portarum immania clauſtra,
Immiſſumque fretum terris,9 exhauſtaq;quondam,
Nunc iterùm fluctu ſurgentia ſtagna marino.
Quam mare,quã fluvii, quam tot caſtella, tot urbes
Munierant, urbem vinci quis poſſe putaret?
Si tibi ductorum primi, Leopolde, tuorum
Curarum ſaltem potuiſſent demere partem,
Munera ſortiti pariter, bellique laborem.
Nunc tuus 10 Æacides leto jacet. Hei mihi quãtus
Conſilio, quantuſque manu, ſive ardua muris
Oppida bellator quateret, ſeu tempora tecum
Eligeret pugnæ! Non te, fortiſſime ductor,
Obſeſſam ante urbem Morinis occumbere campis
Vidimus indecorem. Media inter fulmina belli,
Et Martis tonitrus fatali vulnere terram
Planxiſti moriens. At non ſine nomine letum
Per Belgas fuit. Inferias magnumque trophæum
Urbs tibi capta tulit. Caſtris exercita Virtus,
Et Labor, & magnis inſtans Prudentia rebus,
Aſſiduæ nuper comites tibi, vulnera dulci
Lavere ambroſia, & funus luxere cruentum.
11 Te quoque quæ patriæ fata importuna, Briaſi,
Eripuere? cuis etiam pars altera belli
Suſtentanda humeris fuerat. Tu caſtra regebas
Imperio: te plenum animi, te ſigna moventem
Ardebat per aperta ſequi diſcrimina miles,
Plenus & ipſe tui; nunc caſſum lumine mœſtis
Proſequitur lacrymis, votoque requirit inani.
Quòd ſi mors tantis fuerat ductoribus atras
In jectura manus, non parva incommoda noſtris
Inta-

9 *Moura lacus ab æſtu maris natus ſeptem mil' ia. ia Belgica amb tu complexus, non ita pridem magno fuerat molimine exhauſtus, ac frugum ferax.*

10 *Marchio Sfrondrati tormentorum Præfectus ad Gravelingam tormenti globo ictus occubuerat.*

11 *Marchio Molengh'en, generalis caſtrorũ Magiſter, antequam caſtra ad DunKercam ponerẽtur obiert.*

Intulerat rebus? Quid adhuc cumulatis acerbo
Mœrorem caſu Superi, 12 armorumque magiſtrum
Ægrum, languentem, mediis excedere caſtris
Cogitis, & magnis invitum abſiſtere cœptis?
Heu fragiles hominum vires! ut triſtia lætis
Tranſverſa incurrunt; vos illum reddite caſtris
Incolumem medici, atque ad fortia mittite fortem.
Auſtriades fert unus onus. Quæ pectora tantas,
Et tot ſuſtineant curas? ſint ferrea quamvis,
Deficiant. Feſſis demit juga bobus arator:
Bellatoris equi vires animoſque perennis
Infringit labor, effuſuſque in pulvere curſus.
Cælicolæ magni, ſi vobis Belgica curæ eſt,
Si tantùm ſeſe, pugnare coacta, tuetur,
Nec quidquam niſi pacem armis & fœdera poſcit,
Nec, contenta ſuo, ſpes ultrà tendit avaras,
Hoc ſaltem caput afflictis ſuccurrere terris
Ne prohibete. Satis noſtras bacchatus in urbes
Sæviit armipotens, ferro violentus & igni;
Addite bellanti vires. Spes omnis in uno.
Unum dividitur per mille negotia pectus.
Sæpè illum ſomni immemorem, expertemq; quietis
Lucifer invenit ſtantem, certoſque viarum
Deſcribentem aditus: ſæpè illum invenit eumdem
Heſperus. Inſtabant operi fortiſſima bello
Pectora: ſudantes animis audentibus implet
Laudator teſtiſque operum: nec vulnera quiſquam
Ad ſua, dum laudum fervent certamina, pallet.
Quid; quod muneribus blandiſque hortatibus urget,
Extremam hanc operam impendant, patriæque, ſibique.
Exitus acceſſit verbis. Ille impiger hoſtis,
Ille acer, flectique negans, terraque marique
Viſus inacceſſus pridem ſibi, victus & exſpes
Victoris leges patitur, frendenſque recedit.
It totis clamor caſtris, lituique, tubæque,

12 *Comes Fuenſaldanna armorũ ſupremus Gubernator propter invaletudinem obſidione DunKercanæ aberat.*

Cornuaque, & cantus, partæ felicia palmæ
Argumenta ſonant: fremitu, plauſuque reſultant
Litorei colles. Niveis Victoria pennis
Caſtra ſuper volitat, congeſtoque aggere fidens
Excitat admoto vivaces fomite flammas.
Æra tonant, lætiſque implent mugitibus auras.
Ante alios glauco inſignis Portunus amictu
Exultat, medio ſpectans è gurgite puppes,
Libera jam tutis ſubeuntes oſtia velis.
Antennis maliſque nitent fluitantia vento.
Picta a pluſtra Cruces, Burgundæ inſignia gentis.
Ipſe triumphali per labitur æquora curru
Neptunus pater, ipſe manu molitus habenas
Inſtat equis, illi patulis mare naribus efflant,
Prætereuntque leves pedibus properantibus Euros
Neptunum antevolat nativo murice tectus.
Canentes Triton humeros, vicinaque circum
Litora dum læto conſpirant cornua cantu,
Æmulus in flata reſpondet ab æquore concha,
Doridaque, & natas humentibus evocat antris.
Agglomerant ſeſe lateri Xanthoque, Rhoeque,
Queis teretes gemina pendent ex aure lapilli,
Et Panope, Panopeſque ſoror, redimitaque conchis
Pectora tortilibus, queis debet nomina, Cochlis
Et flavos nodata auro Galatea capillos,
Cymodoceque, Hyaleque, & quas mihi dicere
non eſt.
Muſco omnes, Tyriis velatæ veſtibus omnes,
Omnes cyaneis evinctæ tempora vittis.
Teq; canunt, Leopolde: tibi per cærula plaudunt,
Quod que priùs triſtes doluere inimica coactum
Vela pati, lætis exercent luſibus æquor,
Inque chori ſpeciem nunc hos in fluct. bus orbes,
Nunc illos explent, alioſque alioſque retexunt.
Pars tibi coraliis, pars lectis æquore conchis
Serta parant: pars è gemmis tua nomina texunt.
Omnibus eſt læto victor Leopoldus in ore.
Quarum quæ medio fertur pulcherrima cœtu

Flan-

Flandrias 13 Actiophane,albenti in veſte refulgens
Deterſis lacrymis, verſoque in gaudia luctu,
Altior emergit, placidiſque è fluctibus extans
Sic canit:attentas tenuerunt carmina Nymphas.
Nec ſtrati maris unda,nec obſtrepit aura canenti.
Macte tuis,Leopolde,animis,armiſq; ſecundis.
Antè nec alterni noſtris in fluctibus æſtus,
Nec pelago piſces nec erunt in litore conchæ:
Antè ſuos repetent fontes quæ flumina noſtris
Se miſcent undis; proque undis arva carinę,
Proque arvis undas curvum ſulcabit aratrum,
Quàm nobis deſint laudum argumenta tuarum.
Non ego lęta tui repetam primordia Martis,
Queis Libertatem redeuntem,& grandia Pacis
Auguria, & ſeſe reddi ſibi Belgica vidit.
Omnia jam celebrata. Quis Armenteria forti
Mœnia capta manu, quis 14 inexſuperabile vallum
Hannonię ceſſiſſe tuis non prędicat armis?
Magna,ſed antiqua eſt gaudendi cauſa receptus
15 Liza pater, liberque metu te vindice Scaldis.
16 Et Cameracenę, quas Gallus cinxerat, arces,
Marte tuo & magnę ſervatæ munere Divę,
Pręconem repetere. Data eſt quoq; vatibus ingens
Materies, cùm te victorem ſenſit apertis
Gallia limitibus. 17 Tranſmiſſum in ſecula rarę
Exemplum fidei legitur, ſemperque legetur
Unum militibus vulnus fatale duobus,

Unus

13 *Dunkerca, ſi vocem Flandricam Latinè interpreteris, Litorale templum ſignificat: unde nomen huic Nymphæ à Græco.*

14 *Landracum.*

15 *Cortracum,aliæque urbes & arces Lizæ impoſitæ.*

16 *Otho Zylius e Societate Jeſu Cameracum obſidione liberatum edito poemate celebravit.*

17 *Sidronius Hoſſchius ex eadem Societate elegias edidit in mortem duorum commilitonum, quorum alter hoſtili telo, alter amore in commilitonis caſi complexu ad Capellam occubuit.*

Unus funeribus, quæ nec poſt fata revelli
Paſſa tua eſt pietas, tumulus titulusque duobus.
Extollant alii dejectos ſedibus hoſtes,
Et captos 18 Scaldis fontes, teque 19 Axona victis
Mœrentem ripis, injectaque vincula 20 Moſæ,
Teque tui magna domitam Campania parte.
Nos propiora vocant: nos una ſoſpes in urbe
Flandria, nos vinclis Neptunus liber ademtis.
Hæc, hæc præteritas cumulat victoria lauros.
Terra parum fuerat: terræ nunc adjicis æquor.
Magna quidem terra fuerat viciſſe voluptas,
Sed non plena tamen. Quæ ſpes & vota gementis
Expleret patriæ, palmaſque ornaret adeptas,
Integra libertas deerat. Tot valla, tot urbes,
Aſſertique amnes tantum ſperare jubebant,
Qua poſt imbriferas Hyadas, noctesque profundas
Nunc fruimur, lucem. Roſeis ſic vecta quadrigis
Purpureas cùm manè fores Aurora recludit,
Paulatim tenebris nox evaneſcere victis
Incipit: albeſcit cælum: lætiſſima rerum
Lux ſubit, & totum ſpondet prænuntia ſolem.
Nunc o, nunc mecum longo vos ſolvite luctu
Nereides: mecum plauſas iterate per undas
Carmina, victoris magnum attollentia nomen;
Carmina, quæ longè fluctus, & litora longè
Ingeminent. Pleno fruimur poſt nubila ſole.
Mirabar, 21 cur in ſicco, velut antè, ſiniſtræ
Non gemerent mœſtum fulicæ, pluviaſq; vocarent,
Nec ferrent queruli clamorem ad litora mergi:
Candida lux aderat, qua tandem Flandria durum
Excuteret cervice jugum, gaudenſque videret
Æquora reſtitui nautis, cultoribus agros.

Ipſi

18 *Caſteletum ad Scaldis caput ſitum.*
19 *Ad Axonam fanum S. Meneholdi, Rhetelia, Caſtrum in Porceano,*
20 *Mouſonium ad Moſam.*
21 *Obſidiones expugnatarum priùs urbium incredibilis laboris ſecerat cælũ pluviis aſſiduis infeſtũ.*

Ipſi te portus, ipſa hæc, Leopolde, vocabant
Litora. Dumque tuis ſpes tantas provehis armis,
Cælum in parte fuit. Soles fulſere ſereni:
Fluctibus & ventis furor abfuit: æquore claſſis
Tuta ſtetit: nihil hoſtiles armiſque viriſque
Effecere rates, commiſſo Marte repulſæ.
Expugnata tuis urbs altera & altera ſignis.
Omnia ſucceſſere. Patet mare: carbaſa nautæ
Pandite: victricem malis inducite laurum.
Redditus eſt vobis per apertum tranſitus æquor.
Virtutis veſtræ memores veterumque malorum,
Deſuetas aptate rates, pelagoque volate
Martia gens, pelago ante alios pugnare periti.
Ite viri, date vela, & libertatis ademtæ
Ultores adferte animos, terraque fugatos
Debellate mari, legeſque imponite victis.
Terrarum imperium firmat mare. Victor in illo
Cetera ſecurus tenet, invictuſque tenebit.
At vos, nunc quoniam tutum eſt piſcantibus æquor,
Tendite, ut ante, plagas pueri, demittite naſſas,
Et ſolito pelagi tractu pendentibus hamis
Fallite, & æquoreas ad litora vertite prædas.
Et quoties parvis tentabitis æquora lembis,
Dicite: (ſic ſemper vobis ſit piſcis in unda
Credulus) Auſtriades nobis hæc otia fecit.
Aſt ego pro meritis quas grates ſolvere tantis
Sufficiam, Leopolde? Tibi, ſiquid tamen illud
Siquid habet pretii, noſtra hæc ad litora ponam
Solemnes aras, magni monumenta laboris.
Quales trans Indum Macedo dum fulminat armis,
Ipſe ſibi poſuit victor, propriaſque dicavit,
Nominis & famæ ventura in ſæcula teſtes.
Adjicam titulum, quem, ſeu navalibus altis
Herculeæ Calpes, ſeu litore ſolverit Indo,
Navita præteriens legat, externaſque per oras
Deferat: HAS PULSIS LEOPOLDO FLANDRIA GALLIS.
Dixerat: arrectæ ſimul aſſenſere ſorores,

Terque ſalutarunt ſubmiſſa fronte potentem
Victoris Genium: ter ſigna dedere triumphi,
Æquora plaudentes manibus, lætumque canentes
Ter capiti infuſos irroravere liquores.
 Intereà latè tantarum nuntia rerum
Fama volat, lætiſque implet rumoribus urbes.
Applaudit longè Germania. Rhenus & Albis
Suſpenſo excipiunt Famæ preconia fluctu.
Effuſus procùl Hercyniis è ſaltibus Iſter,
Precipuè, quà Cęſaream prelabitur urbem,
Vorticibus volvit ſolito majoribus undas,
Lętitiaque tumet, magnoque aſſurgit alumno.
Hic Cęſar pacis ſtudiis intentus, & alto
Conſilio inſtaurans quidquid graſſata tot annos
Imperio in magno triſtis labefecit Enyo,
Exilit, ut tanti perlata eſt fama triumphi,
Et tamquam proprio, fratris lętatur honore.
Quippe volutabat ſecum, in quę tempora virtus
Illius inciderit: Belgarum quanta per urbes
Tempeſtas bellorum ierit: quos antè dolores,
Et rerum caſus tulerint: quàm certa labanti
Spes patrię,& facies melior cum fratre rediret.
 Ut verò rapidis Pyrenen tranſiit alis,
Laurenteſque ſuper velox Dea conſtitit arces,
Regis opus, magna in tabula ſua regna Philippus
Fortè recenſebat luſtrans, arceſque, locoſque,
Litoraque, & tumidis infeſſas hoſtibus urbes.
Verſabat ſecum tacitus, quibus artibus illas
Aſſereret vindex, longaque in pace foveret.
Ergò ubi tam felix demulſit nuntius aures,
Ad Superos gratus palmas utraſque tetendit,
Agnovitque Dei munus. Tum fronte ſerena
Cognato Auſtriadę partum gratatus honorem:
Victor io, dixit: virtus tua ſpem quoque vicit
Belgarumque, meamque. Tibi ſe Flandrica debent
Litora. Quòd pateant ſecuris libera nautis
Æquora, quòd ſecurus aret ſua rura colonus,
Quòd verſis ſecum luctetur Gallia fatis,

Munus

Munus opuſq;tuum eſt. Tu Gallum, invicte, coerces
Limitibus pulſum Morinis: tu Marte ſiniſtro
Divulſos Belgas iterum conjungis Iberis.
Hanc equidem dextro nobis à Numine mentem
Injectam reor, ut peterem pro munere magno
Jam propè depoſitis velles ſuccurrere rebus.
Quàm tibi nos, & funeſtis exercita bellis
Flandria materiam dedimus, virtutibus imples,
Pręmia pro meritis Divi pulcherrima primùm
Invictique dabunt animi, queis Belgica ſtat res.
Ipſe ego tum fidei tantæ non immemor umquam,
Et domus Auſtriadum meritos ſolvemus honores.
Teque reponentem noſtros in priſtina Belgas
Præſidium dicam rerum columenque mearum.
Tu modò te nobis, ut ſervas cętera, ſerves.
Quos ego te caſus, quę te diſcrimina paſſum
Accipio! ſæpe inſonuit tibi tempora circum
Ferrea tempeſtas telorum, & caſſide criſtas
Abſtulit. Ah nequid virtus interrita peccet!
Horret adhuc meminiſſe animus: tormēta vomebāt
E muris ferrum, & flammas: tu pectore ſtabas
Intrepido, pugnæ intentus. Comitum unus & alter
Ad latus hinc atq; hinc tormento abreptus aheno eſt
Quoque loco ſteteras, pſi cecidere, ſuoque
Pæne tuos laceri ſparſerunt ſanguine vultus.
Ne, frater, ne tecum urbes, patriamque receptam,
Speſque meas de te miſeranda involve ruina:
Quolibet hæc eſſet major jactura triumpho.
Talia Rex ſecum media inter gaudia volvit,
Multùm ſollicitus, ne quę ſolatia Belgis
Continuat victor, bellandi gloria, & ingens
Vincendi ſtudium luctu corrumpat amaro.
Quis mihi nunc fando referat, qui plauſus Iberis
Et fremitus caſtris ierit, cùm didita latè
Fama refert Morini purgatam litoris oram?
Reddita libertas populis, exempta catenis
Flandria, ſecurum pelagus; Leopoldus, in ipſis
Omnia ſunt oculis. Paſſim tentoria circum
Mar-

Martius audiri clamor, lituiſque tubarum
Permiſti ſonitus, atque ęra ſonantia flammis.
Clauſeret obſeſſos veloque & remige portus
Regius Auſtriades 22 ſanguis: Mortara rebellem
Parte alia obſidione urbem valloque premebat.
Urbem, cui de ſe Maſſylus Barcino nomen
Conditor impoſuit, generis tibi proximus auctor,
Annibal, & belli Libycas hortator ad aras.
Et nunc illa quidem triplici circumdata muro eſt.
Immanes circùm turres, opera alta minęque
Saxorum ingentes: cingunt latera ardua foſſæ
Altæ, præcipites, aditum ſperare vetantes.
Olim penſilibus fuit & ſpectabilis hortis,
Antiquam inſano Babylonem imitata labore.
Nunc operis tantùm (quid non abolere vetuſtas
Invidioſa vales?) fractæ monumenta columnæ.
Quà Libycum tumido pulſat mare litora fluctu,
Efficit interior portum ſinus invius Euro
Et Boreę, feſſis ſtatio ſecura carinis:
Jamque recreſcebant bis ſeptima cornua Lunę,
Et tolerabat adhuc diuturni tedia Martis,
Fortunæque vices varias, morboſque, famemque
Nec minùs obſeſſos urgens, patienſque laborum
Obdurabat Iber, omnique ex parte premebat
Ultima paſſuros. Sed enim quod Flandria victrix
Quodque dabant urbes Leopoldi Marte receptę
Augurium caſtra accipiunt, ſimilemque refectis
Præſumunt ſucceſſum animis, ac talia muſſant:
Penè ſimul viſa eſt, obſeſſaque, captaque bello
Urbs aliis, poſituque loci defenſa, manuque,
Objectuque maris; ſpatium nos longius anno,
Et pendentis adhuc belli fortuna fatiget?
Talibus incenſi potiundę protinus urbis
Vota fovent alacres; nec ſpem præſagia fallunt.
Vincit Iber. Tantum bello valet æmula virtus.
O, cui tot cumulat lauros Deus, Optime Regum,
Excipe pacato redeuntes excipe vultu,

Arma-

22 *Joannes Auſtriacus.*

Armaque damnantes populos, quibus utile fecit
Sanguinis Auſtriaci virtus clementia vinci.
Hoc facis: hæc parta de te victoria major.
Ut rex, ſic pater es. Nec te moderatior alter
Aut premit, aut regni faciles admittit habenas,
Parcere ſubjectis, iraſque remittere, moris,
Magne Philippe, tui eſt. Facti dum pænitet illo;
Pœnarum ſat habes: Ipſi ſibi pœna fuerunt,
Pluraque ſunt paſſi, quàm quæ potuere timeri.
Te quoque, quem noſtris Mavors exercuit oris
Nunc Inſubria miratur, mirantur & Alpes,
Eridanuſque pater victricia ſigna gerentem,
Gentis honor, Caracena, tuæ, cui fama perennis
Contigit Auſonio depulſis limite Gallis,
Te quoque credibile eſt Leopoldi Marte ſecundo
Incaluiſſe animis non inferiora ſequentem.
Alternos toties dominos ſortita Caſale,
Fax belli, clauſtra Italiæ, celeberrima Martis
Area, quæ toties ſpumantem ſanguine vidit
Eridanum, expugnata tibi (quæ gloria?) ceſſit.
Ceſſit, &, ut Magno ſatis eſt viciſſe Philippo,
Reddita Minciadæ domino, nova bella diremit.
Talia dum paſſim Europę diffuſa per oras
Fama canit, non te 23 tacitum indictumque relinquit
Magne Heros, magnum cui Schvvartzenbergia nomen
Gens tribuit, majus virtus tua. Namque canebat
Ut te tantorum comitem ſociumque laborum
Sumſerit Auſtriades: ut promptis utilis illi
Conſiliis fueris, qualis, dum Marte biluſtri
Pergama victa cadunt, Pelidæ Neſtor Achilli;
Aut Anchiſiadæ, dum raptum ex ignibus ignem,
Et Trojana infert Latio ſacra, fidus Achates.
Hinc vigiles curis noctes, luſtrataque valla,
Præ-

23 *Joannes Adolphus, Comes Schvvartzenberga, Eques Aurei Velleris, Regi Catholico à Conſiliis bellicis, Leopoldo Archiduci primarius cubiculi Præfectus.*

Præſcriptoſque refert aditus, h ſtemque repulſum.
His addit telorum inter bellique fragores
Impavidum, & pulchro ſordentem pulvere vultum.
Scilicet accendunt veterũ decora alta 24 parentum,
Cæſaris auſpiciis acies in prælia ductæ,
Defenſuſque Ammaſis, ripaque aſſertus utraque
Rhenus, & Alſatiis detracta rebellibus arma:
Quintini ad fanum pugnæ, proavique cruore
Conſignata fides, Prudenti nota Philippo.
Præcipuè ante oculos Javarini clauſtra revulſa,
Feta viris, Iſtri timor, & fiducia Thracum,
Æternum virtutis avo debentia nomen.
Heu! non ille, 25 ſuis effuſum ſedibus hoſtem
Dum reprimit, parteſq; animũ dũ verſat in omnes,
Telaque nulla cavet, Pappæ ſub mœnibus altis
Debuit oppetere. O domitor fortiſſime gentis
Odryſiæ; non te totum ferus abſtulit hoſtis.
Non tua, quo corpus tumulo, jacet obruta *virtus*,
Funeris atque ævi victrix. Te Rhenus, & Iſter,
Te domus Auſtriadum celebrat: Te fama ſuperſtes
Inſerit Heroum ordinibus, cæloque reponit:
Quamquã Pannoniis mors hæc inimica triumphis,
Nec matura fuit. Vidit miſerabile funus
Cæſar, & illacrymans: Quantum, Germania, perdis
Præſidium! quanto ſolvunt hæc funera, dixit,
Thraca metu! Mœſtæ pheretro ſubiere phalanges,
Et verſis luxere haſtis, gemitumque dedere.
Heu! ne te, generis tanti digniſſime ſanguis,
Sors eadem invideat nobis. Ne fortior æquo
Eſſe velis, belli que omnes contemnere caſus.
Pignerat ante diem dubia inter prælia Mavors
Fortia prima ferè ſibi pectora. Solvite Belgæ,
Servati Belgæ pro ſoſpite ſolvite vota,

Qualia

24 *Quæ à Schvvartzenbergiis præclarè geſta ſunt, paulò uberiùs exponuntur in Genethliaco, quod Heroicorum lib. 2. legitur.*

25 *Adolphus Schvvartzenbergius, is qui Javarinum Turcis eripuit, ad Pappam occubuit.*

Qualia 26. pro ſalvo perſolvit vota parente
(Tanti erat hunc ſupereſſe) ad magnæ altaria Divę
Fernandus Cæſar. Fieri ſibi talia mandat
Multa viri virtus, & tot ſpectata periclis.
At tu, cui Nereus, & Iberus turbidus auro,
Et Rhenus, clarusque tuis natalibus Iſter,
Et pater Eridanus pariter plaudentibus undis
Aſſurgunt, etiam plauſu, Leopolde, tuorum
Perfruere, & Patriæ tibi ſe debentis amore.
Non tantùm ceſſere tuo fortiſſima Marti
Mœnia: viciſti & pelago, pars unde pericli
Major erat. Suprema tuis ſpes, Gallia, rebus,
Miſſa mari claſſis, quamquã validiſſima, quaquam
Tormentis numeroque virum metuẽda, repulſa eſt.
Victori pars præda fuit: pars fluctibus hauſta eſt.
Paucæ nil ultra audentes, victæque pavore
Alta petunt vento, conv. rſaque vela reflectunt,
Qua fuga cumque patet, pelagoq; feruntur aperto.
Te, quàm longa fuit, 27 Ledee, exercuit æſtas
Claſſe coronantem portus & litoris oras.
At non diſcordes venti, rapidæque procellæ
Quaſſavere rates: favit tibi candidus ęther,
Et placidum Nereus ſtravit mare. Tu vigil hoſtem
Nequidquam ſperantem aditus, claſſique minantem
Acceſſu prohibes: tu victor in æquore perſtas,
Dum terra pugnant alii. Date ſerta carinis
Victores nautæ, bellique inſigne ſuperbum
Ductoris capiti navalem ferte coronam.
Hoc, reor, hoc Flandri Proceres portendere viſi,
Cùm, Leopolde, tuos 28 navalis imagine pugnæ
Detinuere oculos, & ſigna dedere futuri.

Urbs

26 Pro Adamo Schvvartzenbergio, Joannis Adolphi parente, ægro votum fecit & ſolvit Fernandus II. Cæſ. Aug.

27 Marchio de Lede rei maritimæ Præfectus.

28 Flandriæ Ordines, capta Gravelinga, navibus illis, quibus tẽpore obſidionis mare clauſerant, navalis pugnæ ſpecimen Leopoldo ex litore ſpectanti præluerunt.

Urbs eſt Albionem contra, Tameſinaque longè
Oſtia prærupto circùm candentia ſaxo,
Dives opum quondam, & lato celeberrima portu
Nunc belli tantùm ſedes, pars ultima Flandri
Litoris: indigenæ Gravelingam nomine dicunt.
Auſtriades illa victum dejecerat hoſtem,
Tantum animis auſus, quantum turbata timebat
Gallia, dum vires diſcors in viſcera vertit.
Et jam ſtabat adhuc vicino in gurgite claſſis,
Hoſtilis mora ſubſidii, ſi fortè per undas
Vi quæſiſſet iter, dum terra Mars quoque noſter
Ex nbat, & validis muros circumſonat armis.
Utque ea jam victa communia proderet urbe
Gaudia, & augurium ſucceſſus deinde ſecuti,
Navalis belli ſpeciem, ſimulataque veris
Prelia concurrens mediis effinxit in undis.
Ergò hinc atque illinc numeroque & viribus equis
Conſiſtunt pelago puppes. Utrimque juventus
Intenta expectat ſignum: par omnibus ardor.
Irruere, & tamquam vero concurrere bello.
Inde ubi conſonuere tubę, mora nulla, carinę
Æquora corripiunt celeres: ferit æthera clamor
Nauticus: impulſis ſpumant freta fervida roſtris.
Ut propiùs ventum eſt, tormēta obverſa procellam
Fulmineam effudere: tonat cęlum omne tùmultu;
Æthera prętexit denſa caligine nubes,
Turbinibus fumans piceis atroque vapore.
Utque ſolent, cùm vera rates certa mina miſcent,
Illidi prorę proris, uncisque teneri,
Implectique ſibi, morſuque hęrere tenaci.
Hoſtilem in puppim pars ſaltu corpora librat,
Invaditque foros: pars tranſtris ſubmovet hoſtem,
Inque aditu obſiſtit. Geminant diſcrimina vires.
Nulla fuga eſt: repetunt pulſi pugnāque, locumque,
Exacuitque animos violentior ultima virtus.
Nec victor ceſſat priùs oppugnare carinam,
Quàm veluti captę muros deſcendat in urbis,
Signaque in hoſtili fig t victricia vallo.

Hi

Hi captas naves; illi, niſi protinus adſint,
Jungendas captis hoſti extorquere laborant.
Inflectunt alii curſum, ſpatiumque remenſi
Acriùs incumbunt, tormentaque rurſus in ictum
Diſpoſita exonerant, renovataque prelia miſcent
Vi tota obnixę pugnant, alternaque partes
Damna ferunt faciuntque. Diu victoria nutans
Fluctuat, ancipiti quò vergat neſcia caſu.
Haud aliter belli claſſes ſimulacra ciebant.
Prelia vera putes, niſi quod tormenta revulſas
Non frangant laterum tabulas, neque lubrica fœdet
Tranſtra cruor. Nuſquam laceris carchelia malis,
Sciſſaque vela natant, alto ludibria ponto
Nullę vulneribus victæ pelagoque carinę.
Submittunt latus, & rupta compage dehiſcunt.
Nuſquam fulmineo incenſas (mirabile viſu)
Pulvere diſſultare, rapique per aera puppes,
Nuſquam femineces videas in gurgite nantes.
Sic, ubi pugnatum eſt, tibi ſtanti in litore vela
Submittunt, Leopolde: tibi ſimul intonat ingens
Æris diſploſi fragor, & diverberat auras,
Et quœ jam belli fuerant, ſunt ſigna triumphi.
Illo dum per te fruimur, quæ publica vota,
Quem procerum de te ſenſum, quæ gaudia vulgi
Eſſe putas? felicem annum, felicia dicunt
Tempora, quæ primùm patriis tua nomina faſtis
Adventumque tuum, pugnataque bella ſacrarunt;
Se quoque felices. Propè conclamata redire
Tecum viſa ſalus: tecum pax optima rerum,
Et nimiùm longo Libertas obruta bello
Omina lęta ſui populo portendit ovanti.
Nequidquam Gallo ſperata eſt Belgica tanto
Sanguine: nequidquam captivo vincula Lizę,
Et noſtro injecta Oceano. Superatus, inultus
Litoraque, fluvioſque, & quas inſederat urbes
Fruſtrà reſpiciens ingentibus excidit auſis.
Sic olim dirum Latio & lacrymabile nomen
Annibal, ignarus fati ſortiſque futuræ,

Ita-

Italiam ſibi poſt Alpes p omiſit apertas.
Ibat, ut ex ipſis præceps ruit Alpibus amnis
Hibernis auctus nivibus, ſilvaſque, gregeſque,
Et rapido abruptas contorquens vortice cautes.
Quacumque infeſtas acies trahit, intremere omnis
Auſoniæ: exſcindi ferro delubra, domuſque:
Immeritæ flagrare urbes, funuſque parari
Imperio: audiri Medis Indiſque ruinæ
Heſperiæ fragor. Et potuit, ſi fata tuliſſent,
Roma capi, potuere capi Capitolia & aris
Obrutus extingui Veſtæ focus. Irrita vota
In ventos abiere. Nihil tot cladibus actum eſt,
Seu cùm cæſorum Padus & Ticinus acervis
Congeſtiſque obſtructi armis, Latiaque cruenti
Strage laborarunt tardos evolvere fluctus:
Seu cùm purpureis Thraſimenus inhorruit undis.
Fruſtrà Romuleo ſudarunt ſanguine Cannæ.
Direptas fruſtrà gazas, & equeſtribus aurum
Detractum digitis, modiiſque capacibus altè.
Admenſum Tyrias dux miſit Pœnus ad arces.
Invidit rebus nimiùm fortuna ſecundis.
Verſa retro eſt. Bellorum eadem fortuna tuorum eſt
Gallia. Scipiades patriæ tot vulnera paſſæ
Alter adeſt, par virtute & felicibus auſis,
Exuviis qui te noſtris ſpoliiſque tumentem
Urbes ante tuas victricibus exuit armis.
Salve Heros ingens meritis, quem bella gerentem
Divorum Favor antevenit, comitatur euntem
Spes bona, perpetuis decorat Victoria palmis
Ponè ſequens. Salve ſpes o fidiſſima pacis,
Belgarum communis amor, tutela labantis,
Et columen patriæ. Felix, longùmque ſuperſtes
Nos rege. Nec vigiles curæ, bellique labores
Infringant natas ad publica commoda vires.
Ipſe Deus, qui res belli paciſque ſupremo
Temperat imperio, tua provehat arma, tuoſque
De noſtris, lætos quos per te ducimus, annis
Augeat, atque inter plaudentum vota ſeneſcas.

TUO

TUO PIGNORE SECURA ESTO
BRVGA.
CHRISTI CRUOR
ORBIS PRETIUM,
URBIS TUÆ TUTELA EST.
TU ILLUM SERVAS; ILLE TE.
HUNC HABES BELLI SACRI FRUCTUM,
QUO ET VIDERI SOLYMA POSSIS.
NON SEPULCRI TANTUM FORMAM.
CUI DEUS ILLATUS FUIT.
SANGUINEM ETIAM
PRIUSQUAM SEPULCRO INFERRETVR
ABSTERSUM POTES OSTENDERE:
E CÆLO BASILIUS,
IN TERRIS CAROLUS
CUSTODIENDUM ILLUM SUSCEPIT,
UTERQUE TANTI PIGNORIS CULTUM,
ET CUM EO
FELICITATEM AUCTURUS TUAM,

CAROLO VANDEN BOSCH BRUGENSI EPISCOPO INAUGURATO.

EST aliquid, ſi fama loco eſt; factiſque ſuperſtes
Durat honor, ſpectare locum. Quæ cernimus ipſi,
Acriùs irritant animos: ſerieſque, moduſque,
Exitus & rerum, felix, funeſtus, in ipſis
Omnia ſunt oculis, variantque in pectore motus,
O Solyma! o Divis olim gratiſſima ſedes,
Sacrorum legumque parens, urbs æmula cælo,
Mortalique habitata Deo; nunc illius umbra,
Et tantùm cinis, & nomen, quis me tibi terris
Ereptum patriis ſiſtat, veſtigia ſaltem,
Verſaque luſtrantem rerum monumenta tuarum!
Nec tamen inquiram veteris loca conſcia ritus,
Fœda ſitu, deſerta, Titi graviumque Quiritum
Reliquias. Non me denſis luſtra horrida dumis,
Aut ſegetes, ubi templa opibus fulgentia & auro,
Atriaque, & ſolido ſteterunt ex ære columnæ,
Mirantem teneant: quamquam hic tot millia quondam
Cæſa boum fuſis ſparſere cruoribus aras,
Et multa nebula, & cæca caligine fumi
Involuere diem: quamquam hic, manifeſta favoris
Signa ſui, illuſtrem radjis ardentibus ignem
Prorupit cælo Deus, &, quæ maxima reges
Contulerant, miſſæ rapuerunt munera flammæ.
Hæc aliis: nobis placeant ante omnia montes,
Sacrati montes, animas ubi victima noſtras
Luſtravit moriens, & venis omnibus imbrem
San-

Sanguinem, & totum pariter diffudit amorem,
Ipſa Deus, noſtros artus indutus & ora.
Hic ego ſim, videamque, ubi vitam impenderit orbi
Saucius, & patriæ medium ſe objecerit irę
Terram inter cęlumque ſuum ſublimis: ubi ara
Infelix lignum ſteterit: quę gleba cruorem
Divinum biberit, ſceleris placamina noſtri.
His ego ſuppliciter triſtis, cultuque reorum
Incedam lacrymans. Nunc terrę dulcia figam
Oſcula, nunc ſacro conſpergam pulvere crines.
Hic, quę pendentem, mediaque in morte trementem
Saxa Deum miſerata, horrendo rupta fragore
Diſſiliere, meas referent pulſata querelas,
Plangoreſque meos. Tum me ſi ſpiritus, & vox
Deficiat ſuprema, animam hanc effundere tantùm
Hic mihi contingat, tenuemque viator arenam,
Divino quandam tepefactam ſanguine arenam
Frigenti injiciat, quàm molliter oſſa quieſcant!
Non ego Mauſoli ſumtus, non funeris aras
Maluerim, molemque tui, Cleopatra, ſepulchri.
Ah! cur hanc ſortem nobis & tuta viarum,
Carole, regnantum virtus & Martius ardor
Invidet, & nondum his fulgent in montibus arma,
Terribileſque Scythis, Flandrorum ſigna, Leones?
Infelix Europa, tuis quid viribus uſa
Te laceras, & quo vinci Sidona volentem,
Quo Rhodon, & Cypron, Nilumque, & litus Ioppes
Debueras, illo invadis tua viſcera ferro?
O furor! o magnis ſemper contraria cœpti
Armorum rabies, & noſtrà Thracia tantùm
Seditione potens! Nam cur non claſſibus ęquor
Sternimus, & noſtris terremus Achaica velis
Litora? cur non te, Solyme, calcataque quondam
Terra Deo, nunc Edono regnata tyranno,
Servitio eripimus? Quid adhuc prędonibus illis,
Quos pateris, tantùm de te licet? Improba creſcit
Succeſſu feritas, animoſque à crimine ſumit,

Fanda infanda audens. Ne gens tibi barbara,& iſtis
Fide animis: tibi noſtra facit diſcordia vires,
Bellorumque pias odium intractabile cauſas
Et ſpes tam lętas intercipit. O ubi regum
Priſcorumque ducum virtus, ſocialiaque arma,
Conjurata tuos, Solyme, perrumpere muros!
O qui ſopitos ignes, animoſque jacentes
Suſcitet, & veterum ſuccendat imagine rerum!
Vivit adhuc, ſacrique manet clariſſima belli
Gloria, cùm Divis uſus ventiſque ſecundis
Mars noſter trans Jonium, trans oſtia Nili
Vela dedit victor. Vos aræ, auguſtaque teſtor
Pignora, divino fuſi de corpore rores
Sanguinei, ſpolia ampla, Europę robore toto
Trans mare digna peti,templis decus addita noſtris.
O cruor, ęterni monumentum & pignus amoris,
Spes hominum, vitę pręſens melioris origo!
Tu facis, infando quamquam jactura dolori eſt,
Amiſſam ut Syriam, deſideriumque locorum,
Et veteres clades cauſis ſolemur honeſtis.
Te propter Solyme (nam quid pretioſius illa,
Cur repetatur, habet?) duris oppreſſa catenis
Jam minùs in voto eſt, triſtemque ante omnia collem,
Collem infelicem divina cęde madentem
Surgere, & in media ſpectari credimus urbe.
Te propter Bruge Solyma eſt, quę ſigna triumphi
Servat adhuc, quo vitę auctor ſuccumbere noſtro
Dignatus leto, Letum atque Acheronta ſubegit,
Æternum ſtatuens Solymęa in rupe tropęum.
At tibi quas illo, 1 Alſati, dro munere Bruga
Perſolvat grates? Lectos heroas Achivi,

Æſo-

1 *Theodoricus Alſatius, Flandriæ Comes, in Syria à Balduino Hieroſolymorum Rege ſocero ſuo inter varia regiaque munera accepit Chriſti Domini Cruorem, ab ejus corpore, priuſquam ſepeliretur, abſterſum, & in pellucida cryſtallo ſervatum: eum deinde Brugenſibus donavit.*

Æſonidemque ſuum celebrent, Tritonide primùm
Æquora tentantem pinu, taurosque domantem,
Æripedes tauros, inſopitumque draconem,
Militiamque novam, juvenes è dentibus ortos.
Quod tantæ pretium laudis fuit? aurea pellis,
Cantibus atque herbis (ſi quod celeberrima Grajum
Fabula pondus habet) non vi, non milite rapta.
Cauſa tua eſt melior, quæ te majora moventem
Impulit armatis longinquum claſſibus æquor
Metiri 2 toties. Nec pars eſt ulla laboris
Ficta tui. Tua te pietas, tua maxima virtus
Ad Solymen, & ſideribus diſtantia totis
Litora, Flandrorum vires & caſtra vehentem,
Dis belli molem cauſamque tuentibus, egit.
Nec te ullæ leti facies, non terruit hoſtis
Sævior Ææum monſtris ſervantibus aurum.
Felix, cui quantò lana pretioſior aurea
Divinus ſanguis, tantò præſtantius illinc
Quæſitum eſt ſpolium, merces & cauſa laboris.
Ille triumphalis pompæ decus: ille tuarum,
Omnia contuleris, pars eſt pulcherrima laudum.
Te meritò ante alios magnis heroibus addit
Flandria, quos olim auſpiciis felicibus actos,
Ardenteſque animis, cauſaque, armiſque valentes
Sidonio immiſit pelago, Syriæque vocanti.
Ipſe tibi (tantùm cœptis non lævus Apollo
Grandibus adſpiret) Pario de marmore ſignum
Conſtituam, memoreſque notas ſub imagine ſculpam.
Cùm domitus bello Nilus, tractuſque legetur
Sub juga Jordanes, Flandriſque aſſertus Orontes,
Quæque tibi palmas & ſe ſubmiſit Idume,
Et Tyros, & Tripolis, quaſſataque Marte Damaſcus,
A te geſtarum ſeries longiſſima rerum,
Hoc ego tot titulis fulvo ſpectabile in auro

2 *Quater cum copiis in Syriam profectus eſt Theodoricus.*

Adjiciam: ALSATIUS SACRUM TIBI,BRUGA, CRUOREM.

Et dubites, quando cælum te, Carole, quando
Bruga vocat, frontem vittis, onerique tiarę,
Atque adeò magnis animum ſubmittere curis?
Nam neque quidquid opum fert India, nam neque rubri
Litoris exuvias, nec quod felicibus aurum
Eruit è terris Perve, tua cura tueri eſt.
Grandius his pretium tibi creditur. Heu quibus illud
Eductum venis totum diviſit in orbem
Dantis amor! quàm multiplici de vulnere fluxit!
Hic cruor, hic ipſe eſt, trunco quem fudit ab alto
Magna Dei ſcboles, durę data victima morti:
Quo ſcelus antiquum, ac vitę contagia noſtrę
Abluit, & juſtas exſtinxit Numinis iras.
Illum adeò ſancti heroes, dum flebile corpus
Crudeli exemptum ferro, lignoque refixum
Excipiunt flentes, & latos vulnerum hiatus,
Et jam concretas letali frigore guttas
Albenti abſtergunt ſtrophio, legiſſe feruntur,
Et lectum feris ſervaſſe nepotibus, olim
Donandum templis, ariſque, & ture colendum.
Salve ingens orbis pretium, paciſque perennis
Mortaleſque Deumque inter venerabile pignus,
Sancte cruor, quem gens odiis impulſa nefandis
Expreſſit morte in media. Tu corporis olim
Sentibus & clavis laceri, ſectique flagellis
Impleſti venas, Te viſceribus proruptum
Hauſit amor. Tu nutribas pręcordia circum
Fervidus ipſum illum, qui te prodegit, amorem.
Nate Deo, vindex generis fortiſſime noſtri,
Tene iſto viles animas, patriique, ſuique
Damnatas ſceleris, necti devota profundę
Opprobria, ęternis Erebi cohibenda catenis
Dignatum pretio! Nos? in te quidlibet auſi
Nos tanti fuimus? non te ignorantia veri,

.Non

Non aliquid noſtri, ſed vis huc egit amoris.
Obruimur meritis. Quæ dono reddita tanto
Gratia, qui cultus fuerit ſatis? Ite frequentes,
Ite boni, date thura, Deumque agnoſcite in illo.
Sacra vocant, & feſta dies, qua Carolus aureo
Pontificum effulgens lituo, claruſque tiara
Templa ſubit. Quos ille ignes, quos concipit æſtus
Pignoris aſpectu tanti! Dum bellua pugnat,
Dum turres fetas armis fert ardua dorſo,
Si tantùm quos arbor habet Thisbeja ſuccos
Viderit, igneſcunt animi, ſubit ira paventem
Proculcare aciem, & totis dare funera caſtris.
Quid non divini ſpecies objecta cruoris
Efficiet? ſibi conſtat adhuc, ſimiliſque recenti
Eſt color, & longo ſervat ſe vividus ævo.
Quin etiam viſus quondam 3 poſuiſſe rigorem,
Et liquidus fluere, & trepidis efferuere guttis,
Qualis ubi venis primùm ſtillantibus ibat.
Concretum ſolvebat amor. Quod fecerat olim,
Hũc iterùm atque iterùm nobis dare velle putares.
Hoc tibi dum cæli magnum & memorabile donum
Ante oculos interque manus verſatur, ab illo
Ingentes tibi ſponde animos, certumque tuorum,
Carole, præſidium. Non lapſa ancilla cælo,
Non Veſtæ focus, æternæ ſpes altera Romæ,
Imperii tam certa fuit tutela Latini.
Ipſe etiam tibi de ſupera Pater 4 annuit arce,

3 *Admirabile illud fuit, quod ab anno 1148. uſque in annum 1309. vitro cryſtallino incluſus ſanctus Cruor, tota hebdomade quaſi concretus dēſatuſque perſiſteret: at qualibet hebdomadis ſexta die a primo diluculo in horam tertiam pomeridianam, quæ Chriſti ſupplicis finem attulit, guttatim ſtillaret, & liquidiſſimo fluxu ab imo ad ſummum ferveret atque ebulliret; & tum in duritiē rurſũ coaleſceret, ac ſtiparetur. Ita Clem. V. in diplomate Pontificio.*

4. *S. Baſilius, cui Theodoricus templum poſuit, ut in eo ſacer Cruor religioſè aſſervaretur.*

Cui templum Bruge poſuit, pignuſque verendum
Credidit, & pariter ſpes fortunaſque ſuorum.
Illum olim fruſtrà profugum, fruſtraque latentem
Silvarum abſtraxit latebris, ſolioque locavit
Græcia, Cappadocumque ſacris præfecit & aris.
Illum fulminibus linguæ & cæleſtibus armis
Terribilem ſenſere Erebi furialia monſtra,
Eunomiuſque, Valenſque, Arri infelicis alumni,
Unigenamque Deum contra nova bella moventes.
Te quoque ſic præſens ſtimulet Deus. Illius aris
Depoſitum ſervas, quod te quoque ſervet, onuſque
Sublevet impoſitum, vires infringat Averni.

FAVE.

FAVE BRUGARUM PRÆSIDIUM,
ET, QUO NULLUM EST
COGNOMENTUM DULCIUS,
PACIS CONCILIATOR,
S. DONATIANE,
INAUGURATO ANTE ARAS TUAS
C A R O L O;
PACATA PER TE SINT OMNIA.
ARDEBAT OLIM
BELLO GALLICOFLANDRIA,
INTESTINIS ODIIS BRUGA.
EXTINXISTI FUNESTA INCENDIA,
DUM NUNC PACEM OMNES POSCUNT
REGES DIFFERUNT,
SERVET ILLE TE AUSPICE
INTER ARMA PACIS MORES,
SIC OPTIMUS VINDEX DILATÆ.

SENATUI, POPULOQUE

BRUGENSI

SUB EPISCOPO SUO

PACEM

ET CONCORDIAM.

Non ego, dum ſævus nec adhuc placabilis iras
Mars fovet, & laceræ mœrent cum civibus urbes,
Non ego, Bruga, tibi longi ſolatia belli
Vana fero. Si pax nondum ſperataque regum
Fœdera te feſſam relevant, nondumque cruentum
Hoſtibus extorſit ferrum Leopoldus: at ille,
Infula cui ſacris præcingit tempora vittis,
Par aliquid, dignumque ſuo tibi præſtat amore.
Ille animo ingenti populum complexus & urbem,
Arma inter (quamquam illa procul nunc, Axona roſtris
Infeſſus ſignis, limoſaque abditus ulva
Viſa pavet). pacis mores legeſque tenebit,
Dilatæ vindex. Longè tibi ſqualida crinem
Anguibus, & ſciſsa incedens Diſcordia palla:
Longè Odia, & fuco hoſtilem Fraus oblita vultum,
Et ſcelerum prima inventrix & cauſa Cupido.
Dira Erebi portenta! domos, commercia, leges,
Omnia præcipiti miſcere aſſueta tumultu.
Excipe quem precibus Divos lacrymiſque rogabas,
Excipe, Bruga, virum. Facies mitiſſima rerum
Illius auſpiciis veniet. Præcedet euntem,
Qua ſecumque feret, placido Concordia vultu,
Et ſecura Quies, & non turbanda Voluptas.
Inque vicem jungent dextras ignara nocendi

Sim-

Simplicitas, & cana Fides, terriſque videri
Gaviſa Erigone. Quin & tibi candida Nais,
Dictæo regem puerum quæ pavit in antro,
Pacis amans, Paci ſemper gratiſſima Nais,
Munera, quæ pleno ſervat bona Copia cornu,
Lætitiamque feret. Nondum tua gaudia, nondum
Quæ tibi pacato venient uberrima cælo,
Bruga capis. Viden' ut, ſacras dum altaria circum
Carolus induitur vittas, lux aurea cælo,
Emicuit? 1 Pater ecce, Pater qui præſidet ædi!
Æternumque ſuo fecit de nomine nomen,
Ritibus aſpirat primis, pacemque per aras
Poſcenti populo dulcem reſpondet amorem
Agnoſco! accipioque, Pater; tuque o bona mecum
Augurium agnoſce, & læto clamore ſaluta.
Non aliis tam præſentem cognoſcere Divum
Conceſſum terris. Illi tu maxima cura,
Quando illi templis nuſquam majoribus aræ
Thure calent. Rhemi veteres, quos legibus olim
Sacrorum erudiit, ſuperaſque evexit ad arces,
Inferius te nomen habent. Hic illius oſſa,
Hic cineres: hic ſpirat adhuc & vivit in illis
Non moriturus amor. Dum, quas tutabitur, aris
Dignus honos, longa tutam te pace fovebit,
Præſidioque teget. Sæpè ille furentibus undis
Surdius & ſcopulis ſubitò miteſcere vulgus
Juſſit, & irarum motos ſubſidere fluctus.
2 Ille etiam inter ſe ruptis dum legibus urbes
Arma ferunt (teſtor medio flagrante tumultu
Illius attactu cinerum ſanata repentè
Corpora) pace data ſceleratos condidit enſes.

Q 6 Ille

1 *S. Donatianus, Rhemorum Epiſcopus, ut is Brugenſis & primarii templi Patronus.*

2 *Flandria in factiones diſtracta tumultus Brugis ſedatur S. Donatiani reliquiis publicè expoſitis, ad earumque contactum puer claudus & paralytica mulier ſanantur.*

3 Ille etiam regum pugnas & bella diremit,
Et generos ſoceris concordi fœdere junxit.
Flandria, Silvani quondam Dryadumque ſororum,
Dum nemora & ſaltus ſtabant, gratiſſima ſedes,
Da veniam, ſi te veterum meminiſſe malorum,
Jamque tot obductum ſæclis reſcindere luctum
Cogimus. Eſt quædam vulnus tractare voluptas
Dum colit, telumque alto quod pectore ſedit.
Scis Mater, ſcis ipſa (exorſa hęc 4. namque tuorum
Prima recognoſcis decorum) quo Ferreus olim
Te tuus implicuit bello, dum regia lęvis
Quæritur ominibus virgo, thalamoque jugatur.
Multi illam regno è patrio totaque petebant
Europa: nondum plenos adoleverat annos,
Conſortis crudam thalamo rex ipſe Britannus
Reginam adjungi miro properabat amore.
Dum ſpes quiſq; ſuas, & quos fovet, adjuvat ignes,
Ingenti ante alios curarum fluctuat ęſtu
Ferreus, & thalami metuens certamine vinci,
Non regem tentat ſocerum, moliitque precando,
Sed facit. Ergo animi victus, calidusque juventa,
Omnia nil placidum thalamis ſpondentia ridet,
Nupturamque rogat: nec ſe negat ipſa roganti.
Quid faciant? clàm pacta fides & mutua jungit
Cura duos. Dum nulla viam cuſtodia claudit,
Diffugiunt furtim celeres, & tuta capeſſunt.
Nil facti novitas, ruituraque fama per urbes,
Nil patrius terret furor, & metuenda potentum
Quantumvis ſummota manus. Temeraria ſepè
Res

3 *Balduinus Ferreus Juditham Caroli Calvi Galliæ Regis filiam lubentem quidem volentemque, ſed invito patre è Gallia domum duxerat. Id bello cauſam dedit.*

4 *Reconciliatus ſocer Balduinum creavit primum Flandriæ Comitem, donavitque dotis nomine tota illa regione, quæ Scaldi, Somona, Oceanoque clauditur. In reconciliati amoris pignus addidit reliquias S. Donatiani.*

Res amor eſt, damniſque ſuis, quæ ſentit, inhæret,
Ignoſcitque ſibi. Quantis dotabere rapta
Funeribus; qui te caſus, quæ bella ſequentur!
Non Pax, non roſeas præfert tibi Gratia tædas.
Pronuba te Bellona manet: mœſtoque Hymenæus
Lumina dejectus vultu, quæ nuntiat, horret
Arma; faceſque ſuas, dum magni incendia belli
Præſagit metuens, à tanto vindicat igni.
Notus amor Paridis, nota eſt injuria: notus
Atridæ dolor, atque ardens face Troja jugali.
Hei mihi quas campis acies, quos Flandria luctus
Aſpicies miſeranda! quibus terroribus urbes
Implebis patrias! Etiam tibi partus Achilles,
Qui nuptam repetat. Furor undique, & undique ſtrages,
Armorumq; horror, gemituſque in ſtrage jacentum.
Me miſerum! prohibete iras, prohibete furorem
Cælicolæ. Xantum hic alium, Simoentaque cerno
Sanguine ſpumantes noſtro. Raptata ſub undis
Corpora tardati nequeunt evolvere fluctus.
Bis magno quamquam ſocerum cet armine victum
Fregerit, armata referens ſua nomina dextra
Ferreus, atque acri ſponſæ inflammatus amore,
Jamque adeò irarum cauſæ; bellique furores
Omnia miſcuerant, cùm tanto in turbine rerum
Sollicitus Pater ætherea reſpexit ab arce
Colliſos bello populos. Olli æthere ſummo
Aſtabant Divæ centum, pacalibus omnes
Velatæ ramis, omnes æterna paratæ
Fœdera conciliare, animoſque inhibere furentum.
Quarum quæ Divum cineres venerandaque gaudet.
Pignora dignari templis, certiſſima tanti
Dux operis legitur. Quam vultu oculiſque ſerenis
Jam dudum aſpectat Pater, ac dein talibus infit:
Vade age, & hæc celeres Calvo fer dicta per auras,
Abſiſtat bello, neve intractabilis iræ.

5 Romano Patri, cujus ſe Ferreus ultrò
Credidit arbitriis ſupplex, parere recuſet.
Non generum regno indecorem, prolemque videbit
Indignam thalamis. 6. Illa de ſtirpe nepotes
Illuſtres ſurgent animæ, quas Marte togaque
Præcipuas, fama virtus æquabit Olympo.
Certè hinc invictos bello tabularia Divum
Hinc fore ductores memorant, qui Boſphoron armis
Invadant patriis, validaque Propontidos æquor
Claſſe tegant. Illis ſceptro ſolioque potitis
Submittent domitos Byzantia litora fluctus.
Illos Antiochis, illos regnata Seleucis
Oppida, & Odryſiis Solyme reſoluta catenis
Quadriugo in vectos curru, lauroque revinctos
Excipient. Sæpè & ſpoliis Orientis onuſtos
Laudabit reduces, partoque aſſurget honori
Gallia. 7. Nec reges pueros pariterque potentis
Tutelam regni tantis virtutibus olim
Subnixam non eſſe volet. Quid fœderas durus
Abnuat, & de ſe ſtirpis ſurgentis honores
Felici invideat thalamo? Satis arma ſuperque
Præreptas tædas temerataque jura piarunt.
Hac traxiſſe tenus vario diſcrimine pœnas
Fas fuerit, patriumque armis expleſſe dolorem;
Nunc placidum in Flandros animum mentemque
benignam
Mitior accipiat, generoque in pignus amoris
Corporis exuvias noſtri tranſmittat habendas.
At tu pignoribus noſtris pulcherrima famam

Bruga

5 *Nicolai I. Pontificis Romani auctoritatem ad placandum ſocerum regem imploraturus Balduinus, Romam unà cum uxore profectus eſt.*

6 *Celeberrimus omniumq; nobiliſſimus Flandriæ Comitatus, è quo Comites bellis ſacris clari, ad Byzantinũ Imperiũ & Hieroſolymitanum Regnum evecti.*

7 *Balduinus V. Flandriæ Comes, ex Henrici Regis Galliæ teſtamẽto, Philippo I. & Hugone adhuc ætate minoribus, Regni Gallici tutelam adminiſtravit.*

Bruga dabis. 8 Bonus hic ævo veniente Philippus
Purpureos inter proceres conſidet & ipſe
Purpureus; cinereſque meos teſtatus & aras
Billonidum flagrans odiis concepta præibit
Fœdera. Tum primùm lectis Heroibus oſtrum,
Velleraque injiciet fulvo radiantia villo,
Vellera, quæ magno accipiant pro munere reges.
Quondam etiam hic noſtris aſtabit 9 Carolus aris
Pontificum vitta inſignis, cuſtoſque tuarum,
Flandria, perpetuus legum. Quibus ille jacentes
Eriget auſpiciis animos! ſolatia mœſtis
Quanta feret! Bellum populos, lacrymabile bellum
Funeraque, & ſtrages, & flenda auctoribus ipſis
Excidia involvent (ſic namque æquiſſimus ultor
Reſcindet ſcelerum peſtes Deus) ille tumultu
Armorum in medio leges firmabit amoris,
Mutuaque æterno conſtringens pectora nexu,
Squalorem & mœſtæ lacrymas ſolabitur urbis.
Carole, te poſcunt hæc tempora: te mea poſcit
Bruga ſibi: ſua vota tuo metitur honore.
Sis felix, & templa ſubi pede noſtra ſecundo.
Et populi quando unanimis lenire voluntas
Tædia, fortunaſque poteſt, & crimina belli,
Spes de te tantas paribus virtutibus exple.
Dixerat: illa ſinus auro collecta fluentes
Protinus imperio paret. Gratatur eunti
Aſtrorum chorus, & liquidā quacumq; per æthram
Tendit iter, divinus odor latè imbuit auras.
Et jam juſſa facit. Belli rex ponit amorem:
Iraque, quam clades, quam regni flectere luctus
Non poterant, Dive monitis infracta quieſcit.
His ſuper, auguſtis rata jam connubia donat
Muneribus: mittunt ſacras tibi, Flandria, Rhemi
Exuvias, pacis numquam violabile pignus,
Depo-

8 *Philippus Bonus Brugis primùm Equites aurei Velleris creavit.*

9 *Carolus vandem Boſch, Epiſcopus Brugenſis, idemque perpetuus Flandriæ Cancellarius,*

Depoſitum pretioſum, ingens. O Bruga quis ille,
Quis fuit ille dies, quo te tot vulnera paſſam
Reſpexit propiùs Pater, indigniſque tot annos
Caſibus exhauſtam longa formidine ſolvit!
Quo ſtudio effuſi proceres, matreſque, nuruſque,
Invalidique ſenes! Nullus celebratior illo
Viſus in urbe dies. Pars ſpargere floribus urnam,
Pars dare thura focis, & Divo dicere laudes
Carminibus patriis. Tibi enim, Pater optime, debent
Omnia, ſervatas urbes, natoſque, lareſque,
Sacraque, fortunaſque, & lętos frugibus agros,
Et quoſcumque vident ſoles fulgere ſerenos.
Tu bellum & belli cauſas in Caſpia tradis
Æquore ferre Noris. Tu blandum pacis amorem
Regibus inſpiras, placidoſque in fœdera mittis.
Fœdera tu, venerande, ſalutiferamque quietem
Concilias. Sis o templis ariſque receptus
Utiliter, populumque juves tibi vota ferentem.
Auxilio tali quid non ſperare juberis,
Carole, ſpes n te quando inclinata tuorum
Nititur, & tanti moles te ponderis urget?
Quam tu urbis cernes faciem, quæ, munere Divum,
Gaudia! quæ ſurget patriis concordia rebus!
Armorum quantum terror ſinet, otia feſſis
Præſtabis populis, & quę Mars plurima ſecum
Damna trahit, dulci miſerans ſolabere cura.
Non iræ, aut odiis uſquam locus: omnia pacem,
Omnia ſpirabunt, qui per te creſce:, amorem.
Ac veluti ęternis cùm Dindyma cana pruinis,
Dindyma, ſeu Rhodope; grata vice veris & Auſtri,
Intepuere, nives victę liquuntur, & altis
Præcipitant ſcopulis undę: pulſata fragore
Saxa ſonant, qualis canibus ſuccincta lupiſque
Scylla fremit, Siculo procùl exaudita Peloro.
Tum flexus poſt multiplices ſi fortè reductum
Nacta ſinum eſt, Boreæ atque hiemis ſecura furentis

Unda

Unda ſilet, ſacris ſilvæ tranquilla ſub umbris.
Haud aliter, dum te tuta & ſecura parente eſt,
Bruga, decus Belgi, tua, Carole, cura, quieſcet.
Heu quianam alternis lacerantur ſtragibus urbes?
Quidve odiis tantis petitur? ſimul omnia credas
In terram è Stygiis monſtra erupiſſe cavernis.
O patria! ò longùm infelix, deſuetaque paci
Flandria, Mavortis ſedes! quis acerba tuorum
Excidia æquarit lacrymis? numquamne levari
Cladibus, & finem dabitur ſperare malorum?
At tu, dum conſtans Amor & Concordia muros,
Bruga, tuos habitat, mediis in luctibus aude
Tollere læta caput, triſteſque reſolvere curas.
Quid tantum hoſtiles iræ, atque immitis Enyus
In te animi poſſint, ſi mens eſt omnibus una,
Unaque vox, unus ſeſe exhortantibus ardor.
Tum non immanis Briareus, Titania proles,
Centenis fidens manibus, non ipſa tenebris
Excita Tænariis Furiarum maxima pacem
Rumpere, non cauſas valeat convellere amoris.
Quidlibet eveniat, ſtantem nil proruet urbem,
Communis quam ſervat amor. Tot corpora pugnant,
Tot vigilant oculi, tot colla humerique ferendo
Succedunt oneri, quot amico fœdere cives
Inter ſe coeunt, ſtudiis opibuſque parati
Conſulere in medium, & trepidis occurrere rebus.
Non illam grati vectes, æternaque ferri
Robora munierint meliùs; non turris ahena,
Foſſarumque moræ, poſitæque in montibus arces.
Reſpice res Italum varias. Non Annibal urbem
Perdere, non portas valuit perrumpere Marſus;
Non Etruſca manus, non qui ſervilibus armis
Auſonios rapuit victo bis Conſule faſces.
Reſpice ſecuram nullis Lacedæmona muris.
Pectora murus erant concordia. Terror & hoſtis
Stantibus addebat vires, addebat amorem.
Sic ubi Strymonios ſævis Aquilonibus amnes

Vin-

Vinxit hiems, tepidæ fumant in fontibus undæ;
Seque antris calor abdit: hiems facit ipſa calorem.
Sic & turritis inſtans è mœnibus hoſtis
Tectam aciem ſupra ſaxorum immania fruſtrà
Pondera devolvit, nexamque revellere pugnat.
Denſi hærent clypei clypeis, junctuſque viro vir,
Atque omnes valida ſubter teſtitudine caſus
Impunè excipiunt. Sic aſper, & improbus ira
Dum procul erumpit ſilvis lupus, agmine facto
Sparſa boum latè campis armenta videmus
Undique confluere, atque adverſis cornibus hoſti
Obſtare: ille pavens, quamvis rabieque fameque
Efferus, exululat, rictuque infrendet inani.
Victus abit: tutæ repetunt ſua prata juvencæ.
Tanta venit junctis vis & fiducia rebus.
Tuque adeò o cuſtos generis, Concordia, noſtri
Huc adæs, utque facis, Brugam tutare, novoſque
Adde tuis animos & inexſuperabile robur.
Te ſine, fœderibus ruptis, & pontus, & aer,
Terraque diſcordes ſine lege, ſine ordine pugnent.
Te ſine nec Titan mundo, nec lumina Phœbe
Præbeat, & rerum moles confuſa fatiſcat.
Te, Dea, te merita redimitus tempora vitta
Carolus ad ſua ſacra vocat: tibi lætus ad aras
Vota facit plenuſque tui. Miſerare precantem
Et fractum bellis populum. Si Ferreus olim
Auſpice te ferrum poſuit, pacemque reduxit;
Si conſanguineis ſtillantia cædibus arma
Munere ſæpè tuo manibus cecidere remiſſis;
Si ſacri Divum cineres, aræque ſacrorum
Cuſtodes cinerum, tua ſi tibi mœnia curæ;
Concordes animas, tutelæ munus opuſque,
Diva, tuæ ſerva, ſtirpeſque excide malorum.

HEROI-

HEROICORUM
LIBER SECUNDUS

CAROLO IV.
LOTHARINGIÆ ET BARRI DUCI.

Cùm Godefridus Bullionius Lotharingiæ Dux, Terræ ſanctæ aſſertor, Hieroſolymæ expugnator, & Rex, à Gymnaſio Societatis Jeſu Bruxellis illi exhibitus, dicatuſque eſſet, ejuſdemque munificentia ſolemnia Juventuti præmia diſtribuerentur, Anno M. DC. XLVIII.

AOnij montes, & doctæ culmina Cirrhæ,
Muſarum, Phœbique arces, aſſurgite cælo
Altiùs. En veſtris iterùm reverentia ſacris,
Priſcaque majeſtas rediit. Neque ſola Calabro
Auſonias vati ſubmiſit Roma ſecures.
Scipiadæ rediere: & belli fulmina & iras,
Armaque Pierio gaudent deponere luco,
Et dulces Martis comites ſibi jungere Muſas.
Immortale, ingens, notum ſuper æthera nomen
Carolus, Auſtraſidum genus alto à ſanguine regum,
Ingeniis, Muſiſque favet. Subit ipſe virentes
Sacrorum ſaltus nemorum, non qualis in hoſtem,
Terrificos cœli tonitrus imitatus, & ignes,
Fertur equo, ſtragemque ciet; qualiſve feroces
Componit, miſcetque acies. Occurrite Divæ,
Et per odoratum lauri nemus, & loca plena
Numine, per rupes, habitataque vatibus antra,
Per Phœbi delubra, per Aoniam Hippocrenen
Ducite, quando ille interea ſecludere magnas

Dignatur curas, & amica reviſere Tempe.
Pacem vultus habet: pacis certamina & artes
Inſtaurans, donis cumulat. Comitantur euntem
Innexę manibus Charites, Pietaſque, Vigorque,
Fit Favor, & placido aſpirans Clementia vultu.
It dextra ſublimis Honor, formoſa Deorum
Progenies, Decorumque pater, quem pone ſequuntur.
Fama ingens meritis, & ovantes carmine Laudes,
Letitię, Plauſuſque. Io date ſerta Camœnę
Auguſto capiti, quę circum tempora ſerpant
Inter victrices quas illi aut Moldava lauros
Detulit, aut Sueco turbatus ſanguine Rhenus,
Tum, ſi quid Regum curas, & triſtia bella
Solari tenues poſſunt, aut fallere cantus,
Tantiſper vacuas belli clangoribus aures
Carminibus mulcete. Dedit, dedit ipſe canendi
Materiem, qualem aut Troję populator Homero,
Aut Anchiſiades pietate inſignis & armis
Andino vati: nunc Muſis prœmia ponit,
Męcenatis opus. Salve fortiſſima bello
Regia progenies, & Muſis nata fovendis.
Tu medios inter lituos Heliconis amorem
Aſpiras: tu ſumma urges ad culmina vates,
Virtutemque tuis creſcentem laudibus ornas.
O mihi ſi quondam umbroſo ſub Phocidos antro
Inſideat tantus vati calor, ut tua facta,
Bellaque, fortunaſque, & quos te volvere caſus.
Impavidum, invictumque animo Mavortius ardor
Impulit, ęternum liceat demittere in ęvum!
Ipſe ego tum noſtris ſublimen in montibus arcum
Conſtituam, bellique notas atque arma ferentem,
Perfectum argento, & barbarico elephanto.
Non hic te primis levia & ludicra ſub annis
Tentantem, aut fictas urbes, ſimulataque veris
Mœnia ſcandentem faciam. Longo ordine ſculpam
Prima rudimenta, & Pragę ſub mœnibus altis
Hercinii ſaltus Nymphas, Albimque, Salamque
Ad

Ad pacem per te, libertatemque vocatos.
Stabunt & Lothari, bellis experta juventus,
Auſpiciis armiſque tuis, cęloque ſecundo
Certa Gothos, ſerta & Gallos ſocia arma moventes
Auſtriadum imperio, totoque avertere Rheno.
His ego Norlingę pugnas, & quid tuus illic
Fernandos inter geminos Mars egerit, addam.
Addam & Danubium & ferventes milite ripas:
Tum vim conſilii celerem, bellique procella
Obruta momento caſtra, hoſtilique madentem
Sanguine Dutlingam, raptaſq;in vincula turmas.
Parte alia Dubim manicis, arctaque ſolutum
Compede, ſecuræ lambentem mœnia Dolæ
Cernere erit, Gallumq; tibi dare terga 1 fugacem,
Inque auro pallere duces, & vertere ſigna.
At m hi ſit, qua frons ſeſe pulcherrima molis
Explicat, in ictum bello, Syriæque timendum
Ponere Gotfredum,gentis decus. Illius arma,
Illius invectas in Idumes regna phalanges,
Ereptamq;jugo Solymam, auguſtumque ſepulchrū,
Liminaque & ſparſum divino ſanguine montem
Ex ebore effingam: ſed non & ſceptra gerentem
Debita, non gemmis radiantem, auroq; coronam.
Heu pietas inſueta! heu numquam viſa triumphi
Præmia! ducentur victricia tempora circum
Implexi ſentes: ſupplex, & ſqualidus ibit,
Perque ſacras nudata feret veſtigia terras.

Tunc

1 *Non ego profectò bellicoſam gentem notare hoc verbo volui,ut quidam putavit,qui me de hoc amicè monuit, cùm hoc poemation ſeorſum, ut tum res ferebat,excuſum legebatur.Horatius equos belli & bellici tumultus aſſuetos,fugaces dixit, id eſt, fugientes: fundum natura fertilem, mendacem, cùm coloni votis forte non reſpondiſſet: Virgilius fugacem illum, quem bellatorem nominaverat. Et non erat quidem commentariolo hic opus: at erit è juventute, cui hæc ſcribimus, fortaſſe aliquis,qui ex nobis hoc primùm diſcet.*

Tunc ego, ſeu ſignis pergas tua jungere ſigna
Auſtriadum, & bello preſſis ſuccurrere Belgis:
Seu proprios certè ſines, alioque gementem
Sub Domino populum recrees, pacemque reducas.
Tunc ego non alio exoptem te bella movere
Auſpice, non alio jubeam ſperare triumphos.

ORDINIBUS FLANDRIÆ.

Cùm Evangelicam Lucem in Emblematum velo translucentem illis dedicaret Henricus Engelgrave Societatis Jeſu.

EXorere, & totum radios diffunde per orbem
Aurea lux. Non te Pyroeis, & Eous, & Æthon,
Sidereuſque Phlegon, quamquam per inania currus
Phœbeos rapiant, & puris ęthera luſtrent
Ignibus advexere. Tuus formoſior ortus.
Tu face, tu flammis triſtes melioribus umbras
Diſcutis; & quantùm, cùm cornua plena refecit,
Cynthia Luciferum, quàntùm Sol igne ſororem
Nativo exſuperat, tantùm tu publica mundi
Sidera. Temporibus certis ſurguntque, caduntque,
Noxque tenebrarum metuenda horrore ſuarum,
Cùm latuere, redit. Non tu fugientibus horis
Occidis, aut cæcis ſubducis lumina terris.
Æternum fulges: ęterno à lumine ſemen
Accipis, haud ulli patiens concedere nocti.
Olim atras inter tenebras umbraſque fuere
Prævia ſigna tui, quas Euphratea ſecundùm
Flumina Buzides vidit volitare quadrigas
Ardentum plenas radiorum, igniſque coruſci,
Totus & ipſe igni, & radiis cæleſtibus ardens.
Axis erant flammæ, temo, mirabile, flammæ,
Flamma rotæ, radiique, & lora nitentia flammæ.

Electra

Electra aſpiceres mediis illudere flammis
Aurea. Concordes ibant ad frena jugales
Fulminibus ſimiles ardentibus. Omnibus una,
Et diverſa tamen facies, & quæque figuris
Bisgeminis variata. Aquilæ, fulvique leonis,
Et bovis, & veros hominis ſimulantia vultus
Ora ferunt omnes, habileſque volatibus alas.
Regina alituum pennis ad ſidera niti
Velle videtur, & adverſi patientia ſolis
Lumina defigit cælo, quò tendere contrà
Terreno nequeunt hebetes in corpore ſenſus.
Additus eſt olli juvenis, vocemque, coloremque,
Oraque mortali ſimilis, ſed qualis ab alto
Delapſus terras ſubiit Deus, unus utrumque.
Tum leo ſilvarum dominus. terrorque ferarum,
Torva tuens, animiſque refert fremituq; tonantem
In ſilvis vatem, & pueros, matreſque, viroſque
Ingenti effuſo ſtudio ad nova ſacra vocantem.
Cornibus, & lata ſpectandus fronte juvencus,
Qualis opima tuis, Solyme, ſtetit hoſtia templis,
Uno eodemque coit mirando in corpore nexu.
Omnia quæ quondam Nabathæa ad flumina vates
Attonitus claris vidit rutilantia flammis,
Confeſſuſque Deum, noſtris neque vocibus uſus
Edidit: ęterni ſervant oracula faſti.
Illa fuere tui, Luxo pulcherrima, quæ nunc
Orbe diem toto ſpargis, ſplendoris imago.
Hæ facies, hi te currus, axeſque rubentes
Ignibus, hi volucres curſus tantò antè notabant.
O cœli decus! o noſtrę dux una ſalutis,
Æternum jubar, & mundi melioris origo!
Quis te, quis tantos oculis mortalibus ignes
Hauriat? infirmę vires, acieſque retuſę
Ferre negant. Vis tanta tuę eſt & copia flammę!
Ut tamen optato, qua fas eſt, lumine detur
Poſſe frui, obtendit tenuis tibi nubis amictum
Docta manus, pictiſque obnubit lumina velis.
Ac velut objecta cùm Sol ſub nube latentes.

Diſſi-

Diſſimulat radios, quamvis non cernitur ulli,
Scire tamen poſſis, quo cæli limite curſum
Obductus teneat, prætentaque nubila vincat
Sic etiam poſitus: totum non occulit umbra:
Illa jubar tantum minuit, non eripit orbi.
Haud ſecùs, ut cerni poſſis, & ab æthere lumen
Innocuum & terris meliùs ſpectabile fundas,
Obduci nitidos pateris velamine vultus.
Vos hæc, vos propiùs radiis fulgentibus afflat,
Flandrorum Proceres, oculoſque invitat, & ultrò
Spectandum ſeſe varia ſub imagine præbet.
Huc geminas acies, huc totam advertite mentem.
Volvimur, & cæcis ſpes noſtras credimus undis.
Nec tam Getulæ Syrtes, ſuccinctaque ſævis
Scylla rapax canibus nautæ metuenda Sicano,
Quàm mens noſtra ſibi. Scopulus ſua cuique cupido eſt.
Nec tot in abruptum puppes vorat alta Charybdis,
Infamiſque ſinus Maleæ, quot livor, & ira,
Ambitioque, metuſque, humani pectoris æſtus,
Exitio triſti involvunt. Heu! litora pauci
Tuta tenent, dum, quò præceps rapit ardor, aguntur,
Dum vada nulla cavent. Et vobis gratior ulla
Lux cęlo veniant, quàm quę brevia inter & ęſtus
Vos regat, & curſus jubeat ſperare ſecundos?
O navis ſecura tui, dum turbida ponto
Surgit hyems, & nox tenebris hiemiſque ſuiſque
Incubat! o quid agis? quem monſtrant lumina portum
Reſpice. Nonne vides, ut malus ſaucius Euro,
Antennęque gemant, atque imperioſius ęquor
Convulſę nequeant ultrà durare carinę?
At, niſi ludibrium debes miſerabile ventis,
Nec placitos, qui te fallent, reſpexeris ignes.
Heu nihil infidę fas quemquam credere luci!
Quos procùl Euboico de litore Nauplius ignes
Suſtulit, Argolicas traxere in ſaxa carinas.

Te

Te ſequimur, Lux alma, vię dux optima noſtræ.
Nulla Pharos, cùm certa negant ſe ſidera nautis,
Tutiùs errantes deducit in æquora puppes.
Te ſine cęca via eſt: horrent obſeſſa tenebris
Omnia: lux ſi quę rimis aliunde malignis
Proditur, in ſcopulos & ſaxa latentia ducit.
Ne mihi, ne rigidi diſtent pręcepta Catones
Intonſique Numæ. Non ſanguine ſcripta Draconis
Jura, Therapnęique morer decreta Lycurgi,
Utiliter quamvis & honeſtè plurima dicant,
Et peccare vetent: ſuus eſt tamen error in illis.
Sanctius his aliquid ſuperis è ſedibus orta
Lux aperit. Falli prohibet, Verumque, Bonumque
Detegit, & quidquid dubiis Prudentia rebus,
Temperies lætis, duris Conſtantia poſcit.
Hæc ubi ſe prodit, pariter Reverentia legum,
Et Pacis nutrix Pietas, & neſcia fraudis
Incorrupta Fides manifeſta in luce refulgent.
Excedunt Erebi peſtes, Injuria recti
Contemptrix, rituſque audax abolere priorum
Impietas, miſerique parens Diſcordia Belli,
Et Mala Mens culpæ pallens horrore, ſuique.
Voſque adeò, quos res patriæ bellique domique
Grandibus exercent curis (ſic Flandria veſtris
Tuta ſtet auxiliis, nec triſtes horreat ultrà
Armorum ſtrepitus; ſic Pax dulciſſima rerum
Pertæſos Martis populos urbeſque reviſat)
Inſcriptum vobis monumentum & pig..us amoris
Conveniente operi, placidoque admittite vultu:
Quòd ſi aliàs docti vobis placuere labores,
Nunc certè placeat, quę, dum gratiſſima mœſtæ
Reddita lux patriæ eſt, lucem quoq; pagina præfert.
Lucem immortalem, qua Di..um arcana retexit,
Et recti pravique vias, cælique vocantis:
Qua veniente novi venit quoque temporis ætas,
Et, quo nunc fruimur, ſęclorum ſanctior ordo
Si ſinerent vires, aut ſi quid vota valerent,
Pyramidas ſuper, aut Rhodii ſimulacra coloſſi

Eductam cælo Morinorum in litore molem
Poneret ex merito noſter labor. Hic ego duris
Neptunum exutum vinclis, portuſque recluſos,
Et captas cælarem urbes. Hic maxime ſtares
Auſtriade clypeoſque ſuper fulgentiaque arma
Aureus. Armatæ ſtarent circum oſtia puppes.
Claſſibus adverſæ claſſes, effictaque in auro
Æquora fervere nt navalis imagine pugnæ.
Utque ſui vobis debet victoria partem,
Partem opere in tanto veſtrum quoque nomen haberet.
Nunc quoniam ſolis hoc poſſunt carmina votis,
Sit liber hic grati, quod vobis Flandria debet,
Obſequii vivax teſtis: ſit temporis hujus,
Quo veſtris etiam ſtudiis opibuſque receptæ
Exultant urbes, monumentum in ſera ſuperſtes
Sæcula, marmoribus ſolidoque perennius ære.
Si qua fides vatum auguriis, dum magna vigebunt
Nomina, dum meritis ęqui ſolventur honores,
Dum Patrię Patres vos dicet Flandria, vivet.

FER-

FERDINANDO PHILIPPO GUILIELMO,

JOANNIS ADOLPHI

Comitis Schvvartzenbergii, &c.

AUREI VELLERIS EQUITIS FILIO,

GENETHLIACON.



AMICE LECTOR, *Non exiſtimo grave tibi futurum, ſi priùs te paucis morer, quàm appoſitam geneſin inſpicias, & paullò poſt verſu deſcriptam legas.* Mathematici, *inquit Tacitus, cùm diis loquitur, qui novos motus, & clarum Othoni animum obſervatione ſiderum affirmabant*, genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in civitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur: *Et ita quidem variis edictis & ſenatus conſultis abire ex urbe atque Italia juſſi ſunt, interdum & Tarpejo ſaxo dejecti. Verùm ut quiſque ferè futura*

 rum.

rum rerum auguriis capitur, & cupidine ingenii humani libentiùs obſcura creduntur fit, ut dum levia hæc atque inepta ingenia blandiſſimis deſideratiſſimiſque promiſſis ſiderum vires addunt, & mendaciis ſuis caliginem objiciunt, audiantur. Quid igitur? egone me huic negotioſiſſimæ vanitati imiſcere volui, præſertim cùm divinis vocibus atque oraculis inſana illa vaticinandi libido atque temeritas coercita ſit? Minimè verò. Non ego fixas erranteſve ſtellas conſulere, non ullius vitam, non caſum ullum in fictis earum domiciliis legere didici. Quid quod nec diſſimulem, quàm vanus hic vates fuerim, cùm à Romanorum Rege, quem ego majeſtatis patriæ certiſſimum heredem nominavi, multa puero pollicebar, cujus nunc acerbiſſimam Chriſtiano Imperio mortem boni omnes lugent. Muſarum igitur eſt quid quid hic dedimus, quæ aliud nihil ſpectarunt, quàm quis eſſet naſcente puero orbium cæleſtium ſtatus, animi cauſa deſcribere, & vota ſua, non à cæli affectione, ſed ab inſigni erga illuſtriſſimam familiam, ſobolemque ex ea propagatam ſtudio profecta, ornatius explicare.

ILluſtres animæ, quas cælo Martia virtus
Addidit, inq; ſuis gens Schvvartzenbergia ceri
Læta recognoſcit, parvum ſpectate nepotem,
Qui primùm teneris implet vagitibus auras.
Nunc vultu; belli ſtudiis & laudibus olim
Vos referet: neque deluſos ſpe tollet inani
Nota ſecuturus veſtigia. Vos modo cunas
Cingite, qua toties cinxiſtis tempora, lauro.
Eſt aliquid veſtros annoſa per atria vultus
Ordine ſpectari; finitaque bella triumphis,
Et genus, & titulos, & res, & nomina regum
Subſcribi ſtatuis. Sed non ſimulacra vetuſtæ
Laus ſunt prima domus. Debent ſcultoribus artem
Omnia ſint ſimiles vultus, habitumq; vigoremq;
Ardenteſque oculos, nihil eſt in imagine vitæ.

Hic puer, hic veſtræ major virtutis imago eſt.
Vivitis Heroes, ſeries longiſſima, tanti
Sanguinis auctores, & adhuc ſupereſtis in illo
Pectore. Non toti fato ceſſiſtis & umbris.
Sic clypeum, ſic arma geret, ſic agmina ducet,
Sic ruet adverſas acies, ſtrageſque feretur
Per medias, ut vos olim, cùm Gallia ſenſit,
Fortia quid poſſent, ſecuraque pectora leti,
Aut cùm fulmineis fregiſtis Biſtonas armis.
Hæc ego non vanus, nec veri improvidus auctor
Vaticinor. Produnt animorum ſemina vultus.
En tenero quantus puero vigor! en ut ocelli
Sideribus ſimiles radiant! utque ora, genæque,
Quamquam cognoſci poſſit quoque mater in illis,
Plus tamen & patriæ ſpirant virtutis, & acres
Promittunt animos, & dignas ſanguine vires?
Qualis ubi perrumpit humum, tenerumq; cacumen
Surculus exeruit ſilva Dodonide natus,
Si primæ vigeant frondes, ſi recta valenſque
Surgat, & enodi tollat ſe ſtipite virga,
Arbor erit firmo ſolidiſſima robore, quæque
Subjectum exſuperet frondoſo vertice lucum,
Contemtura Notos, actoſq; Aquilonibus imbres:
Sic pueri æthereas primùm venientis in auras
Et color, & ſpecies, & vultus, & omnia fortem
Quę ſpondent animum, laudis ſunt ſigna futuræ.
Ipſe genus, generiſque ſui ſentire videtur
Auctorem. In primo tantus vigor eminet ortu.
Ipſa etiam Natura nihil neglexit in illo,
Sollertique manu formatos corporis artus
Magna anima dignum hoſpitium ſedemq; paravit.
Eſt locus æterni ſedes placidiſſima veris,
Uber aquis: ſpirant Zephyri, puroque recentes
Nectare perfundunt flores: cum floribus herbas,
Et gravidas fruges, & poma gravantia ramos
Semper alit, ſemper ſimilis ſibi parturit annus.
Naturę domus eſt. Solio ſedet illa virenti
Sublimis: roſei vultus, plenuſque vigoris

Ore color: turgent niveo rorantia lacte
Ubera præcingunt frondes & poma capillos.
Verſicolor veſtis, molli quam texuit auro
Ipſa ſibi, pictamque manu variavit & arte.
Materiam ars ſuperat. Namq; illic æthera magnum
Fecit, & æthereis infixos orbibus ignes.
Addidit & pelagi tractus, fluviosque, lacuſque,
Paſcuaque, & campos, & opertos arbore montes.
Terra feras, volucres aer, genus omne natantum
Æquor habet: veros credas frondeſcere ramos
Arboribus, veros in aqua colludere piſces,
Deferri veris volucres per inania pennis.
Mille dea eſt ſollers operum, gremioque feraci
Mille parit rerum ſpecies, dulcemque laborem
Aſſiduè exercet, vitaſque & corpora fingit,
Frigida permiſcens calidis, humentia ſiccis;
Illa ſolo fixos frutices, ſtirpeſque virentes
Educat, & libro truncos & cortice veſtit;
Hos foliis, alios follis & fetibus ornat.
Illi ſe debent volucres, pecudeſque, feræques
Quique aut fluminibus vivunt, aut æquore piſce
Illa etiam noſtros effingit ſedula vultus,
Artificique manu nervos componit & oſſa,
Corporeoſque ſuis attemperat uſibus artus.
Ut facies, ſic ingenium non omnibus unum.
His roſeo teretes diſtendit ſanguine venas:
Terræ plus aliis, aliis plus adjicit ignis,
Plus aliis frigentis aquæ, quæ corpore toto
Diffita ſurgentes habetat ſub pectore flammas.
Præcipuè Heroum ſunt illi corpora curæ,
Quorum humeris pax, & bellum tutelaque legum,
Et populi, & regum, quanta eſt, fortuna recumbent.
Illis vivaces circum præcordia flammas
Subjicit, & puri vitales ætheris auras.
Uraniæ in parte eſt operum. Quod durus iniquis
Saturnus radiis, quod lætis Juppiter afflat,
Quod Sol, quod Phœbe, quod fert Cyllenius ignis,
Artubus inſinuat, teneroque in corpore miſcet.

Par-

Parve puer gaude. Tibi enim, tibi munera larga
Multa manu Natura dedit, ſimileſque paternis
In te fudit opes, & avitæ ſemina flammę.
Illa tibi ſuccis finxit melioribus artus,
Implevitque tuas generoſo ſanguine venas.
Plebeię nihil hic animæ, nil pectore toto
Frigoris ignavi, vegetos quod ſopiat ignes.
Inſita vis nervis: ardor pręcordia circum
Vividus. In quantum creſcunt hęc brachia robur!
Brachia, quę molli nunc ſtringit faſcia nexu;
Sublatura enſem, veniat modò fortior ętas,
Fulmineum, ardentem, quem multa cęde tepentem
Converſæ metuent acies, jugoliſque retundens.
Non laudum expertes curæ, non otia fracto
Eripient animo vires, aut corpora ſolvent.
Arma inter clypeoſque, puer, reptabis, & inde
Sæpè tibi, patria ludes cùm parvulus aula,
Majorum effigies, celebrataque nomina faſtis
Monſtrabit pater, & verbis hæc dulcibus addet:
I puer, i quò te repetentem exempla tuorum
Dura rudimenta, & paribus quoque gloria factis
Extendenda vocant, ſtimuliſq; potentibus urgent.
1 Ille, vides? chlamyde, & pictis ſpectabilis armis
Additus Auſtriadæ comes eſt, cùm divitis olim
Imperii hæredem thalami ſibi fœdere junxit,
Dotales terras, ſeu quas Burgundia, ſeu quas
Læta parens frugum ſpatioſis finibus ambit
Belgica, legitimi pretium ſortitus amoris.
2 Proximus ille, ingens fama, & quę maxima famę

R 4 Pars

1 *Pueri hujus tritavus Erchingerus Maximilianum I. Archid. Auſtriæ, poſteà Cæſarem, in Belgium comitatus eſt, cùm Mariam Burgundicam ducturus eſſet: ei deinde in primariis belli muneribus operam præſtitit.*

2 *Atavus Guilielmus I. ſub Carolo V. Imper. rebellium Alſatię, confiniumque populorum copias fregit, fugavitque, ac tandem in Friſia Cæſareis armis, totique exercitui præfuit.*

Pars fuit, Auguſti laudatus Cæſaris ore,
Alſatiam, bello victor, populoſque feroces
Contudit, & domino rurſum parere coegit,
Illum etiam Friſii, illum etiam videre Sicambri
Cæſareas ducentem acies: ſenſere ſuperbi
Terribilem; placidum victi, pacemque precantes.
3 At cui pulcra nitet cælata in caſſide laurus,
Hic tibi degeneris dum te quoque bella vocabunt,
Eximet horrorem leti, leto ipſe perennem
Mercatus laudem, nec famam paſſus inulti,
Dum pavidus capitis trepidavit Somona ripis,
4 Huc faciles nunc verte oculos, hos aſpice vultus
Illuſtris proavi. Viden', ut vigor igneus olli
Luminaque ultorem ſpirant ardentia Martem?
Hic vir, hic eſt, qui ſæpè manu furialia Thracum
Agmina. Biſtoniæque infregit cornua Lunæ,
Per gladios, arcuſque, Boryſthenidumque ſecures
Ferro aditum rumpens: qualis cava dividit igni
Nubila, & horrenti percurrit lumine nimbos
Juppiter, aut fracto violentior obice torrens
Obvia quæque rapit. Jacet Iſtri ad fluminis oram
Urbs invicta ſitu, & vaſta defenſa palude,
Unde minax Rhenum latè terrebat & Albim
Odryſius. Non hoc virtus Herois & ira
Su-

3 *Abavus Guilielmus II. eidem Cæſari à Conſiliis bellicis, poſt multas expeditiones pro Philippo II. ſuſceptas, in prælio ad Fanum S. Quintini occumbens, avitam fidem in Auguſtiſſima n domum lethali vulnere conſignavit.*

4 *Proavus Adolphus, heros incomparabilis, ſub Philippo II. Equitum Germanorum Chiliarcha militiæ tirocinium poſuit: auſpiciis Rudolphi II. Imper. equitavit primùm, deinde toti exercitui Cæſareo cum imperio præfectus Turcam tunc maximè infeſtum non ſemel repulit. Viennæ Auſtriæ tandem à Cæſare Gubernator conſtitutus, Iavarinum, qua veluti calvi omnia Chriſtianorum propugnacula pandebantur, Turcis eripuit.*

Suſtiniut. Dum cuncta ſilent, & opaca favet nox,
Improviſus adeſt, aditumque per invia nactus
Stagna (fide majus) portas effringit, & urbe
Vi potitur. Quid non interrita pectora cogit
Laudũ amor & patriæ? ſternuntur barbara paſſim
Corpora, perque vias ſtragis cumulantur acervi.
It ſpumans cruor, & rivis defertur in Iſtrum.
Non Cæſar, non Europe ſua gaudia cepit.
At nunc poſt luſtrata tibi decora inclyta gentis,
Ex me diſce puer, quid proles grata parenti
Debeat, & vultus mecum venerare paternos.
Quod tibi ſum, fuit ille mihi, rectorque, paterque
Queis ego te monitis famam ſperare merendo
Juſſit, & ingentes animis aſſueſcere curas.
5 Illum conſiliis Cæſar, ſubitiſque probatum
Caſibus, ante alios magno dilexit amore.
Illius & vitæ metuens, dum viſcere febris
Ureret, & tenuis medica ſpes eſſet in arte,
Virginis auxilium votivo pactus honore eſt.
Jamque adeò, dum ſe morbi vis fracta remiſit,
Damnatus voti, votum pro ſoſpite ſolvit.
O ſic te Cæſar, ſic te, quem nomine reddis,
Cæſare natus ament, & ſit te gloria quondam
Aut pacis ſtudiis, aut belli caſibus actum
(Qualia multa ſibi poſcit molimina virtus)
Impulerit laudem meritis & morte paciſci,
Incolumem cupiant, nec ſint ſine pondere vota!
Quid tibi nunc referam 6 maternæ nomina gentis,
Invictoſque animos? ſcit Pannonis ora, ſcit Iſter

R 5 Vir-

5 *Avus Adamus propter eximias animi dotes ad conſilia ab Optimatibus Imperij certatim quaſi tractus eſt, eoque in pretio fuit Ferdinando II. Imper. vt pro recuperanda ejus valetudine votum B. Virgini fecerit, uti narrat Guiliel. Lamormanni lib. 2. de Virtutibus Ferdinandi cap. 7.*

6 *Mater puero eſt Iuſtina Maria Comes de Starembergh, è cujus familia multi bello, multi primaris in Aula Cæſarea muneribus clari.*

Virtuteſque, viroſque, & bella, & præmia belli.
Et dubitas qua te generis rapit æmula virtus
Ire via, proaveſque nepos æquare ſequendo?
Talibus atque aliis, parvoque plurima quondam
Et pater Æneas, & avunculus Hector Iulo
Rettulit, alta petes; proa voſque imitatus & annos,
Ætatem meritis, & quos imitabere, vinces.
Hoc erat, alme puer, quod cùm te læta recenti
Ediderat partu mater, præſaga ferebat
Uranie, & ſtellis tecum ſurgentibus æther.
Ipſa aderat, mundi ſignis, quibus ima reguntur,
Cæruleos intexta ſinus 7 & cincta coronis
Tempora ſtelliferis, queis cæli inſcripſerat orbes,
Obliquos, rectos, quales ſibi repperit Atlas,
Atlas ſuppoſito qui ſidera vertice fulcit,
Inde Syracoſius ſimili labor extudit arte.
Aſtabant Horæ lateri, quæ lucis & umbræ
Tẽpora, ſignorumque obitus moderantur & ortus,
Et mundi obſervant faciem, qua limina vitæ
Quiſque ſubit. Neque enim ſtellis, ſi lumine puro
Per cælum rutilant, lux & vis omnibus una eſt.
Hæc juvat, illa nocet, primos ut quæque ſub ortus
Hanc afflat pueris, aut hanc naſcentibus auram.
8 Tum cæli non una domus, non una domorum
Tẽperies. Quid quęq; homini pręſtetque, negetque,
Quę det opes adimatve datas, quę faſcibus illos
Admoveat, quę vitæ alios traducat inerti,
Scire nefas Tantùm magnis hæc cognita Divis.
Jamque adeò Uranie tantarum conſcia rerum,

Et

7 *Vraniæ pro corona ſphæram damus, quam Atlas inveniſſe primus dicitur, Archimedes in uſu crebriore poſuiſſe.*

8 *Aſtrologi, ut de futura nati pueri conditione judicium ferant, cælum diſtribuunt in partes duodecim æquales, quas Domos vocant. Quibus conſtitutis obſervant, qui planetæ, quæ ſtellæ fixæ illuſtriores Domum quamque tempore nativitatis occupavint, qui illorum inter ſe aſpectus fuerint.*

Et tibi ter dulcè arridens, terque oſcula jungens:
Creſce puer, dixit, magnorum cura parentum,
Curaque noſtra puer. Priſcis annalibus illi
Eruta ſępè tibi memorabunt fata tuorum;
Nos tua, quę, dum nunc longa digniſſime vita
Naſceris, haud dubio licuit prędiſcere cęlo.
Non ego vana ſequar, non quę longę vus haruſpex,
Dum varium cęli morem, & natalia ſervat
Sidera, mentitur certis portendere ſignis.
Ipſe animos, ipſe ora mihi, vocemque reſolvit,
Cui cęlum, & cęli paret pulcherrimus ordo.
Ille dedit Soli radios, & cornua Lunę,
Et quos nunc cogit, nunc Lucifer evocat ignes,
Orbibus affixit variis, vireſque viceſque
Juſſit habere ſuas, queis mundi temperat horas.
Illius imperio terris & frigora, & ęſtus
Conciliant, curſuſque ſuos ſua tempora norunt.
Illa ignem occultũ venis pecudũque hominumque
Inſinuant, unde & vires alimentaque laudum
Afflati accipiunt, animaſque ad fortia durant.
Illa etiam cęcos regnis inſtare tumultus
Sępè monent, cladeſque, inopinaque funera regum.
At tibi, care puer, primos ſub luminis hauſtus
Quid non felices promittunt ętheris ignes?
Pauca tibi è multis (prohibent nam cętera Divi
Scire hominem, farique vetant) retuliſſe juvabit,
Ut ſpes ipſe tuas, quas produnt ſidera, diſcas.
Principiò Auroram (namque hinc pręſagia vitę
9 Prima petam: vitę tenor eſt quęrendus ab ortu:
Hic Vitę Domus eſt) aurato in vellere fulgens
10 Excepit venientem Aries Ille omine magno

R 6 Te,

9 *Prima, quæ in Oriente collocatur, Domus Vitæ dicitur, ſive Horoſcopus.*

10 *Anno 1652. 22. Maij, hora 2. matutina, minut. 40 qui natalis pueri fuit, in ipſo Horoſcopo, ſeu initio Domus Vitæ exiſtebat Aries, ſidus planè Martiale; finem autem ferè claudebat Mars planetarum omnium bellicoſiſſimus.*

Te, caſuſque tuos, ſubeundaque pondera rerum
Proſequitur, ſtimulatque animos. Illum aſpera quondam
Trans freta vectantem pueros auroque comantem
Spectavit Nereus, cornuque & fronte minacem
Eſſe ſuum voluit Mavors, cęloque locavit
Ter ſenis varium ſtellis, flammiſque coruſcum.
Nec quos ipſa tibi Virtus decernet honores,
Ambiguis notat indiciis. Illa aurea cerne
Vellera, geſtamen regum, pretiumque laborum,
Quale vides humeris, puer, effulgere paternis.
Proximus huic Mavors rutilis emerſus ab undis,
Sanguineumque rubens primo ſurgebat Eoo,
Pugnaces animos, & qualia Romulus ipſe
Marte ſatus, primiſque patrem confeſſus ab annis
Didita per venas ſenſit, tibi ſemina flammę
Subjiciens. Nec nil cęlo notiſſimus ignis
11 Tauri oculus, nec nil volucris talaria Perſei
Indulſere tibi. Roſeo ſuper omnia vultu
12 Sol tecum exoriens felicia prębuit ortus
Signa tui: tibi magnā animā, laudumque capacem
Ille dedit. Luna oppoſito contraria fratri
(Plenis quippe tuum luſtravit cornibus ortum)
Invidioſa tibi, ſenſus animumque malignis
Obtundit radiis: tu contrà ardentior ire
Ne metue, & luxum, & ſomnos, & deſidis oti
Indignans latebras pulcro conſueſce labori.
13 Quid? quòd cū varios ineant vaga ſidera curſus,
Quę-

11 *Arieti in Horoſcopo jungebantur Oculus Tauri ſtella notiſſima, & natura Martialis, ac pes ſiniſter Perſei.*

12 *Sol tunc quoque in eadem Domo erat paullò infrà Horizontem, ingeniique præſtantiam addebat, niſi quòd Luna, quæ tunc Soli oppoſita erat ac plena, id nonnihil impedire videbatur.*

13 *Quinque è ſeptē planetis, Sol, Mars, Saturnus, Venus, & Mercurius eo tempore ſatis ſibi vicini erant. Quod valdè notādū eſt, & rarò admodū contingit.*

Quæque ſuos, quinque errones vicinia junxit
Par prope ſortitos ſpatium: coiiſſe putares
Imperio Divum accitos, ut amica referrent
Conſilia, & placido afflarent tibi leniter igni.
14 At parte ex alia, ſolio qua fultus eburno
Sedem fixit Honor, medij de culmine mundi
Commoda (Fortunam Cæli dixere) benignos
Stella tibi affudit radios, auramque ſalubrem.
Stella potens, ſtella ante alios clementior ignes,
Digna Jove. Hæc annos, habillemque ad prælia
dextram,
Et dextra potiorem animum, regumque perennes
Spondet amicitias, & quidquid præſtita magnis
Regibus obſequia, & longum comitatur amorem.
15 Ne, puer, ò, ne te pueri Ganymedis honores,
Quamquam illū fulvus rapuit Jovis armiger, ura..t.
Te, quod & Idæus cælo monet ales ab alto,
Auſtriadum tollent Aquilæ. Te Cæſar, & illa
16 Qui Majeſtatis Patriæ certiſſimus hæres
Sceptra reget, te, cui prono ſe vertice culti
Submittunt Montes, & Clivi & Julia parent,
In ſublime ferent. Seu vim prohibere coacti
Bella gerent, ſeu jura dabunt, qui te modò nomen
Ferre ſuum, curas olim quoque ferre jubebunt.

17 Tum

14 *Domum Honoris in meridie poſitam occupabat Jupiter, planeta humano generi maximè benevolus, & felix.*

15 *In ipſa hac Domo, ſeu prope meridiem ſita erat ſtella illa fixa & illuſtris, quæ Aquila dicitur. Quod autem Aquila, quæ in decima Domo ponitur, ſuperet cuſpidem Domus undecimæ (habet enim illa 26.46. hæc autem tantum 24.40.) id contingit propter notabilem Aquilæ ab Ecliptica diſtātiā. Quod dico, ne quis in hiſce minus verſatus errorē putet.*

16 *Puero nomen in Baptiſmo indiderunt Ferdinandus IV. Romanorum Rex, & Philippus Gulielmus Dux Neoburgicus.*

17 Cum Lyra,quę quondam Manes,infernaq; cãtu
Numina detinuit,medio nunc fulget Olympo,
Vagituſque tuos mulcet,ſurgentibus addet
Vatibus ingenium, qui te vulgandaque latè
Facta canant. Certè ipſa ſuis nunc ignibus afflat,
Qui tua carminibus celebrat cunabula, vatem.
Dixit, & ambroſio puerum perſudit odore,
Demulſitque manu, tenueſque receſſit in auras:
Et quaſi fatidicos animo, quos Diva canebat,
Hauſiſſet monitus, ter vultu riſit amico.
Admatrem puer, ad puerum lœtiſſima mater.

AD LEONARDUM LESSIUM

è Societate Jeſu,

TON MAKAPITHN.

In Opuſculum ejus poſthumum de quinquaginta Dei nominibus.

QUò me,ingẽs anima,& noſtris erepta tenebris,
Numinis & cæli plenum,& terreſtriũ inanem
Abripis? En Divum latè diducta pateſcunt
Atria: ſub pedibus nubes; & fulmina, & Euri,
Sideraque, & celeres mundi ſeptemplicis orbes.
At ſuprà multo formoſum lumine & auro
Stat ſolium, & longè radios circùm undique fundit.
Hic ſedet, hinc rerum cauſas moderatur,& orbem
A ſe pendentem partitis temperat horis
Æternus Divum genitor. Mille agmina circùm
Aligerum, pennis vultus atque ora tegentum,
Obſervant nutus, majeſtatemque ſedentis.
Fortunate ſenex, cui (quantum accedere fas eſt
Mente Deum, tardæque ſinunt contagia terræ)
Surſum animo ferri, primaque in origine veri

Hæ-

17 *In Domo Honoris, in ipſo ferè vertice hærebat ſidus illud, quam Lyram vocant.*

Hærere affixum penitùs, dum vita manebat,
Dulcis erat labor, & non intermiſſa voluptas.
Fortunatus & ille, tuæ ſuprema ſenectæ
Otia quem paſcunt, & quas mors invida chartas
Nequidquam cæcis auſa eſt damnare tenebris.
Illum non Tyrij cultus, perfuſaque fuco
Gloria ſollicitat, non rerum ſplendor, & auri
Implacata fames, & ſemper major habenti.
Spes premit immodicas, lætus parvoque, ſuoque.
Si quid & illudens repetit fortuna, reſignat,
Securus quid Gallum acri committat Ibero,
Quid conjurata prorumpens Moſcus ab Arcto
Cogitet, aut validæ Tyrrhena per æquora claſſes.
Plus aliquid, quàm quod magnæ vidiſtis Athenæ,
Ille videt; plus, quàm Pharij vetus accola Nili,
Et Tyros, & Babylon, & porticus alta Cleantis:
Occaſus quamquam rerum ſcrutatur & ortus,
Et falſas populum voces, elementaque luxus
Dedocet, & rigido ſuadet conſueſcere honeſto.
Tecum, Leſſiade, tua per veſtigia tecum
Aſſurgit cælum affectans, ardetque, ſuumque
Fertur in auctorem: venturaque gaudia jam tum
Præcipiens, immenſum explet tranquillus amorē.
Qualis ubi obliquis feſſas erroribus undas
Aut Ganges pater, aut ſeptena per oſtia Nilus
Pertulit in pelagus, jam curſum emenſus in illo
Deſinit, & magno veniens ſe gurgite miſcet.
Hic ſeſe tenet unda, marique potitur aperto,
Nec brevibus ſpatiis, nec, ut antè, coercita ripis.
Haud ſecùs anguſtis mens indignata teneri
Limitibus, jam ſe major, jam læta reperto
Numine, ſe penitùs penituſque effundit, & illo
Exultans fruitur, ſeque expletura quieſcit.
O & principium rerum, o & terminus idem!
O pater! o votis ſpes una atque ultima noſtris!
Da quamquam indigno, nec quidquā tale merenti
Te lucis vitæque æternum accedere fontem.
O bone (namque tibi, quidquid mortale creamur,

Vivi-

Vivimus,&c,flammę in morem ſupera alta petentis,
Ad te, quà fas eſt, media è caligene cuncti
Tendimus,& patriam noſtroſque inquirimus ortus)
Da natam cęlo mentem ſe tendere ſupra:
Da ſecreta tuę penetralia viſere lucis
Triſtibus eductam tenebris, & inertibus umbris.
Sępe ego Tellurem ſcitari, & quęrere multa
Te ſuper. Illa nihil: tantùm cęloque, marique
Abſciſſam oſtentat molem,Boream inter & Auctrũ
Aere pendentem medio, pecudeſque,feraſque,
Graminaque, & ſilvas, ſecundaque frugibus arva,
Mille tui monumenta Tui pulcherrima nuſquam
Se prodit ſpecies,cupidoque indulget amanti.
Sępe ego proſpiciens magnas obeuntia terras
Æquora, ferventeſque alternis ęſtibus undas,
Et ſpatio, & motu ingenti ſtupefactus aquarum:
Quę manus effuſo, dixi, circumdedit orbem
Æquore, litoreamque undis objecit arenam?
Quis tot monſtrorum ſpecies, immania cete,
Et liquido ingentes poſuit ſub gurgite phocas,
Quęque agili ſeſe tollunt ſuper ęquora ſaltu,
Inque chori ſpeciem delphinum examina ludunt?
O opifex rerum, o mundi vitalis origo,
Tot maria ambitas fluctu pulſantia terras,
Æternique amnes, & ſtagna immenſa, lacuſque,
Quid ſunt, ſi fas è rebus componere noſtris
Tecum aliquid, niſi gutta levis, quę manè recenti,
Cùm rubet & terras veniens irrorat Eous,
Defluit? illa udo trepidans in gramine ſplendet
Par nitido argento, puręque ſimillima gemmę:
Mox Sol exoriens radiis abſumit & igni
Paullatim fugientem, aut ſpirans diſſipat Eurus.
Vos quoque, vos, magni pars formoſiſſima mundi,
Alti, immenſi orbes, ſtellis ardentibus apti,
Quamquam indefeſſo labentia ſęcula curſu
Exigitis, quamquam & menſes variatis & annum,
Alternaſque hiemes, gratoſque reducitis ęſtus,
Et vernos flores, & frugiferos autumnos:
At

At non hoc ęſtis, tota quod mente requiro.
Non tantum vobis lucis, tantumque nitoris.
Ut lychni, noſtręque faces, & fumea tædę
Lumina ſideribus cedunt, ut ſidera ſoli:
Sic illi, qui vos radiis veſtivit & auro,
Ceditis. E tanto ſcintillę abſiſtitis igni.'
Talibus atque aliis magnum exercebat amorem
Leſſiades animo indulgens, quę plurima quondam
Victuris docuit, miſitque in ſæcula chartis.
Nos procul & tantę nondum patientia lucis
Ora attollentes cælo, rimamque ſecuti
Luminis, audemus gracili deducere verſu,
Conati tenues ingentia. Tu mihi præſens,
Tu ſublimem animum, quo terras, teque relinquēs,
Sidereas toties ſedes mortalis adibas,
Inſpira, Pater. Hæc etiam ſolatia nobis
Suffice, dum patria procul & natalibus oris
Hæremus, cælo extorres, miſerum inter amorem
Flebilis exilij, Divumque vocantia regna.

PRÆTORI, CONSULI,

SENATORIBUS

URBIS BRUXELLENSIS,

Annua pręmia juventuti Gymnaſij Societatis JESU *Bruxellæ erogantibus* 16. *Septembris* 1649.

ANtiquas procerum ceras tituloſque tuorum,
Et poſitam, Bruxella, tuis in montibus aulam,
Invictoſque Duces, ęquataque nomina cælo
Laudabunt alij. Dicent fulgentia regum
Vellera, bellantumque animos, poſitiſque coronis
Inſignes Carolos, & dignos ſtirpe Philippos.
Me tua me teneant Tempe, gratiſſima Phœbo,
Ipſa quibus domus Albuneæ, Tiburque colono
Arge. poſitum, regnataque rura Phalanto

Invi-

Invideant. Vos hic, Muſæ, ſi Græcia verſis
Nunc luget fatis, ſanctumque Helicona ſubegit
Ferrea barbaries, vos hic quoque lucus, & umbræ,
Et fontes, viviquе lacus, colleſque ſupini
Hoſpitio dulci excipiunt. Nec vos minùs illis,
Quàm gelidis Pindi ſilvis, ſcatebriſque teneri
Credibile eſt. Etenim choreis luſtraſtis & illos,
Auritaſque, deæ, duxiſtis carmine fagos.
Felices, quibus hic veteres imitantia ſedes
Et nemora, & fontes, & roſcida fontibus antra
Aonio ſaltus referunt, ſecuraque præſtant
Otia, fortunæ ſolatia magna prioris!
Felices, quas & procerum digniſſimus Ordo
Muneribus magnis decorat, ſtudiiſque ſecundis
Proſequitur, dum Palladiis effuſa juventus
Decurrit ſpatiis, celebrique in pulvere ſudat.
Victrices primis lauros, ederaſque virentes
Ecce ferunt, ſtimulum pulchri pretiumque laboris
Quæ ſpes arrectæ juvenum! qui ſpiritus illos
Verſat agens! nulli torpens ignavia vultum
Dejicit: igneſcunt animi, exultantiaque urget
Corda vigor pulſans: jamque hi, jam protinus illi
Anteeunt: utcumque labor, curſuſque fatigant,
Vincit amor laudum, ſperataque glorla palmæ.
Sic, pius Æneas cineri dum ſacra paterno
Funebria exſequitur, ſtatuitque ingentia ludis
Præmia, Trinacria quondam narrantur arena
Trojani juvenes arſiſſe cupidine laudis,
Niſus & Euryalus primi, ſanguiſque Diores
Regius, & lecti comites ſenioris Aceſtæ.
Ardentes medio ſpectabant munera circo,
Alipedem inſignem phaleris, multaque pharetram
Lucentem gemma, galeæque inſignia Grajæ.
Signa tubæ dederant: nulla eſt mora: finibus omnes
Emicuere: volant nimbo leviбuſque ſagittis
Ociùs: adjiciant animos clamorque, favorque
Plaudentis caveę: rapit impetus ipſe volantes.
Ite & vos laudi natę, Phœboque calentes,
Illu-

Illuſtres animę, dum flos viget integer ęvi,
Et melior fervet circum præcordia ſanguis.
Ite alacres, quò vincendi jam nota voluptas,
Auguſtęque patres urbis, ſanctuſque Senatus
Sollicitant famę captos venientis amore;
Quò vos & dulces Muſę, & ſublimia vota;
Egregiamque operam numquam fruſtratus Apollo
Voce vocant. Alta oſtentant de rupe coronam:
Tantùm ne pigeat ſumma ad faſtigia niti.
Quidquid in abrupto poſuerunt vertice Divi
Excelſum dignumque peti, ſudore parandum eſt.
Quid non, maturis cùm venerit uſus ab annis,
Iſta rudimenta, & meritorum exordia laudum
Poſcenti ſpondent patriæ? Quod jura tuetur,
Quod terras urbeſque regit, quod civica bella
Comprimit, & multa Legatos perficit arte,
Ingenij eſt felicis opus. Meminiſſe poteſtis,
Aonides, quid, cùm magnis legionibus ardens
Anteibat ductor, media 1 Brimæus arena
Geſſerit: ut magnis veniens terroribus hoſtem
Perculerit, clarus fama & præſtantibus armis:
Ut trepidas illi ſupplex ſubſtraverit undas
Jam vincli patiens, jam fracto Somona cornu.
Nil ardens animus, ſpectataque dextera bello
Non poterat: ſed enim tantæ pars maxima laudis
Mens fuit. Hac juſtis moderatur legibus urbem,
Hac regit innocuos, hac publica damna coercet.
Quis dignè memoret, quid 2 Locquenghemia poſſit
Par famæ tituliſque ſuis, magniſque probata
Principibus virtus? Non tantùm mœnia, & arces,
Clauſtraque, & ęrati vectes, vigilumque fideles
Ex-

1 *Carolus de Erimeu, Eques, Prætor Bruxellenſis, antè legionis ductor, & Corbejæ Gubernator.*

2 *Carolus de Locquenghien, Eques, Conſul Bruxellenſis, priùs excubiarum Præfectus, cùm Gallorum & Hollandorum duo numeroſiſſimi exercitus in Brabantiam pariter effuſi Lovanium obſederunt, & vicinam Bruxellã terruerunt anno 1635.*

Excubiæ, quantum cultæ vis ignea mentis
Una poteſt. Teſtor portas, & conſcia magnæ
Mœnia virtutis, qui te videre ferentem
Urbis onus, quæ, dum Grudiis incumbit Athenis
Tempeſtas armorum, & Martius undique terror
Circumfert ſeſe campis, te, Carole, ſtantem
Hectoreis videre animis. Quid ſplendida belli
Munera, quid fidei proavum commiſſa tuorum
Cęſaris arma ſequar? quid, dum Farneſius altum
Fulminat ad Scaldim, domitoque in flumine victor
Oceanum imperio premit, infrenatque tumentem,
Forria facta tui memorem, famamque parentis?
Fulmineas inter puppes, ripaſque trementes
Turbinibus flammarum, & aduſtas ſulphure arenas
Invictus ſtetit, Ætneo, imperterritus igni.
Ipſe pater Scaldis plauſum dedit, armaque ſpectãs,
Victriceſque manus, excuſſaque vincula ripis,
Non minùs exſiliit, quàm cùm 3 nova flumina quondam
Accepit gremio, cura ingenioque tuorum
Ductum opus. Ut lætus, quà terram nuper arator
Vomere ſulcarat, longas innare carinas
Vidit! eum circum ter centum Naiades ibant,
Omnes pictæ auro, præcinctę pellibus omnes.
Exultant, amnemque novum mirantur & amnis
Auctorem longè agnoſcunt, plauſuque ſalutant.
Quarum quę cantu rapidos quoque docta morari
Callirhoe fluctus, ſumma ſublimis ab unda:
Non te regum altrix, dixit, Bruxella tot inter
Delicias nemorum, & formoſi gaudia ruris,
Quæ fudit Natura tuis uberrima campis,
Non te pœniteat, ſi magni nominis amnes,
Aut vicina tuos non pulſent ęquora muros.
Aſpice diffuſo ſpatiantem flumine Scaldim,
Cui neque Bajani portus, Tiberinaque certent
Oſtia

3 *Amnem novum ab urbe Bruxellenſi ad Scaldim uſque maximi patriæ commodo duxit Locquenghemij pareas.*

Oſtia. Quantus aquas ferventi exercitus æſtu
In mare devolvit præceps,quantuſque receptat,
Eſt tuus. Ille tibi famulanti gurgite fluctus
Advehit æquoreos, & lintea pandere ventis,
Et miſcere dedit toto commercia mundo.
Dixerat: & virides circùm plauſere ſorores.
At tibi, dux operis tanti, ſe publica debent
Commoda, Te læti, dum tendent carbaſa, nautæ
Carminibus patriis referent; te fama ſuperſtes,
Dum vehet amnis aquas, venturo in ſæcula mittet.
O qui majorum famam virtutibus æquas,
Carole, te tanti ſpectat quoque gloria facti.
Teque adeò vigiles curæ noctesque dieſque
Intentum exercent, &, dum labor utilis urbi
Sit tuus, in partes animum tibi dividit omnes
Ingenioſus amor patriæ. Non ulla laborum
Te terret facies, non cœpti tædia frangunt.
Scilicet & patrum virtus animuſque redundant
Ingenuus, & fortes ducunt à fortibus ortum.
Olim erit, ut viridi in ripa proaviſque, tibique
Permiſtæ Muſis Dryades, comiteſque Napeæ
Conſtituant denſum lauro è Parnaſſide lucum,
Magnorum monumentum operum. Quòd ſi aurea Belgas
Intereà Pax reſpiciat, ferrumque recondat,
Et patrio tandem Marſelare 4 pulſus, aduſque
In manes Thracum populos, aut oſtia Ditis
Exultet, o quem tunc hilaret pœana Camœnæ
Vicinas circum ſilvas & flumina dicent!
Tum faſces, Frederice, tuos, doctoſque labores,
Legatumque tuum, dignum quem ſcrinia Regum
Excipiant, ipſique legant, ſuper æthera tollent.
Nec vos, o Magni, Proceres indicta ſilebunt
Nomina, quos rerum eventu prudentia major
Extulit, & magnis advovit gloria curis.
Nunc

4 *Alludimus ad cognomem Fredericis de Marſelaer Equitis, qui hoc anno Senator, ante hoc ſeptimum Conſul Bruxellenſis, legato à ſe ſcripto clariſſimus*

Faſtibi, & æra merent juvenes tua. Signa timentur.
Vellere quæ nondum potes, aut defigere campo.
Parcite quos nondum numerat puer editus annos,
Parcite natalem, primaque exordia lucis
Quærere: naſcentis virtus prævertitur annos.
Dum tener Alcides, & jam Jove dignus haberi
Cœperat, eliſos manibus puerilibus angues,
Siqua fides, preſſit: nunc ardua mœnia & arces
Aut bello quatere, aut fida ſtatione tueri
Cunarum labor eſt, & dum Victoria Belgas
Reſpicit, & cinctas pugnantibus annuit urbes,
Illius & puerum tangit quoque gloria facti.
Has ſibi primitias legit: his ulciſcitur armis
Defletos proavum manes, quos pulchra ferentes
Vulnera non ficto planxerunt agmina luctu:
Hæc ſpolia, Hæc caro cineri ſolemnia mittit.

ANTONIO BIESBROECQ,

Territorii Cortraceni ſummo Magiſtratui ab Actis, muſicæ artis cultori, Sodalitij S. Cæciliæ Præfecto creato.

CÆcilides Muſæ, ſeu vos pulcherrima rerum
Roma tenet, ſeu vos Helicō, aut culmina Pindi
Sed puto Roma tenet: vobis namque ubera nutrix
Prima dedit, cuniſque roſas & lilia plenis
Affudit calathis, & Tybrim carmine veſtro
Arrectum perhibent Tyrrhena ad litora labi
Moliùs: huc, ſacris dum lucent ignibus aræ,
Huc precor, o, ſi quid pietas antiqua, fideſque
Belgarum meruit, placidos advertite vultus.
En redit illa dies, meritò quæ candida ſemper
Illuxit nobis, & erit quæ candida ſemper,
Qua patrias læti votivum carmen ad aras
Cæciliæ canimus, meritoſque novamus honores
Advocat ante alios omnem Biesbrocius artem,
Et gratis fertur numeris, in utrumque paratus,
Seu

Seu chordas digitis, ſeu vocem inflectere cantu;
Et ſeu quid digitis, liquido ſeu moverit ore.
Dux ubicumque chori eſt. Auditis? amabile quiddam
Percuſſæ reſonant citharæ: fidibuſque canoris
Concordes alij ſanctum & venerabile nomen
Virginis ingeminant. Cælo (quamquam æmula non eſt
Aut ars, aut pietas) audent alterna canentes
Reſpondere, ſuas & Dis ſubjungere voces.
Concelebrant Divæ titulos: ut ſplendida gentis
Nomina, Gracchorum ceras, cellaſque curules
Spreverit: ut tædis eadem licitiſque hymenæis
Corporis intacti florem caſtumque cubile
Prætulerit: puer ut cælo delapſus ab alto
Inſigni facie, atque auro fulgentibus alis
Sollicito aſtiterit vindex tutorque pudori:
Ut ſponſus (quippe ille ſacro jam flumine ſeſe
Abluerat) pueri vultum ſpeculatus & ora,
Explerit mentem atque oculos: ut deinde pudicos
Servantem thalamos, & dignos virgine mores,
Certus amor veri, teſtataque ſanguine virtus
Divorum ordinibus, mediiſque immiſerit aſtris.
Addunt & pulchrum leti genus, & fera regum
Imperia, & lentos thermis ardentibus ignes,
Illæſoſque artus igni, fruſtraque fremente
Sævitia, nulli collum penetrabile ferro.
Salve invicta fide, ſalve virgo addita cælo,
Cælicolas inter pulcherrima, quam Deus ipſe,
Ipſe ſuo Superum rector dignatur amore,
In partemque vocat regni. Tibi nectere ſerta
Non operis noſtri eſt: tibi purpureos hyacinthos,
Permiſtaſque roſis violas inſigne pudoris,
Ecce ferunt cælo juvenes, & floribus illis,
Queis ſibi, virgineam gaudent tibi cingere frontem.
Adſiſ! votiſque fave, quæ plurima ad aras,
Diva, tuas facimus. Da quidquid triſte timemus,
Funeraque, & peſtes, injectaque vincula Lizæ,
Im-

1 Impoſitaſque arces, populos urentia frena,
Et quodcumque mali dirarum ab ſede ſororum
Mars ciet, avertat noſtri cervicibus æther.
Ante alios animumque tui, ſtudiumque, precesque
Reſpice Biesbroci, curaſque & cępta ſecunda.
Sit felix, & ſæpè tuis ſollemnia ſacris
Dona ferat, ſolitumque habeat tibi moris honorem.

1 *Cùm hæc ſcriberemur, Cortracum erat in Gallorum poteſtate; qui ut urbem incolumem & tutam ſibi præſtarent, arcem eidem impoſuerant, fr num, ut illi appellabant, Flandriæ.*

IVSTO VAN 1. SVRCQ

SOCIETATIS JESU,

E Belgio in Paraquariam anno 1627. abeunti.

PROPEMPTICON.

Ergone litoribus certus diſcedere noſtris
Vela dabis? ſoleſque alios, aliiſque requires,
Suppoſitos ſtellis populos? quæque omnibus undis
Litora nequidquam noſtro Thetis abſcidit orbi,
Hæc te defeſſum accipient? Quando hanc tibi mentem
Non amor exuerit patriæ, fatrumque 2 tuorum
Circumfuſa manus, non cæli hiemiſque labores,
Non mare, non ſcopuli, non gens ſcopuliſque marique
Sævior, atque tuos epulis feralibus artus
Forſitan appoſitura, tuique implenda cruoris,
Juſte vale, vale Americis ſpes addita regnis,
Nunc deſiderium Belgarum, & maxima gentis

S Cura

1 *Nunc mutato cognomine Manſilla appellatur.*

2 *Quod omnino rarum, ſeptem fratres Societati Jeſu nomen dederunt, è quibus hic, cui carmen hoc ripſimus, natu erat tertius.*

Cura tuæ. Sit fas collo pendere ſupremum,
Sit fas complexu in medio miſcere fluentes
Amborum lacrymas, & amorem explere vovendo,
Ingenteſque haurire animos, qui me quoque terris
Avellant patriis, rapiantqne per omnia tecum,
Hęrent aſſiduè lateri, ſociumque tuorum
Pręconemque operum. Siquid mea carmina poſsunt
Forſitan & pelagi fallam diſcrimina cantu,
Solaborque viam, & portum ſperare jubebo.
Atque utinam & ventos, & ventis aſpera ſternam
Æquora. Sic olim, rudibus cùm Theſſala pinus
Prima cucurrit aquis, vatem teſtudine fretum
Threicia Æſonides Neptuno dicere leges
Audiit, & cantu Zephyros accire ſecundos.
Jamque iter emenſus, factiſque in litore votis,
Tecum unà in ſilvis, per inhoſpita luſtra ferarum
Palantes populos, legumque operumque ſolutos,
Triſtibus elliciam latebris. Denſa undique cogam
Agmina, ceu cęcis armenta errantia luſtris
In vacuos ſaltus, & amœnas gramine ripas
Præ ſe paſtor agit. Sine me tibi nulla laboris
Pars veniet ſubeunda: tuum, cæleſtia genti
Pandere conſilia, & vitas formare docendo:
Fas mihi ſinceros animi, & parere paratos
Excipere, & capiti ſacros invergere rores.
Inde ego (ſi veſtris olim requievimus antris
Aonides, caſta dignati tempora lauro)
Indorum procúl in ſaltus, nulliſque priorum
Carminibus pulſos colles Parnaſſia primus
Sacra feram: primus Braſilis, Chiliiſque virentes
Prætendam lauros, ſilviſque ſequentibus aures,
Et ſenſus addam ſcopulis. Pars ſeta veneno
Gramina, par ſævos arcus, teliſque pharetram
Letiferis gravidam citharæ ſubmittere noſtræ
Sponte volet. Tum quà ripis Argenteus amnis
Obſtrepit, & dulces invitat murmure Muſas,
Conventu in magno, quæ tu mihi plurima rerum
Argumenta dabis, meditato dicere verſu

Inſti-

Inſtituam. O tantùm liceat mihi barbara tecum
Regina ſequi, Paranaque ſitim deponere in unda!
Nec, ſi nunc Belgæ tua vela & vota morati
Multa dolent, lacrymiſque abeuntem affantur obortis,
Pava ſui capient olim ſolatia luctus.
Scilicet & noſtris etiam memoranda libellis
Facta legent: ut te populi magno ore tonantem
Audierint arrecti: ut cæca in nocte jacentes
Sideream in lucem revocaveris: ut nova rebus
Continuò facies, quo ſpes te cumque tuliſſet,
Venerit: ut legum rudis, & ſine numine turba
Partiri campos, tabulis incidere leges,
Publica privatis ſecernere, dicere jura
Cæperit, & laudi pretium dare. Non ego templa
Tranſierim, populi donis & numine Divum
Conſpicua, exciſo ſtatues quæ denique luco.
His ſuper exhauſtos caſus, diſcrimina mille
Adjiciam, dum ſæpè alacer, lętuſque laborum
Irruis haud dubiam in mortem, nil ſæva moratus
Spicula, nil totis adductos viribus arcus.
Fixiſſentque utinam, tepefactaque tela cruento
Hęſiſſent lateri, quando hic tibi pectoris ardor
Unus erat, mediis ea vox audi ta periclis.
Adjiciam, ut victum indignum, & ſemeſa parentum
Corpora, natorum menſis abſtraxeris, atram
Ingluviem increpitans, & fœda cruoribus ora.
Heu qui jejunis venit furor! æthere toto
Bacchantum auditi fremitus. Non peſſima tigris
Sævior Hyrcanos ſaltus orbata peragrat,
Ereptoſque fremit catulos. Non Martius agnam
Cùm rapuit ſtabulo lupus, & veſtigia paſtor
Balatu excitus celerat, prædamque trementem
Faucibus avellit vacuis, majoribus ardet
Suffuſus flammis oculos: furit improbus ira
(Urit enim deluſa fames] mæſtumque per agros
Exululat: latè reſonat vox horrida loco.
Talibus atque aliis dum nobis maxima creſcet

Hiſtoria, & fama attonitis celebrabere Belgis,
His ego quos valido quæſitos Marte triumphos,
Quæ ſpolia auratis regum pendentia tectis
Contulerim? Minus eſt dominæ Capitolia Romæ
Auſpiciis fundaſse ſuis; minus arcibus illis
Terrarum poſuiſse caput. Quas condidit urbes,
Hic belli celebret ſtudiis, ille artibus ornet
Paladiis, legeſque viris ac jura miniſtret:
Tu natos ſilvis populos, rituque ferarum
Indociles, & adhuc duros à ſemine Pyrrhæ
Inſtituens hortare, viamque inſiſte domandi:
Dum loquimur, te vela vocant, &: Poſcimur, in quis:
Libera non ultrà eſt nobis mora: cara valete
Pectora. Vos pro me Superos ambite precando,
Inque vicem culpis veniam date. Jungere dextras,
Spero equidem, neque vana fides, rurſum æthere in alto
Fas erit, & prima memorare ab origine longos
Annales operum. Sic fantem, extremaque verba
Dulcibus implentem lacrymis vocat Eurus in altum
Diripitur funis: tenduntur carbaſa vento:
Provehitur: ſequimur votis oculiſque carinam,
Jactataque manu, quando, unum hoc denique reſtat,
Edere ſigna juvat, donec non jam ampliùs ulla
Apparet claſſis, ſummoque exſtantia malo
Cæruleos inter vaneſcunt lintea fluctus.
At non cum puppi pariter veliſque recedet
Cura tui: non & longum terræve, marisve,
Aut ævi ſpatium noſtros abjunget amores.
Interea ipſe animæ magna mihi parte revulſa,
Nec facilis vates æquè, nec jam mihi præſens
Integer, aut facilem Superos expoſcere curſum,
Aut narrare meos vento baccante timores
Audiar; ad Scaldim vacuo projectus in antro.
Hic curas ſolabor, & hic tibi debita vota
Unanimes mecum aſsueſcent percurrere vates.

JU-

IVSTO VAN SVRCQ

SOCIETATIS JESU,

E Belgio in Occidentis Indiam vela facienti.

IDYLLION.

AMYNTAS.

SOlverat, & velis ibat majoribus alnus,
Atque ipſum Oceani ad finem, Soliſque cadentis
Litora per longos fluctus vectabat Amyntam,
Dilectum Superis, & plenum numine Amyntam
Cùm puer infelix Lycidas abeuntia longè
Carbaſa per lacrymas ſpectans, ſcopuloque reſidens
Litoreo, crebris implevit litora votis.
Quippe animo ſecum reputans, quos unda timores,
Quos habet & Boreas: quid & illa per æquoris eſtus
Inſanaſque hiemes veheret ratis. Heu, quibus ille
Incendit cœlum precibus! quę vota canebat
Suſpendenda tholis, ſtaret, modò litore puppis
Occiduo! Quid non puppi ſperavit ab illa!
Ipſe ego quæ puerum audivi ſub rupe canentem,
Si valeam, memorabo: & erit memorare voluptas.
Non fruſtrà rapidos mulcemus carmine ventos.
Carmine ventorum cecidit fragor, & freta ventis
Excita detumuere. Lyra vocalis Arion
Æquora compoſuit, delphino auditus, & undis.
Mitiùs o velis incumbite mitiùs Euri.
Carminibus, fateor, non hæc fiducia noſtris.
Lesbidos hoc citharæ pretium. Sed luſimus & nos
Olim aliquid. Certè patrius me Liza canentem
Audiit, & muſam tenuis laudavit avenę.
Mitius o velis incumbite mitius Euri:
Fallor? an hanc geminus placido jubet equore
Pollux

Ire ratem? Puppi ſedet, antenniſque piorum,
Præcipuè [1] fratrum; fratres ante omnia curæ:
Fratribus aſpirat vultu, cęloque ſereno.
Mitiùs o velis incumbite mitiùs Euri.
En procul à patria ſeptem de fratribus unum
Vela ferunt: mœſtos orbis nunc alter & alter
Dividit, & dulci aſpectu & complexibus arcet,
Omnes Loiolidas, claris virtutibus omnes.
Mitiùs o velis incumbite mitiùs Euri.
Indus ſqualet ager, primiſque in palmite gemmis
Illudunt pecudes: tangat modò litus Amyntas,
Exuerit ſilveſtrem animum mitiſſima tellus,
Et vinum poſitis & far libabitur aris.
Mitiùs o velis incumbite mitiùs Euri.
Quis terris meſſem invideat? quis mõtibus umbras,
Paſtorem ſtabulis? at ſi navim æquora perdunt,
Nec terris meſſes venient, nec montibus umbræ,
Et malè ſervatos raptor lupus ibit in agnos.
Mitiùs o velis incumbite mitiùs Euri.
Dulce ſopor feſſis, medicæ languentibus herbę,
Pax fractis bello populis; mihi ſalva carina.
Plus aliquid medicis ad litora devehit herbis,
Plus aliquid, quàm quod ſomnos, pacemque reducat.
Mitiùs o velis incumbite mitiùs Euri.
Hei mihi! lenta natat, quà noctes ſolibus ęquat
Linea, ſtagnanti pelago ratis. Æſtus euntem
Deſtituit: nullo tenduntur lintea vento,
Stagnaque nequidquam pulſant torpentia remi.
Fortiùs o velis incumbite fortiùs Euri.
Sol ardet: nullæ frangunt incendia nubes,
Et tremulum geminat Solis jubar Amphitrite.
Ah, nequid caro capiti grave ſidus, & ignes
Efficiant! ipſi languent Tritones in undis.
Fortiùs o velis incumbite fortiùs Euri.
Nerine Galatea, (tibi namque omnia magnus
Poſſe dedit genitor) cunctantem impelle carinam.
Can-

[1] *Vide ſuperioris carminis notam 2.*

Candida Cymothoe cum cœruleo comitatu
Huc ades, & facili pariter ſuccede labori.
Fortiùs o velis incumbite fortiùs Euri.
Si tibi quid noſtri placeat, ſunt vellera nobis
Appula, ſunt & rubra corallia pignora mater,
Quæ mihi cara ſui moriens dedit, hæc ego vobis:
Et leve ſi munus, pretium quoq; carmine creſcet.
Fortiùs o velis incumbite fortiùs Euri.
Vos quoq; formoſæ prætexite puppibus umbram
Halcyones. Sævos mandat defendere ſoles
Cara Thetis. Sic vos Nymphæ Oceanitides omnes
Semper ament, vetereſque levent Ceycis amores.
Fortiùs o velis incumbite fortiùs Euri.
Anchietæ (meminiſtis enim) cùm hæc ipſa per alta
Iret, & ardenti remum lentaret in unda,
Frigora conciliaſtis; & hic erit alter ab illo,
Atque iterùm inſignem mirabitur India vatem.
Fortiùs o velis incumbite fortiùs Euri.
Quos nunc ille ignes nutrit ſub pectore! quantam
Romanis ſobolem, quantam promittit Olympo!
Forſan & ipſe ſuo, quæ tradet, ſacra cruore
Sanciet. Hunc ſperat finem pretiumque laborum
Fortiùs o velis incumbite fortiùs Euri.
Hactenus umbroſo ſcopuli pendentis in antro
Cantabat Lycidas. Lycidæ cava litora, & ipſe
Reſpondit Nereus, vectamque per æquora claſſem
Impulit, & pleno juſſit procedere velo.
Tuque adeò, ſeu nunc pelago decurris Amynta,
Seu te nunc aliquis feſſum pelagique viæque
Portus habet, ſeu nunc, iterùm dum litore ſolvis,
Mitiùs ut ſpirent opus eſt, aut fortiùs Euri,
I felix, i noſter amor, quo te tua virtus,
Reſque vocat. Quæ te tellus, quæ te ęquora tandē
Accipient, quoſcumque polo conſpexeris ignes,
A cęlo nuſquam vertes iter. Omnibus oris
Una patenſq; via eſt. Non hinc, non longiùs illinc
Sidera, quę quondam dabitur contingere, diſtant.

BALDUINO LE COCQ, VVULUERGHEMIJ, HUMBECÆ, SCHILTHOVIÆ TOPARCHÆ, &c.

FELICITATEM

Cùm Archiepiſcopi Mechlinienſis, & Collegii Canonicorum beneficentia è reliquis S. Rumoldi pars Humbecam transferretur anno 1650. 24. Julii.

NOn eſt, Vir Nobiliſſime, ab hac qualiſcumque põpæ tuæ celebritate alienum, aut è longinquo accerſitum votum hoc meum, quo te domi foriſque beatum, fortunatumque eſſe cupio. Si enim grande illud Hebrææ gentis arcanum, in quo tabulæ divinis legibus inſcriptæ ſervabantur, hoc habebat, ut quocumque religiosè inferretur, felicitatem quoque bonis omnibus circumfluentem inferret, egone ſpes meas aut inanes, aut intempeſtivas eſſe exiſtimem cum te S. Rumoldi reliquias in Ædem Humbecanam religioſiſſimè inferentem video? Erat fateor, erat illud monumentum, quo nullum inter Moſaica ſacra exſtabat auguſtius, ſapientiæ oraculum, ſanctitatis ſedes, ſolium divinitatis: verum ſi ille, cujus hæ ſunt exuviæ, dum viveret, legum divinarum cuſtos, ſi veritatis internuntius, ſi ſanctimoniç exemplar fuit ſi ubique benevolentiſſimæ charitatis reliquit impreſſa veſtigia, nunc è pleno beatitudinis loco, de illo defẽdẽdo ornandoque non cogitet, quẽ non modò ſibi ſupplicẽ habet, ſed etiam cinerũ ſuorum cuſtodem, & gloriæ propagatorem ſuæ? Neque verò huic pompæ tuæ Sa-[illegible] ſuus defuit, genere, & auctoritate, & ſacerdotio nobilis quando ſacra illa pignora ſupplicantis ritu circumtulit Joannes Wachtendonchus, 1 *vir & ampliſſimis, quos nunc gerit, & majoribus, quibus fungetur, honoribus lõgè digniſſimus: quibus ego nunc* cum-

1 Erat is, cùm hæc à me totidem verbis primùm ſcripta editaque ſunt, Mechliniæ Eccleſiæ Metropolitanæ Præpoſitus, & ſupremæ Curiæ Conſiliarius; nunc Epiſcopus Namurcenſis.

cùm jam dudum virtuti tantæ, prudentiæque debeantur, quaſi præſentibus & lætor, & fruor. Illud fortaſſis cuipiam videatur, in quo cum Jeſæi Regis pompa comparari non poſſit tua, quòd ſacrum illud Judaicæ religionis & imperii pignus ſub hominis unius privati cuſtodia detentum, in locum multò celebriorem, Sionis arcem, ac regni ſedem, apparatu ſumtuque regio deferretur: hoc verò felicitatis tuæ pignus ex auguſtiſſimo templo in anguſtum deſcenderit. Verùm nihil hic ego excuſo. Fuerit illa quondam Evandri paſtoritii regis, ac planè paſtoris oratio, qua Heroem advenam humili acceptum hoſpitio ad opes contemnendas hortabatur, quarum ſcilicet in illa exulantis Arcadi ſimplicitate ſplendorem nullum eſſet conſpecturus. Nobis certè modicus tenuiſque cultus excuſandus non eſt apud Cælites, qui opibus pretium nullum unquam fecerunt. Quare hæc tam benè ominata pietatis initia latè tibi ac feliciter evenire iterum iterumque jubeo. Quamquam quid ego tam anguſtis limitibus S. Rumoldi beneficentiam circumſcribo? Faciet, ſpero, Deus immortalis, ut luctuoſiſſimis hiſce temporibus, dum undique velut in communi incendio auxilia quærimus, illius patrocinium hac etiam ſacrorum procuratione imploratum contuliſſe aliquid gratulemur ad extinguenda funeſtiſſima bella, quibus Belgicam tot iam annis ardentem fruſtrà miſeramur. Magnum aliquid ſpe præſumere nos illud jubet, quod ſacrorum ejus oſſium huc translatorum annum primum ſignare jam liceat nobiliſſimis victoriis, certiſſimiſq; pacis auguriis, quę Sereniſſimus Princeps Leopoldus dedit fixis ad OEſiam Axonamque triumphalibus ſignis. In partem illius gloriæ S. Rumoldum venire, is dubitare demum poterit, qui illum patriæ noſtrę cujus patronus ac tutor eſt, nec videre vulnera, nec calamitates miſerari, nec ſupplices querimonias audire, adeoque nec belli paciſque conſiliis præſidere, nec juſtiſſimæ cauſæ conſulere exiſtimaverit. Quare dum

Mecum ipſe cogito, Nobiliſſime Domine, quanta publici privatique boni ſpes in illo reſideat, effert ſeſe atque diffundit lætitia animus, geſtitque jam nunc eorum omnium, qui illum in Æde Humbecana publicè privatimque ſibi beneficium ſentient, interpretem agere, ac ſupplicationes, gratias, tabellas, donaria celebrare memorando. Quæ vero ad cohoneſtanda pietatis tuæ prima ſollemnia nunc Muſæ noſtræ adferunt, etſi aris dicata eſſe velim: tamen non abs re eſſe cenſui, eadem tibi quoque inſcribere, & privatam obſervantiæ erga te meæ teſtificationem cum publica religione conjungere.

RUMOLDUS.

IDYLLION.

SI potes hac mecum requieſcere, Daphni ſub umbra,
Quà tua rura 1 novus prælabitur amnis, & ecce
Vicino invitat ſuccedere ripa ſalicto,
Huc ades: &, ſi quid noſtrum tibi dulce, piumque eſt,
Accipe quæ cecini, dum pagum & compita circum
Solemnes pompæ longus procederet ordo.
Ipſe ſuos propius ſpectans Rumoldus honores,
Se mihi materiam dederat, pariterque canenti
Fecerat ingenium, lætoſque afflaverat ignes.
Illum etiam ripæ, illum etiam fonteſque, lacuſque
Et nemora, & totis reſonabat vallibus Echo.
Arduus illum etiam dignantem rure morari
Aſſiduis pulſus referebat cantibus æther.
Dumque omnes hic ardor habet, ſic cœpimus ipſi.
  Ergó erit ut res hic inopes, humileſque myricas
Auſpicia, Rumolde? ergò tibi ſacra placebunt
Noſtra, nec agreſtem, Pater, aſpernabere cultum?
Non,

1 *Humbeca ad novum amnem Bruxellenſem ſita.*

Non, ut te digna eſt, nitidis hic alta columnis
Stat moles: tantùm ſcabris riget aſpera tophis.
Non Indum rudibus, tibi quas ereximus, aris
Candet ebur: non texta nitent Babylonia muris,
Non ſtatuæ, tabulæque: lapis ſunt omnia nudus.
Exuviiſque tuis poterunt hæc templa videri
Pulchra ſatis? Ne rem tenuem, ne munera ſperne,
Quæ ferimus: Sunt illa quidem, ſunt ruſtica, nec te
Quæ deceant. Non eſt adeò, ſit cętera ſimplex,
Paupertas ignara ſui. Sed ſi tibi laudis
Materiem ſors noſtra dabit, quæſo, utere magni
More Dei, qui nec ſpicas, nec pauperis horti
Contemnit flores, nec parvi thuris honorem.
Pro myrrhæ lacrymis, pro nardi mollis ariſta
Silveſtrem ferimus mentham, caſiamque, thymumque,
Et quodcumque viret noſtris redoletque myricis.
Ipſe tibi noſtro ſolvam de rure coronam,
Primitias frugum: noſtris ab ovilibus agnum,
Cùm fetura gregis numerum ſuppleverit, addam.
Proxima nos ſumtu vincant opibuſque profuſis
Mœnia, & argento ſolidam, ſigniſque rigentem
Oſtentent 1 urnam, cinerum monumenta tuorum
Non ſi divitiis, etiam cedemus amore.
Eheu! quid voluit, vel quo ſe nomine jactat
Ruſtica ſimplicitas? an parvæ culmina villæ
Turribus 2 auguſtis, ſpatio quas diſſita longo
Oppida proſpiciunt, an rara mapalia magnis
Urbibus, & ſtipulas auſit componere gemmis?
Parcite ſublimes paſtori, parcite turres.
Sępè ego vos, ſalices nobis, & paſcua teſtes,
Admiror cælo eductas, formaque ſuperbas.
Sæpè etiam hinc oculos vicina ad mœnia vertens,

1 *Habet Mechlinienſe templum primarium S. Rumoldo ſacrum, urnam ex argento magnæ artis ac pretii, in qua reliquias ejus ſervat;*
2 *Turrim itidem è ſectolapide mole & ſtructura ſpectabilem.*

Et ſacram templi molem veneratus, & ipſum
Qui dedit huic nomen: Serva, Pater Optime, dixi,
Me, patrioſque greges: & ſi modò juſta precamur,
Deferat aura preces ad te non invida noſtras.
Sæpè etiam præſens, & ruri miſſus in urbem
Suſpexi auguſtis opulenta altaria donis,
Crateraſque graves auro, cælataque in auro
Divorum ſimulacra, cruces, & pallia, & urnas,
Ingens argentum, atque operum artificumque laborem.
Sed non hæc decorum ſumma eſt. Vos pignora Divum,
Vos auro incluſi Cineres, ariſque receptæ
Exuviæ famam templo datis. Has quoque ſi nunc
Servamus noſtris, quamvis ſint ruſtica, templis,
Parcite ſublimes paſtori, parcite turres,
Non ſi divitiis, etiam cedemus amore.
Quid tum, ſi ſacros cineres atque oſſa ſaligno
Servamus loculo? quid tum, ſi bractea tantùm
Obducta eſt tabulis? Num priſci temporis annis,
Dum populus pauper, dum ſtabat Divus in æde
Ligneus exigua, demtique ex arbore rami,
Et quos ſeu Lycidas aliquis, ſeu Theſtylis horto
Attulerat flores, templis ariſque paratus
Non ſpernendus erat, num plebs minùs, araque ſimplex
Cælitibus placuere? Illi non aurea curant
Munera, ſed, qui muneribus ſe prodit, amorem.
Abſit amor, perfecta auro cælataque tanti
Urna valet, quanti calathus contextus hibiſco
Parcite ſublimes paſtori; parcite turres,
Non ſi divitiis, etiam cedemus amore.
Si quondam magnos, & ab extremis Nabathæis
Excitos Reges, turguri ſub pauperis antro,
Divino Puero donis placuiſſe Sabæis
Credimus: at non & ſimplex quæ turba ferebat,
Seu ſinum lactis, ſeu condita ſubere mella,
Aut agnam ſtabulis, aut raptos corte palumbos
De-

Deſ, exit Puer, & Pueri dulciſſima Mater.
Sunt & opes animo: nec, ſi ſilveſtria ſordent
Munera, mens etiam ſordet, diveſque voluntas.
Hęc auro potior. Certè paſtoribus illum
Fortuita effultum ſtipula, calamoque paluſtri
Fas primùm vidiſſe fuit. Fas & fuit illis
Reges ante ipſos divinis figere plantis
Oſcula, ſpeluncæque fores intendere ſertis.
Talibus exemplis quòd ſi, Rumolde, licebit
Pauperibus de te quidquam ſperare colonis,
Te quoque res noſtrę capient, & ruſtica dona,
Et quęcumque tuis humiles ſolemnia ſacris
Paſtores referemus. Amarunt rus quoque Divi.
O Pater, o quem te noſtris modò finibus infers!
Ecquis io mecum, pueri, quę munera cęlo
Plurima provenient, junctis celebrabit avenis?
Credite: majores poſt hac teret area meſſes,
Lanaque candidior paſcentes veſtiet agnos.
Sis felix Humbeca. Tuis non triſtis arator
Infindet ſulcos, aut credet ſemina glebis.
Non lętę campis ſegetes, ſoleſque benigni,
Non rores pu.i deerunt. Spem provehet anni,
Qui cęlo veniens fruges luſtrabit & agros.
Cùm ſitient herbę, cùm Sòl aut Sirius illas
Uſſerit, edicet Zephyris, edicet & Auſtris,
Solentur terram pluviis, & mitibus auris
Interdum Æoliis Auſtros quoque claudet in antris,
Et quę nigrantes inducunt flamina nimbos.
Tu quoque, magna Pales, mirabere ſępè juvencas,
Balantumque greges, ſive ad pręſepia ſtabunt
Jam ſaturi, & niveo implebunt mulctralia lacte,
Seu virides latè ſaltus, atque arbuta paſcent.
Non illos turpis ſcabies, non terra venenis
Pabula, corruptique lacus, aut frigora lędent,
Mollibus albentes villis, habileſque ferendo.
Hęc ego pro gregibus; pro frugibus illa coloni
Poſcite. Poſcentes cęlo miſeratus ab alto
Audiet, & noſtras vultum convertet ad aras.

Qui modò parte ſui noſtris eſt additus aris.
Forſan & arma brevi (quid non ſperare jubemur?)
Ducent ſcabra ſitum, ferrique erit aptior uſus,
Cùm gravibus raſtris curvoque niteſcet aratro,
Martiaque in duros vertentur pila ligones.
Jam feſſis bello populis Leopoldus olivam
Oſtentat, venturę ardens occurrere Paci.
Jam ceſſit nobis, ut narrant, Axona, & alter
Proximus ille quis eſt? Gallorum in finibus amnis.
Forſan & ipſe ſacras cui primùm ponimus aras,
Conciliantis aget partes, pacique favebit,
Fortunam & lacrymas inopum ſolatus agreſtum.
Tunc tibi creſcet honor, tunc & te divitis agri
Cuſtodem, Rumolde, novas de marmore factas
Expectare velim meritis pro talibus aras.
Nunc cinerum loculus pro tempore ligneus: at cùm
Aurea Pax terras reſpexerit, aureus eſto.
Talia cantabam: cantanti conſcius ęther
Annuit; & cęlo viſus dare ſigna ſereno.

JACO-

JAGOBI
WALLIJ

E SOCIETATE JESU

HEROICORUM

LIBER SINGULARIS.

PARAPHRASES

HORATIANÆ.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO.

ANDREÆ MANGELLO,

ABBATI S. ANGELI, S.D.N. INNOCENTII X. DEINDE S. D. N. ALEXANDRI VII. APUD BELGAS INTERNUNTIO.

MAgna ingeniorum ubertate & gloria, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, floruerit neceſſe eſt vetus Italia, ex quo præſertim Græcorum artes ac diſciplinas ad ſe unà cum imperio tranſtulit. Teſtes ſunt eruditionis reliquiæ, quas temporum injuriis aut fortuna, aut poſterorum cura, aut potiùs, ut haberet orbis quo ſe ad elegantiam informaret, Numinis providentia ſubduxit. Quid enim tot conſequentibus ſæculis tanta ſtudiorum contentione perfectum & elaboratum eſt, quod cum iis judicij moderatione, & ſcribendi genio exæquari poſſit? Non conſenuit quidem natura, neque ut ager aſſiduè ferendo, ſic illa quotidiano animorum cultu defeſſa vim vigoremque ſuum exhauſit: quamvis ut annus alter altero ſubinde fecundior provenit; ita, dum inter ſe conferuntur ſæcula, doctrinæ fecunditatem quædam veluti ſterilitas nonnumquam excipit. Sed hoc inertiæ expenſum ferre quiſque debet, nemo naturæ. Hæc enim vegeta ſemper ac vivida cæleſtes illos orbes, iiſque affixos ignes imitatur, de quorum luce atque ſplendore, occultaque vi, qua ſe in corpora noſtra inſinuant, nihil incitatæ æternæque converſiones, nihil tẽporũ viciſſitu-

ſtudines deterunt. Hoc tamen in re eſt, tam admirabilem eſſe veterum in effingendis rebus ſuis felicitatem, ut quidquid ab iis limitatum ac perpolitum accepimus, velut à natura ipſa elaboratum exemplar, aut Polycleteus Canon meritò habeatur. Ingenioſiſſimus quiſque quantumvis ad ſimilitudinem eorum propiùs accedere laboret, eam tamen penitus exprimere deſperet. Non id, credo, ſi viveret, de ſe dici vellet Michael Angelus, Aretinus, pictor ac ſtatuarius ævi ſui primus. Cupidinis dormientis ſimulacrum à ſe perfectum eo loco defoderat, quo eruendum ſciebat: repertum cùm laudari, pro antiquo haberi, novis anteponi, ſibi etiam oſtendi, ſuiſque rebus potius duci videret, audivit omnia, & riſit; & ſibi ſe præferri ac ſimul poſthaberi gaviſus, nomen tandem ſuum ſigno inſculptum oſtendit, triumphavitque quaſi judicium ſuorum jam datis ſententiis ſecundùm ſe pronuntiatum eſſet de exæquata veterum arte atque fama. Non ego is ſum, qui celeberrimum artificem de adita hujus gloriæ poſſeſſione dejiciendum putem. Neque, ut de re noſtra loquar, Jacobum Sadoletũ, virũ poeticis aliiſque ſapientiæ ſtudiis æquè ac purpura illuſtrem, de affectata veterum laude arguerim, quem refert Lilius Giraldus ingenioſa epigrammata ſcribere ſolitum, quæ tamquam è Romanis ruinis eruta Ferrariam ab amicis ad ſe mitti comminiſcebatur: idque cùm aliis, tum viris etiam literatiſſimis perſuadebat. Malignitatis humanæ vitio fit, cùm, ut ait Velleius, præſentia invidia, præterita veneratione proſequimur, & his nos inſtrui, illis obrui credimus. Meum hoc ſemper judicium fuit, favere unumquemque alieno ſæculo ſic oportere, ut, ſi cauſa fuerit, haud paullò jucundiùs effuſiùſque gratulari debeat ſuo. Verùm cùm Poeſin Auguſti ætate in faſtigio ſtatem intueor, atque hic incomparabilẽ & nulla affectatione ſeſe efferentem majeſtatem illic ſimplicitatem cultã, facilem, ſuavem contemplor, cùm utrobique & linguæ delicias, & ſententia-

tentiarum gravitatem, & decorum illud, cujus ignoratione non modo vita, ſed etiam in oratione peccatur, obſervo; judicii inopia fieri arbitror, cum extra anguſtos hujus ſæculi, & nondum planè decurſi limites (adeò difficile eſt in perfecto diu conſiſtere) paria quæruntur. Injuria igitur pigri & ſervilis ingenii nota iis inuritur, qui ad paucorum illorum, qui tum ſcripſerunt, virtutes ſe totos imitando nituntur fingere. Nos optimis ſimiles natura præſtare non poteſt; poteſt optimorum imitatio. Hæc ego mente Horatium in manus interdum ſumſi, & Odas præſertim illas, quæ quòd magnifico dicendi genere ſtructæ eſſent, heroicis numeris aptari poſſe videbantur, aliter atque aliter efferre ſtudui. Quamquam me cum politiſſimo poeta committerem: cogitabam tamen vinci indecorum non eſſe, & contendere glorioſum. His exercitationibus cùm profeciſſe me fatear, earum aliquas tibi, Illuſtriſſime Domine, dicatas eſſe conſultò volui, Italiam, Italiam, non, ut ille, imperii ſedem fataliter ſuis datam, ſed ut bonarum artium matrem ac principem, & ingeniorum altricem abſens abſentem, &, qua ſola licet, mente conſpectam ſubinde veneror, ac ſaluto. Ac tum mihi occurrere videntur ingentes illæ excelſæque veterum Poetarum animæ, quæ ingenio ſuo & immortalibus monumentis Romanum nomen altiùs, quàm alii Marte & manu extulerunt. Huic ſublime, & magnificum, illi tenue & volubile ſcribendi genus gratulor: in alio nativum ſimplicemque admiror candorem; in altero eruditionem conquiſitam & variam, Græcorum etiam pigmentis illuſtratam: ille me, quòd naturæ plus indulſerit, hic quòd diligentiæ plus attulerit, delectat & paſcit. Ab Italia igitur cùm in reliquum orbem prefluxerit, quidquid ornamentorum ac deliciarum habet Poeſis, ut hoc, quantulumcumque eſt, quod ab illa hauſi, illi acceptum retuliſſe videar, tibi, qui Italiæ tuæ decus es, inſcribo. Accedit nominis tui

fama,

fama, quæ nuper Hiſpaniam, nunc Belgium eruditionis, æquitatis, prudentiæ, ceterarumque virtutum tuarum admiratione complevit. Magna negotia magnis adjutoribus egent: eaque magnum profectò te probarunt, cùm oppreſſa malis artibus veritas fuit vindicanda, Pontificiorum edictorum ſtabilienda auctoritas, hominum publicis privatiſque calumniis eadem arrodentium contundenda protervitas. Si, ut inquit Hiſtoricus, quem antè laudavi, Reipubl. intereſt, quod uſu neceſſarium, dignitate eminere, crediderim Aram Virtuti redui, non Fortunæ, parari, quæ te è Belgio aliquando revertentem ſuis ipſa manibus ad ea quæ ſunt eminentiſſima communi omnium aſſenſu & gratulatione deducat. Muſæ verò meæ, quamquam patrios intra fines benevolè excipi, pro magno habituræ ſint: ſi tamen aliquando longiùs provehantur, ſi Italiam, ſi Romam denique viderint, timidè quidem in illa terrarum arce, & eruditorum comitio apparebunt; magnam autem illis timoris partem, ſi tibi placuerint, tuus favos exemerit

GRA-

GRAVISSIMORUM VIRORUM

DE PARAPHRASI

J U D I C I A.

AD ILLUSTRES, NOBILES, INGENUOS ADOLESCENTES

C O N V I C T U S

SOCIETATIS JESU

ANTUERPIÆ.

Quintilianus Inſtit. Orat. lib. 10. cap. 5.

NOn ego Paraphraſin eſſe interpretationem tantùm volo, ſed circa eoſdem ſenſus certamen atque æmulationem. Ideoque ab illis diſſentio, qui vertere Orationes Latinas vetant, qui optimis occupatis, quidquid aliter dixerimus, neceſſe ſit eſſe deterius. Nam neque ſemper eſt deſperandum, aliquid illi, quæ dicta ſunt, melius poſſe reperiri: neque adeò jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re benè dici niſi ſemel non poſſit. Niſi fortè hiſtrionum multa circa voces eaſdem variare geſtus poteſt, orandi minor vis, ut dicatur aliquid, poſt quod in eadem materia nihil dicendum ſit. Sed eſto, neque melius quod invenimus ſit, neque par: eſt certè proximis locus. An verò ipſi non bis ac ſæpius de eadem re dicimus, & quidem continuas nonnumquam ſententias? Niſi fortè contendere nobiſcum poſſumus, cum aliis non poſſumus. Nā ſi uno tantùm genere benè diceretur, fas erat exiſtimari pręcluſam nobis à prioribus viam Nunc verò innumerabiles sūt modi, plurimæque eodē viæ ducūt.

Sua brevitati gratia, ſua copiæ: alia tranſlati virtus, alia propriis. Hoc oratio recta, i'lud figuræ declinata commendat. Ipſa denique utiliſſima eſt exercitationi difficultas. Quid, quòd auctores maximi ſic diligentiùs cognoſcuntur Non enim ſcripta, lectio ne ſecura tranſcurrimus: ſed tractamus ſingula, & neceſſariò introſpicimus: & quantum virtutis habeant, vel hoc ipſo cognoſcimus, quod imitari non poſſumus.

Manutius lib. 1. epiſt. 4.

CUm id, quòd enitet in oratione, aut in re videatur eſſe, aut in verbis, ego olim rem ſignificatam ſimul cum verbis ſignificantibus ſumebam, eaque meis ſcriptis cum inſeruiſſem: tuum optimum i'lud, quod quæritur imitando, planè arbitrabar me eſſe conſecutum. Poſteà cœpit mihi meum co ſilium diſplicere: cogitavi, quoniam id eſſet memoriæ magis, quàm ingenii, quod ego efficerem, præſtare multos poſſe; quod autem multi poſſent, egregium non eſſe. Tum inivi rationem haud paullo difficiliorem, quam cum pauciſſimis mihi eſſe communem intelligebam. Exquiſitas ſententias de Cicerone excerptas, aut de Terentio, tacitus in animo verſabam, eas ornabam verbis quàm poteram lectiſſimis, utquaſi veſtitu orationis mutato, cùm eædem eſſent, aliæ tamen viderentur. Erat non diſſimilis in verborum figuris commentatio. Si quas notaveram illuſtriores, ad alias ſententias ita traducebam, ut interdum eamdem locutionem ad res propè innumerabiles accomodans, quaſi ex una cera plures imagines, nec tamen ejuſdem generis, effingerem. In hac exercitatione quantum eſſet, utinam aut maturè cognoviſſem, aut ſerò cognitum avidè que arreptum vis occupationum non extorſiſſet! Equidem ſi quis me neget in ſcribendo quidquam eſſe, non pugnabo: ſed ſi quid ſum, an hac una eſſe contendam.

HIS

HIS *tam luculentis teſtimoniis ac prœceptis quid in rem præſentem adjungi poſſit, non video. Hoc tantùm, Ingenioſi adoleſcentes, (vos enim, quibus Poeſis in amore atque deliciis eſt, hic paucis alloquar) hoc tantùm à vobis contendo, primùm, ut quæ ex Quintiliano Manutioque à me prolata ſunt, poeticis æquè ut oratoriis ſtudiis convenientia, non curſim, ſed cunctanter attentèque perlegatis; deinde, & id quidem multò magis, eorum fructum uſu veſtro comprobetis. Porrò cùm hæc exercitationis genus certamen atque æmulationem Quintilianus vocet, penitus in animis veſtris inſideat neceſſe eſt, poetis non niſi optimis, &, quod inde conſequitur, paucis conſueſcendum eſſe. Neque enim infeliciter tantùm, ſed armis etiam imparibus congreſſuri eſtis, ſi ab hac aut illa inferiorum poetarum lectione recentes in certamen cum præſtantioribus veniatis, Alexander cùm à Parente ſuo Philippo ad ſtadium in Olympiis decurrendum excitaretur. Facerem, inquit, ſi reges habiturus eſſem, qui mecum contenderent. Hanc altitudinem animi ad ſtudia veſtra transferre vos volo, & in hoc literario pulvere cum iis tantum decurrere, quos ſæculorum omnium conſenſus ad literarum principatum extulit. Quod in iis elegans, moratum, preſſum verbis, rebus affluens, id ita immutandum illuſtrandumque ſumite, ut in pari argumento, velut in eodem curriculo, cum iis de victoria diſceptare velle videamini. Eant, & mirentur ſeſe, qui cùm ab eximii ſcriptoris opere, velut à pulcherrimo corpore, trunca membra diſtraxerint, rebuſque ſuis accommodarint, ejuſdem in ſcribendo venuſtatem, nervos, opes, ornamenta, lumina, ſuavitates, omnia denique ſe aſſecutos putant. Vibius Rufus (rem ridiculam & jocoſam!) Ciceronis uxorem duxerat, eamque ſellam; in qua Julius Cæſar, quoties in ſenatum venerat, conſidere ſolitus, & ad extremum interfectus fuerat, domi ſuæ aſſervabat; utroque glorian-dus,*

dus, ut inquit Dio, aut Orator propter conjugem, aut Cæſar propter ſellam futurus. Et ad conſulatum quidem homo glorioſus ambitionis via graſſatus tandem pervenit ſed facilius illi fuit collegam habere in magiſtratu Cæſarem, quàm in eloquentia Ciceronem. Hanc autem à muliere deferri viro dotem poſſe ſi exiſtimavit, amens fuit. A Vibio noſtro inſciti illi & arrogantes imitatores quàm propè abſint, per ſe liquet. Nec virile quidquam nec grande concipiunt proferuntque, & tamen, ſi ipſis de ſe creditur, ob neſcio quæ Poetarum principibus direpta fragmenta ſimiles illis ac pæne pares videri volunt. Fucorum eſt iſtud ingenium, qui ad aliena pabula immunes ſedent, eaque, ut ſunt, conſtructa diripiunt. Apes in agris & ſaltibus rorem, & arborum lacrymas, & thyma, & flores nactæ, adeò copioſè ſtudioſè que ex iis, quæ in uſus ſuos opportuna ſunt, legunt, ut in earum Republica quædam ſortitò portas occupent, quæ venientium onera accipiant; at qua deinde ſedulitate, quo artificio ceras ex illis, ex iſtis mella fingunt, thymum quidem floreſque redolentia, ſed transformatos? Quid aliis Virgilius debeat, nemo neſcit: nec ipſe pro modeſtia ſua tacet ac diſſimulat, cùm & Theocriti gratia, quem imitando exprimit, Sicelidas Muſas & Arethuſam invocat; & quod carmen Heſiodus Græcè, ſe Latinè per Italiæ oppida canere profitetur. Immenſam autem Illiados & Odyſſeæ opulentiam Æneis explicat, qua ipſa inſtructa ornataque incedit. Sed hoc acerrimi judicii poeta conſecutus fuit, ut, cùm imitatio plerumque declinet in pejus, alii ex ipſo, non ipſe ex aliis, quos poſt ſe reliquit, ſimilitudinem duxiſſe videatur. Nec Horatius, ut veteres alios prætermittam, à præſtantibus è Græcia poetis laudem non mutuatus fuit: in quorum veſtigiis quàm ſæpè pedem poſuerit, credibile faciunt Lyricorum tenues illæ reliquiæ, quæ adhuc nobis è deflagrati Græcorum imperii cineribus ſuperſunt. Compēdioſa igitur,

tur, & trita maximis etiam ingenii via eſt, excellentium auctorum virtutes intelligendo primùm, deinde & imitando conſequi. In hanc ego vos viam deducere hoc libello volui. Difficilem, dicetis, & moleſtam, qua per aliena veſtigia nunc hac, nunc illa ratione decurrendum. At mihi credite, ut equi, dum in hippodrome exercentur, primùm quidem habenis & calcaribus non ſine moleſtia ſubiguntur nunc curſum rectum tenere, nunc gyro frangere, nunc incitatiore, nunc temperatiore gradu ferri; interdum in ſumma pernicitate ſubitò reſiſtere, interdum foſſas aut repagula ſaltu ſuperare, agunt deinde palæſtrico more (nam morem uſus facit) expeditùs omnia: ita qui in hoc curriculum ſeſe compulerint, laborioſa primùm iis, eſt, deinde facilis exercitatio. Laborem certè jucundum reddit aſſecuta ſcribendi ratio, quam verborum delectus, ſententiarum pondus, brevitas integra, circumciſa copia, denique in quo ſunt omnia, ſtylus ad veterum leges efformatus commendant.

AUGUSTI LAUDES:

REGULI CONSTANTIA,

ET AD POENOS REDITUS,

Horat. lib. 3. Ode 5.

CŒlo tonantem credidimus Jovem
Regnare:

præſens Divus habebitur
Auguſtus,

adjectis Britannis
Imperio, gravibuſque Perſis,

Mileſne Craſſi, conjuge barbara
Turpis maritus vixit?

& hoſtium
(Pro curia, inverſique mores!

Conſe-

ANTONIO L'HERMITE,
SUPREMI CONSILIJ
MECHLINIENSIS
PRÆSIDI,

In M. Attilio Regulo Conſiliarii publico bono omnia nihil ſuo metientis abſolutiſſimam imaginem.

Credidimus, cælo ſiquando clarus ab alto
Intonuit, regnare Jovem, qui rumperet igni
Nubila, fulmineumque ageret per inania currum:
At nunc, præſenti cujus ſub numine Roma eſt,
Auguſtus Cęſar poſitis ſacrabitur aris.
Dumque illum Erigone intereà, cœtuſque Deorum
Indigetem accipiant, Divis adſcriptus, & ipſe
Exortus Divis, populique, urbiſque vocari
Aſſueſcet votis. Extremos ille Britannos
Addidit imperio ſine cæde & ſanguine 1 victor.
Ille etiam noſtris opibus ſpoliiſque ſuperbos
Contudit Arſacidas, amiſſaque ſigna recepit,
Et Craſſi cladem maneſque piavit inultos.
Degener, & fruſtrà patriæ devota juventus
Sic vitam pepigiſſe, hos & celebrare hymenęos
Suſtinuit? tædiſque (nefas) dignata Latinis.
Romanum mulier tenuit complexa maritum
Barbara? nec ſoceri dextram indignatus & ora,
Abſtinuit thalamis gener, averſuſque refugit?
Quin etiam pictis pharetris, & acinace Medo
Accinctum molles humeros (pro ſancta Quiritum

T 2 Curia

1 *Non armis Britanniam Auguſtus, ſed benevolentia ſibi adjunxit. Viri quidam principes ejus loci, ut ait Strabo, legationibus obſequiiſq; Cæſari Auguſti amicitiam conſecuti, & dona diis immortalibus in Capitolio poſuere, & univerſam pænè inſulàm Romanis conciliavere.*

Conſenuit ſocerorum in armis
Sub rege Medo Marſus, & Appulus,
Anciliorum, & nominis, & togæ
Oblitus, æternæque Veſtæ,

Incolumi Jove, & urbe Roma?

Hoc caverat mens provida Reguli,

Diſſentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum,
Si non periret immiſerabilis
Captiva pubes.

Signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus ſine cæde, dixit,
Direpta vidi.

Vidi

Curia, & inverſi nullo ſub vindice mores!)
Conſenuit, feſſoſque trahens inglorius annos
Celavit canos galea, turpemque ſenectam.
Non Marſi, genus acre virum, non Appulao pubes
Juſſerat hoc ſperare. At Martis gloria noſtri,
Purpuraque, trabeæque, & lapſa ancilia cælo,
Æternique ignes ſacrorum, Veſtaque mater
Exciderant animo. Quodque indelebile captis
Opprobrium, dum Roma viris, magniſque vigebat
Conſiliis, dum res Italum, prolemque, domoſque,
Et Capitolinas ſervabat Juppiter arces
Incolumis, vitam indecores pepigere precando.
Caverat hoc durus bello, prudenſque futuri
Regulus, ipſam animis, ipſam præſtantibus armis
Deberi vitam reputans. Non ille Senatum
Multa reluctantem, & captos revocere parantem
Audiit. Infames leges, & inertia pacta
Reſcidit indignans: & ni captiva periret
Infelix pubes, nulli deflenda Quiritum,
Quos, heu, quos patriæ caſus luctuſque canebat
Fatidicus! ſegnes olim voluentibus annis
Venturos Latio juvenes, fortiſſima fruſtrà
Pectora, qui pugnas inter, lituoſque, tubaſque,
Confuſaſque neces, pallentes morte futura,
Ultrò addant in vincla manus, nec viribus uſi
Vitam, quà fuerit fortuna facillima, quærant.
Uſque adeò & ferę ſtirpes contagia ducunt.
Signa ego Sidoniis, dixit, pendentia vidi
Noſtra tholis: pendent variæ circumque ſuperaque
Exuvie, & nullis reſperſa cruoribus arma.
Scutaque, mucroneſque, extortaque tela, nec ulli
Fatales haſtæ Vidi, & thoracas ahenos,
Nec ſquamis laceros, nec adacta cuſpide læſos,
Avulſos impunè humeris. Et nunc quoque Pœnus

Vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,

Portaſque non clauſas, & arva
Marte coli populeta noſtro.

Auro repenſus ſcilicet acrior
Miles redibit.

Flagitio additis
Damnum. Neque amiſſos colores
Lana refert medicata fuco:
Nec vera virtus, cùm ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata denſis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus:
Et Marte pœnos proteret altero,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners, timuitque mortem.

Hic, unde vitam ſumeret inſcius,
Pacem duello miſcuit,

O pudor

Cingula, ſicut erant, noſtris fulgentia bullis,
Atque albas equitum parmas, habituſque Gabines
Servat adhuc. Vidi ipſe viros inimica volentes
Jura pati, & centum nodis poſt terga revinctos
Ire graves. Non libertas, multuſque latinæ
Gentis honos revocare animos, nexaſque catenas
Rumpere: venalis vitæ ſpes una recurſat.
Me miſerum! quid nos Libye, Tyriique coloni
Jam metuant? pandunt portas, laxantque revulſis
Clauſtra feris, & quà noſter ſeſe arduus olim
Intulerat præda gaudens, & ſanguine Mavors,
Securos illo ducunt in pulvere ſulcos.
At pudor incendet vires, auroque repenſus
Opprobrium ferro miles, crimenque refellet
Acrior, & famæ impulſus melioris amore.
Quondam etiam ultrices iras expleſſe juvabit.
Scilicet is pavidis labor eſt, ea gloria victos
Sollicitat. Damno infandum cumulare paratis
Flagitium. Neque lana refert medicata colores
Muricibus Tyriis poſitos: nec Martia virtus,
Cùm ſemel exciderit, redit in præcordia victis.
Si denſas ubi cerva plagas, ferrumque latronis
Evaſit pavitans, media in venabula frendens
Irruit, & rupta exſultat formidine victrix,
Credite, perjuriis ſeſe qui credidit Afris,
Ibit in adverſos violentior. Ibit, & armis
Jam melior, victos pugna belloque ſubactos
Proteret inſultans, qui ſtrictis lora lacertis
Senſit iners, timuitque mori. Nil demere vincla
Profuerit, cui vita probro eſt. Malè namque precando
Exigitur, quod Mars ferro extorquere cruento
Debuerat. Malè tum dextræ tenduntur inermes,
Cùm fremitus pugnantum inter, gemituſque cadentum
Victorem ulciſci decuit. Quid noſtra juventus

O pudor!
O magna Carthago, probroſi.
Altior Italiæ ruinis!

Fertur pudicæ conjugis oſculum,
Parvóſque natos, ut capitis minor,
A ſe removiſſe, & virilem
Torvus humi poſuiſſe vultum.

Donec labantes conſilio Patres
Firmaret auctor numquam aliàs dato,
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exul.

Atqui

Intereà? pacem mediis immiſcuit armis,
Vecors, quæ quod nunc ſpiret, cladique ſuperſit
Ipſa ſuæ, lacrymis debet, turpique catenæ.
Jamque adeò aut hoſti ſupplex nos dextera ſervat,
Aut fuga: ſic pugnat, ſic orbi Roma timetur.
O pudor! o belli ſtudiis magnæ æmula Romæ
Carthago! at non tam virtus ſuper æthera tollit
Te tua: probroſis creſcit tibi fama ruinis
Æneadum: tibi noſtra facit ſocordia nomen.
Dixerat: & nondum verbis mentemque caloremque
Explerat ſatis. Attoniti hæc haud mollia fatu
Secum agitant Patres animo, longùmque morati
Ora tenent, oculoſque: ſilent auguſta Senatus
Atria: mirantur vultus, habitumque loquentis:
Mirantur vincliſque animum, mortique paratum.
Non mens his eadem, non idem ſenſus: at ille
Ingens conſilio, factis ingentior ardet
Maturare viam, diroſque reviſere Pœnos;
Pignoraque, & thalami ſociam complexibus arcet
Non illam lacrymas, non illam ſuſtinet ultrà
Perdere blanditias, & amanti dulcia quondam
Oſcula, dum liber, dum non obnoxius ulli
Civis erat: nunc ſe vinctum, capitiſque minorem.
Sæpè etiam patrem parvis tenuiſſe lacertis
Dicuntur pueri flentes, abitumque morantes.
Sed parvos (quamquam nihil his violentius eſſet)
Aſper, & implacidus dura cervice lacertos
Dimovit pater, atque ora indignantia flecti
Torvus fixit humi: nullique audita priorum
Conſilia ingreſſus, Patres firmare labantes
Inſtitit. Illum iterùm ante alios mœſtiſſima conjux
Sciſſa comas, & quæ poterat moritura videri,
Lamentis, gemituque, & luctiſono plangore
Proſequitur, lacrymiſque inter mandata profuſis
 Luget,

Atqui ſciebat quæ ſibi barbarus
Tortor pararet:

non aliter tamen
Dimovit obſtantes propinquos
Et populum reditus morantem:
Quàm ſi clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

NEREI VATICINATIO,

DE RUINA TROIÆ,

Horat. lib. 1. Ode 15.

PAſtor cùm traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hoſpitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata.

Mala ducis avi domum,
Quam multo repet Græcia milite,

Con-

Luget ut extinctum. Sed nullis flectitur exul
Egregius lacrymis, properatque volentibus illuc
Ire animis, quò pacta fides, duræque vocant res.
Atqui non illum Libyci latuere furores.
Phœbeos ignes, Phœbeiſque ignibus orbes
Obverſos oculorum, & ſqualida carceris antra,
Et vigiles noctes, & quidquid tortor ab illo
Barbarus exegit, bello truculentior ipſo,
Haud vanus jam ſecum animo præceperat augur.
Perſtitit invictus tamen, & vincla omnia rupit
Conjugiique, domuſque; nndamque, moraſque frementis
Evicit populi, tectiſque exceſſit avitis
Haud alio vultu, quàm ſi poſt longa clientum
Jurgia, feſſum urbis, ſtrepituque excedere lætum,
Aut nemore aut denſa platanis frondentibus umbra
Sive Venafrani colles, ſeu molle Tarentum
Victorem cauſæ acciperent, curiſque levarent.

JACOBO DE CALVART,

SUPREMÆ CURIÆ MECHLINIENSIS CONSILIARIO.

Bellorum everſorumque Regnorum cauſas Nerei quoque judicio in peccata conferendas.

NAvibus Idæis profugus Lacedæmone paſtor
Pergama cùm peteret, traheretque per alta Lacænam
Perfidus, hos illi luctus & fata canebat
Vaticinans Nereus. Luctus & fata canentem
(Quippe pater rapidis indixerat otia ventis)
Audivere procùl venti fluctuſque ſilentes.
I infelix prædo! lævo tibi numine Divum
Ducitur, armorum longo repetenda tumultu,
Nupta domum. Jam ſigna dabit. jam Græcia coget

Conjurata tuas rumpere nuptias,

Et regnum Priami vetus.

Eheu, quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor! quanta moves funera Dardanæ
Genti!

jam galeam Pallas, & Ægida
Curruſque, & rabiem parat.

Nequidquam, Veneris præſidio ferox,
Pectes cæſariem, grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides.

Nequid-

Undique in arma viros. Phthiam, & Salaminia
regna,
Dulichiumque, Pylumque, Agamemnoniaſque
Mycenas,
Myrmidonum Dolopumq; urbes, & robur Achivū.
Ætoloſque Arpos campis effundet apertis,
Atridæ læſo auxilium: ſimul æquora velis
Tota teget. Ne fide tuis, neve Hectora belli
Finge moram: vincent Danai, perjuraque rumpent
Fœdera, & infames tecum fugientis amores,
Aulide teſtati Superos, araſque Dianæ.
Ipſe Deos fruſtrà patrios, Pyrrhumque furentem
Incuſans Priamus patrio cadet hoſtia buſto
Infelix. Secum natos, ſpem gentis inanem,
Aſſaracique Larem, veteriſque inſignia regni
Exitio involvet. Jam nunc mihi tota geri res,
Jam conferre manum, jam curru ſtare videtur
Æacides. Eheu, quantus per corpora manat
Sudor equis, quantuſque viris! Quot adultera vir-
go
Funeribus dotanda venis! Non arma viroſque
Correptos undis (Xanthum, Simoentaque teſtor)
In mare ſanguineis evolvunt fluctibus amnes.
Fallor? an & ſubeunt animis cæleſtibus iræ,
Ultoreſque Deos in Dardana ſuſcitat arma
Perfidia, exſtinctuſque pudor? Jam torva coman-
tem
Induitur galeam, jam concutit Ægida Pallas,
Et currus, parat, & rabiem, juſtumque furorem.
Nequidquam, arbitrii pretio Veneriſque ſuperbus
Præſidio, nivea pectes cervice fluentem
Cæſariem, & molli formam profitebere cultu;
Dardaniaſque nurus inter tibi Lydia poſces
Barbita, cuique ſuam dicturus carmine laudem.
Scilicet & flavi crines, & eburnea cervix
Semiviri Phrygis, & choreis & amoribus apti.
Imbellis citharæ cantus terrore Pelaſgos
Implebunt animos, claſſique opibuſque timentes.

Nequidquam thalamo graves
Haſtas, & calami ſpicula Gnoſſi
Vitabis, ſtrepitumque, & celerem ſequi
Ajacem, tamen, heu! ferus adulteros
Crines pulvere collines.

Non Laertiaden, exitium ertia tuæ
Gentis, non Pylium Neſtora reſpicis?
Urgent impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus ſciens
Pugnæ, ſive opus eſt imperitare equis,
Non auriga piger. Merionen quoque
Noſces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre.

Quem tu, cervus eti vallis in altera
Viſum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,

Non

Nequidquam, thalam iſponda compoſtus eburna,
Bellantum ſtrepitus, & Gnoſia ſpicula, & haſtas,
Et Telamoniaden curſu ferroque ſequentem
Fatifero, belli rudis & ſine pectore miles
Effugies. Ut te primis fortuna periclis
Eripiat; tamen, heu, nitidas Syrioque madentes
Rore comas, multo commiſtus ſanguine pulvis
Collinet, & lætos oris confundet honores.
Non Laertiaden Phrygiis ſuprema ferentem
Excidia, & ſignum averſæ fatale Minervæ
Effractis rapientem adytis, non Neſtora demens
Reſpicis? infeſto ſequitur te vulnere Teucer
Impavidus; jam jamque latus premit, & ferit haſta
Expertus pugnæ Sthenelus, dum cominus equo
Congreditur pede, ſeu currus in pulvere verſat,
Non auriga piger. Noſces, quid dextera poſſit
Merionis. Viden' ut furiis metuendus & armis
Tydides te te media veſtigat arena?
Uni odiis, uni telis ardentibus inſtat.
Hic vir, hic eſt, ſibi quem fama & felicibus auſis
Præferri gaudet genitor, cùm Rheſus, & Hector,
Et Venus, & Mavors, & Pallas, & omnia nati
Occurrunt animo non invidioſa paterno.
Quid tibi, cùm ſævis in te ruet obvius armis,
Mentis erit! Solo inſtantis terrebere vultu.
Qualis in adverſis nemoroſæ vallibus Idæ
Cerva lupum vacuas arentem ſanguine fauces
Cùm videt accelerare, fugit: non læta morantur
Gramina, non gelidi fontes, umbroſaque tempe
Illa volat, crebroque pavens quatit ilia pulſu.
Sic quoque Tydide viſu tremefactus, & amens
Terga dabis; pulſans quatiet præcordia terror,
Præcludetque vias animæ, curſuſque labore
Deſtituet feſſos ſublimis anhelitus artus.

At

Non hoc pollicitus tuæ.

Iracunda diem proferet Ilio,
Matroniſque Phrygum claſſis Achillei.

Poſt certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

IN BELLUM CIVILE
GESTUM HINC BRUTO, ET CASSIO; ILLINC AUGUSTO, ANTONIO, ET LEPIDO DUCIBUS.

Horat. Epod. Ode 7.

QUò, quò ſceleſti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?

Parumne campis atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt Latini ſanguinis?

Non ut ſuperbas invidæ Carthaginis
Romanus arces ureret:

Intactus aut Britannus ut deſcenderet
Sacra catenatus via:

Sed

At non illa tuæ quondam promiſſa dediſti,
Cùm molli fotus gremio præclara juventæ
Facta tuæ, certos arcus, & ſpicula juſſo
Fixa loco, medioque greges ex hoſte receptos
Narrabas fidens animi, & ſecurus amorum.
I nunc, & Trojæ vires, ceſſuraque jacta
Dorica caſtra tuis. Claſſis tardantis Achilei
Iracunda diem vertendæ proferet urbi,
Matroniſque Phrhygum: ſed non & Troica ſemper
Duci bella ſinet, jurataque fallet inultus
Numina. Poſt certas hiemes conſidet in ignes
Ilion Argolicos, victorque à culmine verſæ
Inſiſtet Trojæ cineres, Aſiæque ſepulchrum.

FERDINANDO DEL PLANO

SOCIETATIS JESU

RECTORI BRUXELLENSI

Horatianam hanc inſcribebat querimoniam, à temporibus noſtris non alienam, quibus Europæ arma in ipſius exitium verſa.

Quò vos, quò belli rabies, furiæque, ſceleſti,
Præcipitant? aut cur iterùm, quos Roma nefandis
Jam ſaturata odiis, pugnaſque exoſa ſuorum
Condidit, aptantur dextris horrentibus enſes?
Neptunuſne parùm, campique hauſere Latini
Sanguinis? At non ut Tyrios, atque invida noſtris
Litora litoribus victor ditione teneret
Auſonius: non ut magnæ Carthaginis arces
Ureret, &, cinerem preſſo inſectatus aratro,
Inviſum genus & ferro deleret & igni.
Proh pudor! intactam cur non his fregimus armis
Albionem, & Tuſco Tameſim ſubjecimus amni?
Cur non hunc noſtris vinctum poſt terga catenis,
Cur

Sed ut ſecundum vota Parthorum ſua
Urbs hæc periret dextera.

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Umquam, niſi in diſpar feris.

Furorne cæcus, an rapit vis acrior,
An culpa? reſponſum date.

Tacent, & ora pallor albus inficit,
Menteſque perculſæ ſtupent.

Sic eſt: acerba fata Romanos agunt,
Sceluſque fraternæ necis:
Vt immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

AD SODALES.

Actiacam Auguſti victoriam celebrat.

Horat. lib. 1. Ode 37.

Nunc eſt bibendum:
nunc pede libero
Pulſanda tellus

Nunc

Cur non & puppes, & roſtra Britanica ſacra
Vidimus ire via? Quo nil funeſtius ipſi
Arſacidæ Latio voveant, tibi movimus arma
Roma parens: & quam dederas luciſque ſuique
Contemtricem animam miles projecit, ut ipſa
Viribus uſa tuis, atque hoſti flenda perires.
At non ille lupis, non ille leonibus umquam
Mos fuit. In diſpar, aliaque à ſtirpe profectum
Inſiliunt genus: hic rabiem, denteſque fatigant.
Vosne igitur cæcus furor, an vis acrior urget,
Romulidæ? an ſcelera, & ſcelerum ſtimulantque trahuntque
Ultrices Diræ, tædiſque ardentibus inſtant?
Dicite. Quæ tandem vobis reſponſa dabuntur
Æqua ſatis? muſſant taciti, pallorque feroces
Infecit vultus, & diri conſcia Martis.
Mens ſtupet attonitis, nec cauſas invenit armis.
Sic eſt: præcipites impellunt fata Quirites,
Fraternæque necis facinus, cùm perdere noſtræ
Suſtinuere manus, quem nec lupa feta, nec amnis
Perdiderat, ſervans puerum nil tale merentem.
Hic cruor, hæc feros exercet culpa nepotes.

CASPERIO GEVARTIO,
CONSILIARIO
ET HISTORIOGRAPHO CÆSAREO.
AC REGIO,

Cæſarei imperij primùm ſtabiliti victoriam.

Nunc madeant Baccho calices, ſertiſque revincti
Tempora Lenæum Marti libemus honorem.
Armorum ceſſere metus, & libera noſtris
Otia ſunt choreis: nunc nunc pulſanda ſoluto
Terra pede eſt, plauſumq; procul, voceſq; canentum
Romani

nunc Sallaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, Sodales.

Ante hac nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria.

ſed minuit furorem
Vix una ſoſpes navis ab ignibus.

Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæſar, ab Italia volantem
Remis adurgens: accipiter velut
Molles columbas,

aut

Romani montes, exeſaque montibus antra
Ingeminent. Quid adhuc animis incluſa, Sodales,
Gaudia diſſimulamus? amat victoria pompas,
Et Dis ſolemnes epulas: & jam dare templas
Munera, jamque aras, ac pulvinaria Divum
Tempus erat dapibus, Salioque ornare paratu.
Antè nefas fuerit cellis depromere avitis
Cæcuba, dum Memphis patrio Capitolia ſiſtro
Terruit, & cladem imperio funuſque paravit.
Hos mulier demens animos, miſſique Canopo
Semiviri attulerant, vino myrrhaque madentes,
Marcidaque obſceno depaſti corpora morbo.
Quid non illa ſibi Phariis promiſit ab armis?
Quid non & primos inter ſperavit amores,
Romanique ducis thalamos? Videt ultima ſecum
Bactra vehi, ſecum Eois tumefacta triumphis
Agmina, ſecum Arabas, raptoſque in bella Sabæos.
Æſtuat impatiens animi, ceu Baccha liquenti
Victa Deo, mediiſque ferox in millibus ardet.
Heu quò fortunæ dulcis furor ebria raptat
Pectora! Leucate ſed enim, commiſſaque velis,
Cæſar, vota tuis, & Phœbi numina faſtus,
Niliacos fregere. Nihil fulgentia roſtra,
Nil ebur, aut pictas juvit tutela carinas.
Iſidaque, & fulvis præfixum puppibus Apin,
Omnigenoſque Deos, quibus unda pepercerat, ignis
Abſtulit. Hæſere affixi, telluris amore,
Semjuſtis nautæ tabulis: ſervata triumpho
Vix ratis una fuit. Fruſtra Mareotica vina
Lymphatæ addiderant animos. Videre volantem,
Et Nilo pariter, liberatique timentem
Æquora: vinclorum celeres timor addidit alas.
Ac veluti multo accipiter per nubila gyro
Indulgens, imbellem oculis ſi fortè columbam
Sor-

aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Æmoniæ: daret ut catenis
Fatale monſtrum.

Quæ generoſius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit enſem, nec latentes
Claſſe cita reparavit oras.

Auſa & jacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpentes, ut atrum
Corpore conbiberet venenum,
Deliberata morte ferocior:

Sævis Liburnis ſcilicet invidens
Privata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

AD

Sortitur, mora nulla, volat, jam jamque tenenti
Aſſimilis, roſtroque minax atque unguibus inſtat:
Aut qualis citus Æmonio venator in arvo
Deprenſum inſequitur leporem, celeriq; canum vi
Urget agens pavitantem, & curſu extrema moventem:
Haud aliter Latio profugam terretque, premitque
Jonio invectus Cæſar. Jam vincla fugaci
Certa parat: jam ſacro ardet deducere clivo
Fatalem Italiæ, & Nili trepidantis Erinnyn.
At non illa pavens, miſeriſque exercita rebus,
Fortunam increpitat: ſequitur, quocumque volentem
Lex adverſa vocat fatorum, & Juppiter hoſtis.
Unum amens agitat generoſo occurrere leto.
Uſque adeò extremo fortunæ in limite cedunt
Feminei (quid enim metuat moritura?) timores.
Non illam, quamquam Nilus pater oſtia ſeptem,
Cæruleoſque ſinus, latebroſaque flumina victæ
Panderet, obſcura ſe condere vidit in ulva.
Non terrere novis inſtantem claſſibus hoſtem
Cura fuit. Veteres arces, & mœnia Lagi
Quadrijugo invehitur curru, ſimulatque triumphos,
Non ignara metus vultu celare ſereno.
Quin etiam jam certa mori, atque immanibus auſis
Effera, pectoribus liventes admovet hydros.
Ipſa volubilibus candentia brachia ſpiris
Implicat: ipſa ultrò ſquamis horrentia terga
Sanguineaſque jubas, maculoſaque colla venenis
Arrigit: & quantò linguis animaque nocenti
Acriùs inſurgunt, tantùm ipſa ferocia creſcit,
Et leti furialis amor. Tyrrhena per alta
Privatam adverti Latio, funeſtius ipſa
Morte malum eſt. Tibi, Roma parens, ſæviſque Liburnis
Invidet hunc de ſe titulum. Capitolia, Cæſar.
Victores currus, plauſus, fremituſque Quiritum,

Re-

AD GROSPHUM.

Tranquilitatem animi optari ab omnibus, eamque coercendis cupiditatibus comparari.

Horat. lib. 2. Ode 16.

OTium Divos rogat in patenti
Prenſus Ægeo, ſimulacra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.
Otium bello furioſa Thracę,
Otium Medi pharetra decori.
Groſphe, non gemmis, neque purpura
venale, nec auro.
Non enim gazæ, neque conſularis
Submovet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum,
Nec leves ſomnos timor, aut Cupido
Sordidus aufert.

Quid

Regiaque indignis cervix oneranda catenis
Et ſeu quid victus, ſeu victor cogitat, ęgrum
Incendunt animum. Quæ non opprobria ducat
His mulier leviora, orbis, ſi fata tuliſſent,
Dotanda imperio, nec adhuc oblita quid eſſet,
Nec dominum dignata? Juvat, quando arma furenti
Sors inimica negat, juvat exturbare venenis
Infelicem animam, & ſeſe ſubducere pompæ
Romulidum: ſecum hæc aufert ſolatia mortis.

FREDERICO
DE MARSELAER,
EQUITI,
TOPARCHÆ DE PARCK, &c.

OTia Carpathio deprenſus navita ponto
Expoſcit Superos, cùm Lunam turbida condunt
Nubila, nec laceris prælucent ſidera velis.

Otia Thrax, durum Martis genus, otia Medus
Inſignis pharetra, non gemmis, Groſphe, nec auri
Pondere, nec Tyrio regum venalia cultu.
Nam neque Parthorum gazę, neque divitis Indi
Munera componunt animum rationis egentem,
Diſcordemque ſibi. Si vulgi ignobilis undam,
At non & miſeros lictorum virga tumultus
Pectoris, & curas circum laqueata volantes
Limina ſubmoveat. Parvo benè vivitur illi,
Cui patrium in menſa tenui ſplendere ſalinum
Contigit, & lenes ſomnos neque ſordidus auri

Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exul
Se quoque fugit?
Scandit æratas vitioſa naves
Cura: nec turmas equitum relinquit
Ocior cervis, & agente nimbos
Ocior Euro.
Lætus in præſens animus quod ultrà eſt,
Oderit curare, & amara læto
Temperet riſu. Nihil eſt ab omni
Parte beatum.
Abſtulit clarum cita mors Achillem:
Longa Tithonum minuit ſenectus.
Et mihi forſam, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum, Siculæque circum
Mugiunt vaccæ: tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa: te bis Afro
Murice tinctæ
Veſtiunt lanæ: mihi parva rura, &
Spiritum Grajæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

RUSTI-

Rumpit amor, geliduſve pavor. Quò vota preceſque
Mittimus, & ſortes anguſto poſcimus ævo
Plurima? quid terras alio ſub ſole jacentes
Quærimus incerti rerum? quis ſe quoque fugit
Extorris patria? ſcandit vitioſa fugaces
Cura rates, tergoque equitis fugientis inhæret,
Ocior & cervis, & aquoſis ocior Euris.
Vividus in præſens animus curare, quod ultrà eſt,
Oderit, & læto moderetur triſtia riſu
Vitæ fata ſuæ. Nihil omni parte beatum eſt.

Abſtulit Æaciden clarum fulgentibus armis
Mors cita: Tithonum minuit longæva ſenectus.
Et forſan, quodcumque tibi ventura negarit,
Porriget hora mihi non invidioſa roganti.
Mille tibi vacuis paſcunt in ſaltibus agnæ:
Te circum Siculas àudis mugire juvencas,
Quadrupedeſque tibi campos hinnitibus implent
Eleis digni ſpatiis. te vellera Pœno
Murice tincta tegunt: agro mihi Parca Sabino
Rus dedit, & Graiis primùm modulata Camœnis
Romanis aptare modis, vulguſque malignum
Spernere, fatorum vates non vana meorum.

RUSTICÆ VITÆ LAUDES.

Horat. Epod. Ode 2.

Beatus ille, qui procul negotiis
(Ut priſca gens mortalium)

Paterna rura bobus exercet ſuis,

Solutus omni fenore.

Nec excitatur claſſico miles truci,

Nec horret iratum mare:

Forum-

PETRO VANDE VVALLE.

Parenti ſuo,

TENEDIJ DOMINO,

Procùl ab ambitu & curis in Molebecano ſuo ſibi & ſecum viventi.

FElix ſorte ſua, quem non ignava ſequentem
Otia rus patriûm dulci complectitur umbra.
Longæ illi Curæ inſomnes, cõmitumque Laborum
Inviſæ facies, quæ multa & magna moventem
Huc celerem atque illuc rapiant, perque ardua verſent,
Ipſe ſibi ſemper vacat, aggrediturque quod inſtat:
Arvaque, quæ quondam proavi non magna tenebant,
Exercet patiens operum; armentoque quotannis
Sortitus ſobolem, fortiſſima corpora tauros
Inde legit, quos dehinc domitos aſſueſcere cogat
Servitio, & terram impreſſo proſcindere aratro.
Non pretio nummos redimit, pretiove redemtos
Occupat & fenus tabulis ſubducit avaris.
Fenus amat, quod ſponte ſua juſtiſſima tellus,
Et gravidæ pecudes, & meſſis reddit, & arbor.
Sic olim, ut perhibent, cùm fraudum ignara vigeret
Simplicitas, neque faſtus adhuc, aurique cupido
Improba criminibus nomen poſuiſſet honeſtum,
Innocuæ vixere animæ, parvoque beatę.
Quid refert, alius thalamo ſublimis eburno,
Ille toro, cui ſponda ſalix, aut fiſſile robur,
Componat caput? Hic mulcet, reficitque jacentem
Alta quies, læctọ non abrumpenda ſaligno,
Quippe ubi nec primæ, nec ſeræ tempora noctis
Diſtinguunt litui, rumpuntque ſilentia cantu.
Non, ſi diſcordes miſcent freta fervida venti,

 Æquo-

Forumque vitat,

& ſuperba civium
Potentiorum limina.

Ergò aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos:

Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantes greges:

Inutileſque falce ramos amputans
Feliciores inſerit.

Aut

Æquoreos horret fremitus, humiliſque pavenſque
Numina conclamat, ne quid nimboſus Orion,
Ne quid atrox peccet Boreas, laceræque carinę
Addat opes pelago. Vitat fora, vitat & æſtus
Undantis populi: nec quid tabularia, nec quid
Jura ferant, meminit. Non illum aurora morantem,
Quæ ſe non alibi primumque oſtendit Eoum
Pulchrior, ad lites clamoſaque jurgia cogit.
Nec jam defeſſus longas evolvere cauſas,
Orando ingratos queritur ſe condere ſoles.
Sollicitent votis alii invidioſa potentum
Arbitria: obſideant aditus, atque alta ſuperbis
Atria porticibus, certatimque oſcula pugnent
Præripere, & primas dominis jam mane recenti
Dicere blanditias. Hæc ille Capharea ſaxa,
Has prudens metuit Symplegadas, & ſibi faſces
Ac trabeas ſinit emeritum exorare clientem,
Semotus longè populo, & civilibus undis.
Ergò illum aprici colles, campique feraces
Curarum expertem accipiunt. Hic imperat arvis
Ipſe ſuis, terraſque docet parere volentes,
Nec regum, ſua regna videns, ſuſpirat honores.
Nunc vites ſerit, &, verni cum palmitis ętas
Prima viret, tenerum virgis furcaque bicorni
Tollit humo: dein & validi propagine fetus
Populeas latè ſtirpes ulmoſque maritat.
Nunc illum procùl umbroſa ſub fronde morantur
Seceſſus pulchri nemorum, valleſquę reductæ
Faunorum domus. Hic pingues errare juvencas
Proſpectat: longè reſonant mugitibus agri,
Paſcuaque, & noti gregibus ſitientibus amnes.
Venerit inſitio; juvat hunc, juvat arboris illum
Felicis fruticem peregrino includere ligno.
Finduntur nodi: reſecantur, inutile pondus,

Aut preſſa puris mella condit amphoris;
Aut tondet infirmas oves.

Vel cùm decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet inſitiva decerpens pyra,
Certantem & uvam purpure,

Qua muneretur te, Priape, & te pater
Silvane tutor finium?

Libet jacere modò ſub antiqua ilice;
Modò in tenaci gramine,

Labun-

Silveſtres rami: ramus felicior alter
Inſeritur: ſurgunt udo nova germina libro.
Mirantur platani malos, mirantur & ulmi
Ignotas glandes: & non gentilibus ornus
Stat curvata pyris, nec ſeſe agnoſcit in illis.
Nunc apibus fetis cellas diſtentaque melle
Horrea rimatus populat, puriſque recondit
Aurea dona cadis: nunc mollis vellera lanæ
Infirmo pecori frondente ſub ilice tondet.
Inde ubi formoſum pomis & mitibus uvis
Frugifer autumnus flavis caput extulit arvis,
Quàm juvat hic atque hic, ut ſe maluſve, pyruſve
Obtulit, & pomis oculos dextramque legentis
Prima vocat, fetu gravidos adducere ramos!
Felices ramos, quos ipſe inoleſcere nuper,
Et genus invitis docuit committere truncis.
Qam juvat & plenis pendentem vitibus uvam
Carpere, certantem Tyrios ante ire rubores!
Tum tibi, quòd fruges, & munera divitis horti
Servatis, furum cuſtos aviumque, Priape,
Primitias fert in calathis, falcique ſalignæ
Pampineam circùm intexit, ſua vota, coronam;
Teque vocat Silvane pater: tibi pinguia culta
Tuta refert; tibi depulſos à meſſibus apros,
Et morſus pecorum, averſumque à palmite caprum.
Forté aliquis ſoles, dum nulla hic porticus Arcton
Excipit & Borean, ſub iniqui ſidere Cancri
Ardentes metuat. Sed enim, niſi nuda per agros
Corpora meſſorum ſudore fluentia cernas,
Ignóres propè, quid rapidi vis ignea Phœbi,
Quid Leo, quid Cepheus, ſitienſque Canicula poſſit.
Nunc juvat ignavos ęſtus vitare ſub alta
Ilice; nunc viridi ſubmittere corpus in herba,
Quà ripæ, & ripis natæ frondentibus umbræ

Labuntur altis interim ripis aquæ:
Queruntur in ſilvis aves,
Fonteſque lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves,

At cùm tonantis annus hibernus Jovi
Imbres niveſque comparat;
Aut trudit acres hinc & hinc multo cane
Apros in obſtantes plagas:

Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus doles:

Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem,
Jucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliviſcitur?

Quod

Æſtibus & medio ſuadent decedere ſoli.
Interea gelidi fugiunt per gramina rivi,
Arboribuſque vagantur aves: nemus omne querelis
Perſonat: irriguo quà fons argenteus agro
Labitur, attritos inter levis unda lapillos
Obſtrepit, & dulces invitat murmure ſomnos.
At cùm jam pluvia, & nivibus, canaque pruina
Frigidus hibernum contriſtat Jupiter annum,
Quæ non aucupiis, quæ non venatibus illic
Gaudia proveniunt? altis de montibus actus
Fertur aper: fruſtrà ille animos, ſetaſque comantes
Arrigit, & ſpumis albet ferventibus ora,
Fulmineumque acuit nodoſa ad robora dentem
Audaces inſtant Umbri, forteſque Moloſſi,
Albanumque genus, non certi cedere, quamquam
Nunc hos obliquo, nunc illos diſſipat ictu,
Tantus amor prædæ eſt, & ſævi gloria morſus!
Nec minùs & curſu juvenes jaculiſque fatigant
Setigerum: hortantur ſeſe, & latrantibus addunt
Cum clamore animos, dum tandem in retia trudant
Frendentem, & teretes nodos differre parantem.
Accurrit victor, ſplendentique ilia ferro
Tranſadigit: lato ſequitur de vulnere ſanguis,
Procumbitque ferox, & adhuc in morte minax ſus.
Forſitan & tutas placeat levioribus ire
In prædas ſtudiis. Venit hinc quoque grata voluptas
Ex facili capienda. Plagas & retia levi
Diſtendit furca, turdoſque invitat edaces
Callidus, & ſparſis incautos fallit olivis
Aut pavidum ſequitur leporem, laqueoque tenaci
Strymoniam captat volucrem, jucunda laboris
Præmia. Quis non hæc inter, quodcumque malorum
Secum amor infelix trahit, invidiamque, metumque,
Et ſpes ambiguas, & quas pudor ipſe repulſæ

Quòd ſi pudica mulier in partem juvet
Domum, atque dulces liberos,

Sabina qualis, aut peruſta ſolibus
Pernicis uxor Appuli,
Sacrum vetuſtis exſtruat lignis focum
Laſſi ſub adventum viri,
Claudenſque textis cratibus lætum pecus
Diſtenta ſiccet ubera,
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemtas apparet:

Non me Lucrina juverint concylia,
Magiſve rhombus, aut ſcari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.

Non Afra avis deſcendat in ventrem meum:
Non attagen Jonicus
Jucundior, quàm lecta de pinguiſſimis
Oliva ramis arborum;
Aut herba lapathi prata amantis, & gravi
Malvæ ſalubres corpori;
Vel agna feſtis cæſa Terminalibus;
Vel hœdus ereptus lupo.

Has inter epulas ut juvat paſtas oves
Videre properantes domum!

Videre

Ingeminat curas, & numquam longa fruenti
Gaudia nubiferis tradit diffundere ventis?
Quid ſi contigerit priſcis quoque moribus uxor,
Quę caſtum ſervet thalamum, quę remque domumque
Jn partem juvet, & dulces educere natos?
Qualis erat Tatio quondam regnante Sabina
Duratas calloſa manus, aut Apula mater
Sole rubens. Quid ſi poſito cùm feſſus aratro
Vir redit, illa focum lignis & cortice ſicco
Exſtruat, ac lento textis de vimine ſeptis
Includat lætum pecus, & turgentia ſiccet
Ubera? ſi quamquam calices & pocula ponat
Fagina, vina ferat, quę dulci condita lenit
Ipſa cado, menſiſque dapes apponat inemtas,
Delicias faciles? non me tum regia, non me
Regum epulę teneant. Per me conchylia teſtis
Tuta ſuis, ſaxo moneant affixa Lucrino.
Per me ſecurus Calabro natet æquore rhombus,
Et ſine fraude ſcarus depaſtas ruminet herbas,
Si quem forté procùl fluctu tumefactus Eoo
Adria jactatum noſtris acceperit undis,
Aut Tyrrhena fremens ad litora verterit Eurus.
Non mihi tum Libye, non mollis Jonia pictas
Mittat aves; tantùm glauco mihi Palladis arbor
Caneſcat fetu, pingueſque miniſtret olivas.
Obvia me lapathi prato gaudentis aperto
Herba juvet, malvæque leves, gravibuſque ſalubres
Corporibus; vel quæ lactens cadit hoſtia feſto
Termine ſancte tuo, cùm te vicinia ſupplex
Defixum colit, & ſerto frondente coronat:
Aut mea, quod ſatis eſt, hilaret convivia caſo
Præda excuſſa lupo villis ſtillantibus hœdus.
Ut juvat has epulas inter ſpectare bidentes,
Cùm ſeſe é paſtu referunt! ut cruribus ęgré
Ube-

Videre feſſos vomerem inverſum boves
Collo trahentes languido,

Poſitoſque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!

Hæc ubi locutus fenerator Alphius,
Jam jam futurus ruſticus,

Omnem relegit Idibus pecuniam;
Quærit Kalendis ponere.

AD POSTUMUM.

Mortem vitari non poſſe.

Horat. lib. 1. Ode 14.

E*Heu fugaces, Poſtume, Poſtume,*
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & inſtanti ſenectæ
Afferet, indomitæque morti.

Non

Ubera circumeunt! ut multo lacte gravatæ
Ad mulctram injuſſæ veniunt, gaudentque levari!
Ut juvat ex agro reduces ſpectare juvencos
Longorum feſſos operum, & grave robur aratri
Vomero ſuſpenſo attrita cervice trahentes!
Ut juvat & vernas, numeroſæ examina villæ,
Lucentes ignes circum lætoſque Penates,
Aſpicere, agreſti curantes corpora menſa!
Dixerat hæc dives poſitis in fenore nummis
Alphius; atque aliud meditans, & totus in illo,
Damnabat tabulas, loculos damnabat & aurum.
Innocui ruris ſerò intellecta voluptas
Una eſt ante oculos, una ſuſpirat in illa.
Nunc placet arvorum cultus, nunc cultus habendo
Impenſus pecori: ſubeunt modò fervida pleno
Muſta lacu, modò qui pomis exuberat annus:
Et modò delectant ſaltus venatibus apti.
Omnia perſuadent curas mutare priores.
Jamque empturus agros exacta relegerat æra
Idibus: at (victrix adeò natura recurrit)
Hæc eadem lucro ſervat, ponitque Kalendis,
Protinus agrorum oblitus, vitæque beatæ.

LLUSTRIBUS NOBILIBUS, INGENUIS ADOLESCENTIBUS

CONVICTUS

ANTUERPIENSIS SOCIETATIS JESU,

Ultimæ neceſſitatis utilem memoriam.

EHeu, præcipiti labuntur, Poſtume, curſu,
Poſtume, non umquam rediture tempora vitæ.
Nec pietas ullam rugis, triſtique ſenectæ
Allatura moram eſt: tacitè properantibus annis

Illa

Non ſi tricenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris: qui ter amplum
Geryonen, Tityonque triſti
Compeſcit unda, ſcilicet omnibus,
Quicumque terræ munere veſcimur,
Enaviganda ſive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Fruſtrà cruento Marte carebimus,
Fractiſque rauci fluctibus Adriæ:

Fruſtrà per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.

Viſendus ater flumine languido
Cocytus errans, & Danai genus
Infame, damnatuſque longi
Siſiphus Æolides laboris.
Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor: neque harum, quas colis, arborum
Te, præter inviſas cupreſſos,
Ulla brevem dominum ſequetur.

Abſumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus; & mero
Tinget pavimentum ſuperbum
Pontificum potiore cœnis.

Illa

Illa venit, mutatque comas, animique vigorem;
Et tandem indomitæ, quamvis fortiſſima, morti
Corpora ſe debent. Nulla eſt fuga: lux ſemel omnes
Summa manet. Non, ſi regem pallentis Averni,
Quotquot eunt ſoles, tauris placare tricenis
Inſtiteris, votis fuerit locus. Ille ter amplum
Geryonem, Tityonque atro Phlegetonte coercet
Ferreus, & nulla Superum exorabilis arte.
Omnibus huc iter eſt, qui terræ munere & aura
Veſcimur: hoc omnes advertet portitor olim
Litore, ſive erimus reges, inopeſve coloni.
Falcibus & raſtris, ne quem Mars perdat acerbo
Funere, depoſitos fruſtrà mutabimus enſes:
Neve ſit exitio nautis, claſſeſque viroſque
Obruat, inſanos raucus premet Adria fluctus:
Et modò dum nimio per inæquales autumnos
Frigore corripimur, nimio modò ſolvimur æſtu,
Aera non certum fruſtrà metuemus, & Auſtros
Imbribus, & nebulis, tepidoque vapore nocentes,
Cocyti vada lenta, putri torpentia cœno,
Nulli non adeunda. Manent nos Bellides illic,
Probroſum Danai genus, æternoque labore
Siſyphus Æolides alto ruitura volutans
Saxa jugo. Linquendus ager, dulceſque penates,
Et thalamus, formaque placens & moribus uxor.
Deque tot arboribus, quas ordine ponere longo
Cura fuit, non ulla teget, dominumque ſequetur
Ulla brevem, niſi fortè rogo ſtatuenda cupreſſus,
Et vidua figenda domo. Tum Cæcuba centum
Obſignata ſeris abſumet dignior hæres,
Magnarum non parcus opum: potioraque magnis
Pontificum cœnis, ac multo undantia luxu
Vina ſolum Pario conſtratum marmore tingent.

DE

DE PARAPHRASI JUDICIA.

ET hæc quidem, Lectiſſimi Adoleſcentes, ad utiliſſimæ hujus exercitationis ſpecimen aliquod ſint ſatis. Neque enim, ſi diſciplinarum omnium initia ad exemplum propoſitum conformanda ſunt, eidem perpetuò inſiſtendum. Pictores, dum in artis ſuæ veſtibulo adhuc hærent, inſignes aliorum tabulas menſuris ac lineis deſcribunt & exprimunt; illud egreſſi, ingenio ſuo & inventioni obſequuntur. Inglorium eſt ſemper alienum laborem ſequi. Volo igitur vos inventionibus & novis, & liberis, & amœnis, & variis, & quæ cujuſque ingenio conſentiant, indulgere: at hoc numquam excidat, animum ſemper non niſi optimorum, quos Auguſtei ævi fœlicitas tulit, poetarum lectione & alendum, & excitandum eſſe. Cur amplam illam & copioſam hæreditatem, quam culta vobis legavit antiquitas, non adeundam putetis? Veſtrum eſt quidquid in heroicis grave, in elegis tenerum, in idylliis ſimplex, ſuave in lyricis: omnium inſtituti hæredes eſtis, dummodò utendi artem teneatis. Ars autem hæc in eo ſita eſt, ut cum iis, quod antè ex Quintiliano monui, in eadem exprimenda ſententia de victoria in certamen venire velle videamini; interdum etiam tanta imitationis diſſimulatione, ut peritus etiam lector neſciat, quò quis alluſerit, quove aſpirarit. Sinite quoſdam de ingenio ſuo, ut Ægyptum de Nilo, gloriari, quæ propter illum nihil cælo, nihil imbribus debeat: vos, quid optimis auctoribus debeatis, agnoſcite, & ex hoc ætatis & ingenii aſſurgentis flore uberem nobis eruditionis meſſem polliceri pergite, quam non modò Belgium, ſed Hiſpania, Italia, Gallia, Germania, Britannia, ipſa etiam Græcia, unde huc confluxiſtis, exſpectat.

ELE-

ELEGIARUM
LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.
AD
ALEXANDRUM VII.
PONTIFICEM MAXIMUM.

Ejus auſpiciis ſe nunc hos libellos in lucem dare, Pontificatum ejus aliàs à rebus maximis, & præcipuè à conciliata Orbis Chriſtiani pace celebraturum.

VOta valent: neque vana canunt præſagia vates:
Orbis Alexandrum, quem ſibi vovit, habet.
Muſaque ſucceſſu tanti lætiſſima voti
Geſſit, & augurio pœnè ſuperba ſuo eſt.
Nec modò vulgari metuit: vulgata legetur
Illo, quo Numen credimus ore loqui.
Sive ea, dum culti timuit faſtidia ſæcli,
Erubuit doctas antè ſubire manus:
Sive metus, cauſaſque ſibi mens finxit inanes,
Et potiùs velis defuit aura meis:
Tempus ad hoc mecum latuit, portuque reſedit,
Nec fuit audaces impetus ire vias.
Nunc animi venere: juvat nunc denique funem
Solvere: ſolventem Roma timere vetat.
Ancora ſublata eſt: terræ, portuſque valete:
Imus: habet ventos noſtra carina ſuos.
Afflat, Alexander, per te mihi leniter aura,
Quæ celeret curſus, & mea vela juvet.

Tu

Tu navem, quam Roma tibi, quam credidit ęther,
Et ſpem terrarum quę vehit una, regis.
Et facies non una maris, non una faventis
Sideris arbitrio ſtatque caditque tuo.
Jamque adeò, dum non timidè navalibus exit,
Da, precor, o puppi dextera ſigna meę.
Non tamen ut pelago tecum decurrat aperto:
Grandibus hęc velis ingredienda via eſt.
Quid poſſint venti, nequid temerarius auſit,
Parte aliqua veli navita ſæpę notat.
Me quoque non magnis juvat explorare libellis,
Qui favor, aut Muſas provehet aura meas.
Sat mihi ſit facili carmen deducere vena,
Quod leviter, vacuo cùm licet eſſe, legas.
Quale ſolet, dum res aliquid, tempuſque, locuſque
Exigit, ad numeros ſponte venire ſuos:
Sat mihi ſit caros, & noſtris artibus ęquos
Carminibus vates inſeruiſſe meis;
Aut populo mitem pacis pretendere ramum,
Dumque aliquid, luſus quidlibet eſse meos.
His animum mihi Muſa levat, patrięque, meiſque
Qua licet, intentum non ſinit eſse malis
Sic aliquis, dum fortè vacat, dum civica ceſsant
Munera, dum prætor, dum tria verba ſilent,
Si dedit aura viam, tuti legit æquoris oram,
Non auſus medio credere vela mari:
Hoc tantùm ſperat, gemitus, queſtuſque reorum,
Tediaque, & curas in mare ferre ſuas.
Olim forſan erit, ſi non mihi lævus Apollo,
Altiùs ut liceat grandibus ire modis.
Tunc ego, cùm meritis impleveris omnia, partem
De multis unam, quo decet, ore canam.
Atque utinam, Divi, ſit fas mihi munere veſtro
Scribere, quod media pace legatur opus.
Scilicet & Pacis mores, & munera dicam:
Ille mei titulus carminis unus erit.
Ne perdant populus, ne perdant otia reges,
Quæ populis, quę ſint regibus apta canam.

H's

His ego, queis pulchras referant ſine ſanguine palmas
  Regnaque protendant latiùs, arma dabo.
Nec minùs edicam populis, quid fœdera firmet,
  Longaque ſecuræ gaudia pacis alat.
O Pater, o felix ſæcli melioris origo,
  O ſpes, o noſtri, quem regis, orbis amor.
Tu me tam vaſtum ſcribendi mitte per æquor,
  Et per quas facies da, precor, ire vias.
Non mea Tyndaridas cæca ſub nocte requirent
  Vela: reget curſus Chiſia ſtella meos.
Stella novum cælo ſidus nomenque datura,
  Stella ſalutares inter habenda faces.
Quæ ſuper impoſitos dum luſtrat lumine montes,
  Monſtrabit vigili, quam ſequar, igne Pharon.
At, quæ picta meis exſtabit puppibus, orbis
  Per te ſervati teſsera quercus erit.
Tu tantùm Pax alma redi, ſecuraque lætis
  Otia carminibus convenienter eant.
Forſitan hæc aliquis Romana per oppida vates
  Materiæ ſaltem captus amore leget.
Forſitan & pulcher Ligeris, magnuſque Garumna
  Imponet Muſæ Delia ſerta meæ.
Quo ſe cumque ſinu, provectaque litore condet,
  Non ingrata novi litoris hoſpes erit.
Tum mihi, Magne Pater, quoniam te vela dabuntur
  Auſpice, fortunæ cauſa ferere meæ.

ELEGIA II.

AD

PHILOMATHVM.

Literatum ejus otium celebrat.

HOc magnis commune viris: pro tempore gaudet
  Ludere: ſed luſus, quo celebrentur, habent.
Aut

Aut condunt aliquid, ſeros quo vivat in annos,
Et repetunt, olim quas coluere, Deas.
Aut decus, & pretium veri ſcrutantur, & ęqui:
Aut ventura dies quid feret, antè notant.
Hi, dum bella gerunt, ſilvas indagine cingunt;
Mens tamen ad pugnas, ductaque valla redit.
Buxo alii fingunt acies, imitamina belli,
Et recolunt, quo ſint caſtra tuenda modo.
Denique quidquid agunt, non perdunt tempora! ſecum
Plurima quę peragant, quęq; loquantur, habent.
Scilicet intendunt animum, pariterque remittunt,
Et gemina curas utilitate levant.
Quid tibi, cùm populum fugeres, ſcenamque, forumque
Quid tibi, Scipiade, tum quoque, mentis erat?
Solus eras, ſolis captans in montibus umbras,
Nil minùs in ſolis creditus eſſe locis.
Mens tibi, dum tacitè ſe percunctatur, & audit,
Quid pax, quid poſcant arma, ſenatus erat.
Sic dum te conchas vidit Cajeta legentem,
Currebat vacuus, non ſine laude, dies.
Lęlius hic aderat: nec tuum ſapientia Lęli
Deſtituit patrię remque decuſque ſuę.
Otia fecerunt, ut, quę ſubiere, ſubirent
Molliùs, in curas ſufficerentque novas.
Otia fecerunt, ut res bellique, togęque,
Tot veteris poſſent temporis acta legi.
Cęſaris annales (nihil eſt exactius illis)
Inſpice: quę geſſit bella, legenda dedit.
Tam culta ſcripſit, ſcribendi commoda nactus
Tempora, quàm forti geſſerat arma manu.
Cùm benè conſulit Romanę Tullius urbi,
Romano dignum Conſule ſcripſit opus.
Sępè ſub umbroſo meditantem multa receſſu
Mirata eſt dominum Tuſcula villa ſuum.
Quid me, quid prohibes hęc inter nomina nomen,
O amor, o Romę cura, referre tuum?

Par-

Parce, precor, faſſo vix me tua juſſa coercent:
Vix patitur ſeſe Muſa retenta regi.
Sic, ubi viſa fera eſt, domino ſe vividus Umber
Eripit, atque odia lora morantis habet.
Sic fremit acer equus, pedibuſque repagula pulſat,
Carceribus nondum cùm patuere fores.
At non irrumpam, quà non licet ire: nec ultrà,
Quàm per te fas eſt, officioſus ero.
Utque jubes: ſileo: res non operoſa ſilere eſt:
Et, ſcio, parendo gratia major erit.
Nota ſequar, quę ſol vidit, faſtique loquuntur,
Totaque virtutis conſcia regna tuę.
Roma mihi teſtis, quę, quem circumſpicit, orbem
Dum regit; auxilio ſæpiùs uſa tuo eſt.
Hæc tibi 1 Martis opus, commiſſaque credidit arma:
Et per te dederunt legibus arma locum.
Hęc tabulis ſignanda ſuis 2 te ritè referre
Juſſit, & arbitrii rebus adeſse fui.
In te pręſentem vidit 3 Ferraria Romam,
Et qui Romulidas, imperiumque regit.
Sortita eſt 4 Męlite, cui ſe bellique dicaret
Munera, mota tua ſed fuit urna manu.
Quid referam, quæ nunc 5 Amaſis, quę Rhenus, & Albis.
Pacta vident ſerò fœdera, pacta tamen?
Sępè Deum ſupplex, ut tandem regna coirent,
Speraſti lacrymis flectere poſſe tuis.
Sępè vocata tuis Pax & Themis aurea votis
Adfuit, & viſa eſt ſigna ſecunda dare;

Inter

1 *Philomathes Pontificii exercitus Commiſſarius*
2 *Utriuſque Pontificiæ Signaturæ Referendarius.*
3 *Ferrariæ Prolegatus Pontificius.*
4 *Melitæ inquiſitor & Delegatus Apoſtolicus Comitiis pro novo Ordinis Magiſtro ad normam Urbanianæ Bullæ creando præfuit.*
5 *Nuntius Pontificius Coloniam, & inde Monaſterium pacis conciliandæ cauſa miſſus.*

Inter & amplexus, & dulcibus addita verbis
Oſcula concordes jungere velle manus.
At tibi Religio, tot avitis ſedibus exul,
Juſtior ante alias cauſa doloris erat.
Urebant animum triſtes ſine cultibus aræ,
Templaque ſacrilega diripienda manu.
Pejus erat bello tot iniqui præmia belli
Cedere, Romanis exitioſa ſacris.
Et niſi quæ noſtris Mavors extorſerat aris
Redderet, oblatæ tu mora pacis eras.
Nec tibi teſtanti Superos, & juſta querenti
Divitis eloquii non dedit arma dolor.
Dum mens hæc agitat, dum nil non provida verſat,
Dum bona perſequitur, dum nocitura cavet,
Et meditata diu rurſum rurſumque refingit,
Nec tot regnorum ferre gravatur onus;
Debuit hæc inter (quis enim neget otia feſſo?)
Interdum curis eſſe ſoluta ſuis.
Corpora debilitant; animus quoque frangitur illis:
Utraque ſeceſsu, quo releventur, egent.
Deficiet macie nullo non conſitus anno;
Da requiem, meliùs credita reddet ager.
Acrior ut redeat colles ſaltuſque Faliſcos
Paſcitur è circi pulvere miſſus equus.
Nec ſemper celeres decurrunt æquora nautæ:
Interdum feſsos ancora jacta tenet.
Exuit & miles galeam, clypeumque reponit,
Signaque collecto robore vulſa movet.
Sic igitur poſt tot gravium molimina rerum
Ingenio fuerant otia danda tuo.
Et data ſunt; ſed quæ poterant labor eſse videri;
Seria ſic lætis miſta fuere jocis.
Scribere, ne tempus vacuo, res cara, periret,
Quod te, quod curas fallere poſſet, erat.
Cùm coleres Vatis, coleres quoque Principis artes,
Materiam numquam non habuere manus.
Seu foret exacto tecum Ferraria luſtro
Felix felici; plura vovebat amor:

Seu

Seu funeſta lues Italas vitiaverat auras ;
  Venit ab admonitu purior aura tuo.
Laſcariden Melite titulis & honoribus auxit;
  Laſcaridæ dignus carmine crevit honor
Sæpè Amaſis Rhenuſq; pater, quodcumq; canebas,
  A te ſuſpenſis mollior ivit aquis.
Quod ſi iter ingreſſo 6 placuit curſumque modumque
  Scribere; ſic Flaccus ſcripſit & ipſe ſuum.
Sic labor ipſe viæ terra pelagoque levandus,
  Sic tibi tu furtim decipiendus eras.
Mira loquor, dum rector equos clamoribus urget,
  Totaque pulvereo turbine cæca via eſt,
Dum ventis, dum nauta facit convitia remis,
  Dum ſtrident funes, dum furit æſtus aquis,
Sumta tabella manu eſt, & qui tibi carminis, idem
  Exitus eſt longæ metaque facta viæ.
Non tibi Romanis carmen provenit In hortis,
  Nec temuit Muſas Chiſia villa tuas,
Materiam dedit illa ſuo, non otia Vati,
  Non inter libros, Pieridaſque locum.
Pieridum formoſa domus, domus hoſpita regum,
  Digna tui domini carmine, digna meo:
Quis fuit ille dies, quo cœlo nullus ab alto
  Gratiori illuxit, candidiorque tibi?
Qui fuit ille dies, quem ne gravis obruat ætas,
  Æternis referent marmora cæſa notis;
Quo tibi majeſtas ſeſe Romana 7 videndam
  Obtulit, & limen contigit ipſa tuum?
Hic fuit: hic magnus ſedit Pater: hæc humus illo,
  Cui figunt reges oſcula, preſſa pede eſt.
Hoc nemus, hunc collem ſubiit: hic frigus, & umbram
  Fons dedit: hæc forſan præbuit herba torum.

X For-

6 *Multa & longinqua ſua itinera deſcripſit inter proficiſcendum.*

7 *In villa Chiſia tertio à Senenſi urbe lapide exceptus hoſpitio Paulus III. Pont. Max. anno 1541.*

Forſitan hic faciles dedit advenientibus aures,
Addidit & facili munera multa manu.
Forſitan hic illi Tyrio conſpectus in oſtro
Prælegit regum ſcripta preceſque 8 Nepos.
At tu non uno celebrata es carmine, vos illa:
Nec quæ lux celebrem redderet, una fuit.
Etruſci fecere Duces 9 tibi nomen, & ortæ
Lotharidum matres, Auſtriadumque domo:
Roboreumque genus, 10 tum ſpes patriæque patrique
Unica; mox, eheu! juſtus utrique dolor.
Per juga, per ſaltus cervos aproſque ſecuti,
Dein hilares menſis accubuere tuis.
Vos juga, vos ſaltus, regum memoranda voluptas,
Vos dulces latebræ, tritaque ſaxa feris,
Vos virides ſalvete aditus: ſalvete penates,
Et domus hoſpitio nobilitata tuo.
Fortunata domus, quæ, dum Farneſia vivent
Nomina, dum Tuſcas fama loquetur opes,
Urbinumque ſibi raptum lugebit Ubaldum,
Ingenio Vatis clara ferere tui.
Tu Lucullеas ſupra memorabere villas,
Quæque Academeo nomine nomen habent.
Porticibus quicumque tui ſucceſſerit hoſpes,
Cur ſis, quod canimus, nomen adepta, leget.
Marmora ſunt illic decorum referentia cauſas,
Pulchra; ſed in famam non ſatis ampla tuam.
De te nunc primus, de te nunc audiet orbis
Ultimus, & Vatis fama, futura tua eſt.
Excipe Vatis opus, victuros, Roma, libellos
Excipe: ſint illo, quem meruere, loco.
Ipſa-

8 *Alexander Farneſius Card, Pauli III. Nepos.*
9 *Anno 1621. Magnus Etruriæ Dux, Frater, Patruus Mater Auſtriaca, Avia Lotharinga, & Urbinas Princeps eò diverterunt animi cauſa.*
10 *Ubaldus Roboreus poſtremus Urbini Dux: quo extincto Ducatus, ut pote beneficiarius, ad Pontificem Romanum redit.*

Ipſaque quæ ſervant Urbani ſcrinia Muſas,
Has etiam ſervent: has locus ille decet.
Si fuit ingeniis olim concordia junctis,
Si fuit ejuſdem cultor, uterque ſacri:
Nunc quoque conjungi par eſt, diſcrimine tantùm
Diſſimiles uno, cętera laude pares.
Quis ſcit, an adjicent triplicem quoque fata tiaram,
Romulidiſque Pium Sena datura novum eſt?
Non aliena cano. Quædam præſagia 11 Quercus,
Et vigil incumbens Montibus ignis habent.
Cętera Divorum tabulis inciſa leguntur:
Felix, qui terris proferet illa, dies!

11 *Philomathis inſignia ſunt Quercus, & montes ſuper quos eminet ſtella. Malachias in Prognoſticis Pontificum: Cuſtos Montium.*

ELEGIA III.

AD FRANCISCUM JOANNEM DE ROBLES, E COMITIBUS D'ANNAPES, IPRENSIUM EPISCOPUM.

Cùm poſt ampliſſimos honores in Eccleſia, Republica, Aula, Academia integerrimè prudentiſſimèque geſtos, Bruxellis in Sacello Aulæ, cujus ſupremam præfecturam geſſerat, coram Sereniſſimo Principe Leopoldo Guilielmo Auſtriaco, v. Idus Octobris, Anno M. DC. LIX. *inauguraretur.*

Ad gentilitiam ejus teſſeram, Quercum & Leonem alludens, Iprenſibus gratulabatur.

DUm bona verba novi titulus ſibi poſcit honoris,
Nec patitur Muſas læta ſilere dies,

Non longinqua ſequar. Votis, & plauſibus aptum
Carmen erit clypeo teſſera ſculpta tuo.
Quod plauſus, quod vota mihi, quod verba miniſtret,
Quercus, & erecti forma Leonis habet.
Sunt animi, ſunt hæc rerum ſimulacra tuarum,
Quæ capiti vittas impoſuere tuo.
Erige, dum veteres pellit nova cauſa dolores,
Erige deterſis fletibus, Ipra, caput.
Orba diu Patrem, qualem tua vota ferebant,
Excipe: jam veniet, jam tibi tutor erit.
Quem præfert clypeum, veterum geſtamē avorum
Aſpice: præſidii pignus & omen habes.
Atque adeò jam nunc querna de fronde corona
Sublimes templi pendeat ante fores.
Augurium felix! foribus prætexta corona
Servatos cives arguet hujus ope.
Ne tibi, ne Grajum ſubeant oracula quercus:
Certius hic aliquid, quodque ſequare, dabit.
Utque ſubinde ſacra reſonantexaminà quercu,
Corticibuſque fluunt aurea mella cavis:
Sic, quod amara dies, aut noctis amarior hora
Advehet, alloquio leniet ille ſuo.
Mellea vox illi eſt: animus quoque. Dulcius illis
Attica nil querno cortice condit apis.
Quercum alius ſpoliis victor fulgentibus ornet,
Et titulo truncum ſignet & arma ſuo:
Hic Erebi franget vires & clauſtra revellet,
Et ſtatuet magno digna tropæa Deo.
Non fruſtrà Libyci clypeo gerit ora leonis;
Non fruſtrà magnos laudibus æquat avos.
Nec breve, nec noſtrum eſt, quid gens Robleſia geſſit,
Dicere. Mæonii pectoris ille labor.
Conantem me frangat onus. Scit 1 Sicelis ora.
Scit Melite Scythica pænè ſubacta manu.
Illius

1 *De his quæ hic tanguntur, vide Allocutionem Proſphoneticam Lib. 2. Heroicorum.*

Illius experta eſt animos Tyros 2 altera, quæque
Tum ſibi viſa fuit Belgica tota capi.
Hei mihi, qualis erat, quem, dum Farneſius amnem
Inſidet, in mediis abſtulit ignis aquis!
Adnabat pronò fatalis machina curſu,
Cùm ſubitò flamma, crebraque ſaxa vomit.
Fit fragor: immugit cœlum; furit ignibus unda:
Vix indignantes ſuſtinet agger aquas.
Et ſimul Heroem plus quàm Vulcania peſtis
Corripit, exitiis involuitque ſuis.
Ad proavum laudes hæc per veſtigia tendit,
Cui modò dant nomen fortia facta, 3 nepos.
Arteſiam nuper (belli fortuna tuliſſet)
Pars debellantum nunc quoque magna foret.
Laudarunt animos hoſtes quoque quina ferentis
Vulnera, quæque ipſo pulchra fuere loco.
Hæc alii: nos ſacra vocant certamina. Non eſt
Hac lævior pugna dimicuiſſe labor.
Acriùs hic hoſtes inſtant: majora petuntur
Præmia: flebilior, ſiqua ruina venit.
Ah quoties aliquis nec vim malè cautus apertam,
Nec ſatis inſidias armaque tecta cavet!
Ah quoties aliquis, dum ſpes jam certa triumphi,
Forſitan & curæ eſt pompa paranda, perit!
At tu quid media, dum te Leo ducit, arena
Victorem dubites, Ipra, referre pedem?
Ipſa etiam timidos ſequitur Victoria cervos
Fortior exemplo dum præit arma leo.
Ille ſuos factis meliùs, quàm vocibus urget,
Nec cogit fortes eſſe, ſed eſſe facit.
Pone metum; caſus cùm dux tuus ibit in omnes
Prævius, ut te ſis fortior ipſa, dabit.

X 3 Illius

2 *Antuerpia: cujus obſidionem ſub Principe Parmenſi comparat Strada noſter cum illa, qua Tyron Alexander Magnus cinxit.*

3 *Michael de Robles, Comes d'Annapes, cujus virtutem bellicam breviter attigimus loco in præcedenti pagina annotato.*

Illius æternis florebunt limina ſertis:
  Et lauro ſemper proxima quercus erit.
Altera devicti, quo non eſt ſævior, hoſtis,
  Altera ſervati teſſera civis erit.

ELEGIA IV.

AD ILLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM

FERDINANDUM
A FURSTENBERG,
S. D. N. ALEXANDRI VII.
CUBICULARIUM INTIMUM,
CANONICUM PADERBORNENSEM,
ET HILDESIENSEM,

In illud Ciceronis, quo poetas omnes ait inter ſe diſſimiles eſſe, ſed ita tamen, ut neminem ſui velis eſſe diſſimilem; adeòque parem pænè laudem in diſſimili ſcribendi genere iis tribuendam eſſe. Lib. 3. de Orat.

SIc tua Romano celebretur Muſa theatro,
  Nec minus Arctoo nomen ab orbe ferat:
Ut tibi magnorum laudantur carmina vatum,
  Quos vetus, & veteri Roma ſecunda tulit.
Non res, non numeri, non impetus omnibus idem:
  Omnibus ex merito laus tamen æqua ſuo eſt.
Paſceris ingeniis, & te non una moratur
  Gratia; quiſque ſua, qua valet, arte placet.
Nos quoque, nos tecum non cauſa tangimur una,
  Cur aliquod dignum laude putemus opus.
Inter tot ſpecies quid non Natura decoris,
  Cùm variis terram floribus ornat, habet?
Hic eſt auroræ, puri color aeris illic:
Hic pallet: nitet hic: hic rubet: ille viret.

Diſſi-

Diſſimiles quamvis, nec ſit decor omnibus unus;
At rapit hic oculos, & rapit ille meos.
Lilia me capiunt albo, vaccinia nigro:
Quo flos me capiat diſcolor alter habet.
Frondibus arrectis placet hic, placet ille repandis;
Et forma, in dubio eſt hæc ſit, an illa prior.
Hic quia ſuavè rubet, gratumque exſpirat odorem,
Fragrantem digitis ſubſecuiſſe velim.
Quis violas grata pictas ferrugine damnet,
Gratior albentis ſicubi forma roſæ eſt?
At minor hortorum eſt, quàm Pindi gloria noſtri.
Hìç viget ingenio quiſque poeta ſuo.
Ille leves elegos, levibus ſolatia curis;
Fortia Mæoniis hic canit arma modis.
Muſa dedit laudes aliis pugilumque, Deumque,
Liberaque impulſa vina referre lyra.
Scenam alii ſocco ſubeunt, altove cothurno:
Et plauſu reſonant quæque theatra ſuo.
Nunc Troas, Thebæque placent, & barbara pellex;
Nunc fallax ſervus, difficiliſque pater.
Sunt quos blanditiæ, ſunt quos irata Lycambæ,
Tinctaque mordaci carmina felle juvant.
Nil non diſſimile eſt: res eſt liberrima carmen.
Non aliter Muſæ ſcribere quemque velint.
Quid prius eſt illo? quid & hoc, quid cultius iſto?
Confer: erit longæ res dirimenda moræ.
Non, ſi Pelides æternum nomen Homero,
Simichide nullum Daphnis habere dedit.
Sedibus exactos cantu celebrare tyrannos
Non erat ingenii, Lesbi puella, tui.
Quid tamen Alcæo vates celeberrima debet?
Num minus ardoris, num minus artis habet?
Si fuit Achilocho pugnax & liber iambus,
Quid mirum? juſtus ceperat arma dolor.
Dum celer in pugnas fertur, dum cornua ſumit,
Deliciis potuit ſcilicet eſſe locus.
Deliciis locus aptus erat, cùm Cypris Adonin
Flevit, & in queſtus ingenioſa fuit:

Aut inter calices citharam cum carmine movit
Vincta celebratis Teja Muſa roſis.
Aptabat nervos, ut res & nomina regum
Diceret: at nervos attenuabat Amor.
Materies placuit fidibus levioribus apta,
Cumque ſuo Bacchus munere carmen erat.
Et modò parvus Amor, matri ſua vulnera monſtrās,
Sauciusillacrymat, ſeque periſſe putat.
Et modò dicit apes parvæ genus eſſe lacertæ,
Quæ circum flores, & thyma ſumma volet,
Quæ petat incautos, quæ venis fixa relinquat
Spicula, quæ morſu virus habente necet.
Et modò materno monitu non mitiùs uri
Credit, quos arcu læſerit ipſe ſuo.
Quis tenues luſus, & læti pectoris ignes
Improbet? à nobis ſit procùl iſte furor.
Sculpſerit Alciden alius, Lapithaſque bimembres,
Aut, in Titanas cùm movet arma, Jovem,
His magnos membrorum artus, his oſſa, toroſque,
His dederit ſævis lumina torva minis;
Huic etiam fulmen, ſemiuſtaque fulmine monſtra,
Impetere aggeſtis montibus auſa Deos.
Tu meliùs pueri molles, Polyclete, capillos,
Impubeſque genas fingere doctus eras.
Ducebas melius, teneros de marmore vultus,
Aſcanii quales, aut Ganymedis erant.
Si quis, ut in vulgo, rudis & ſine pectore judex,
Si quis, qui de te plura requirat, erit,
Deſipit, & neſcit, victori debita quæ ſint
Præmia, dum primas qualibet arte ferat.
Quis Zeuxin, niſi mentis inops, dum laudat Apellē,
Arguat, & ſimilem non velit eſſe ſui?
Pinxerat, & pictis veras ſimulaverat uvas,
Uvaque deceptas picta trahebat aves.
Naturæ ſimularat opus. Quid defuit arti?
Quis gradus ulterior, quem ſequeretur, erat?
Ille ego ſim, cujus frondes laudentur & umbræ,
In tenui quamvis hæreat ille labor.

Ille

Ille ego ſim, cujus vano quæ picta rubeſcit
Uva mero, captas fallere poſſit aves.
Certè ego nil magnum cecini: non Muſa cothurnos,
Non auſa eſt gravibus tangere bella modis:
Non mores, Natura, tuos, & ſemina rerum.
Anguſta eſt noſtris area trita rotis.
Et tamen in ſeros hæc Furſtenbergius annos,
Quæ modò cumque damus, vivere poſſe putat.
Si plus, quam par eſt, tribuit mihi, viderit ipſe:
Judicii culpam diluat ipſe ſui.

ELEGIA V.

CAROLO PHILIPPO DE RUBEMPRE, COMITI DE VERTAIN, &c. SUPREMO BRABANTIÆ VENATORI, ET MARIÆ D'AUERHOULT, DOMINÆ DE HELFAULT, &c.

EPITHALAMIUM.

Dicta dies fulſit: veniunt ad fœdus amantes:
Juratam thalami dantque petuntq; fidem.
Ite Dionæi, genialia numina, fratres,
Sertaque formoſis myrtea ferte comis.
Ite: ſonent arcus, delectaque tela pharetris
Spargite: ſolemnes ventilet aura faces.
Et choreis locus eſt, Rubro patet area prato.
Ite licet: pulſo ter ſonet icta pede.
Vos illuc feſtivus Hymen, vos pronuba Juno
Evocat, & teſtes fœderis eſſe jubet.

Hic laudet thalamos: titulos hic laudet avîtos;
  Pars celebret votis, auſpiciiſque diem.
Hos juvet accenſis nuptam deducere tædis,
  Quò formoſa novo jam parat ire viro.
Audior: en dicto citiùs Cythereja juventus
  Cum face, cum jaculis, cum fidibuſque venit.
Nulla mora eſt, præeũt: ſequitur pulcherrima Divos
  Quaque venit, læto germine vernat humus.
Hic niveos, croceos alibi ſine ſemine flores
  Parturit: hic caſiæ, multaque nata roſa eſt.
Hæret amans, poſitoque genu fert oſcula terræ,
  Quali te matri, Brute, tuliſſe ferunt.
Et ſimul: O tellus, inquit, gratiſſima ſalve.
  Tu mihi, tu biferis anteferenda jugis.
Aligeri terram pariter, floreſque ſalutant.
  Atque aliquis, votum dum fovet ipſe ſuum:
Gaude, ait, & quid humus, quid prati gleba rubentis,
  Lætaque portendant germina, nupta vide.
Omina ſunt aliquid: venturi præſcia ſæpè
  Omina terra dedit: credita terra Dea eſt.
Formoſæ ſobolis, venturorumque nepotum
  Spem tibi non dubiis præbuit illa notis.
Deſierat: pharetramque puer concuſſit & arcum,
  Excuſſitque leves terque quaterque faces.
Veraque præmonuit: ſed nec mihi vana monenti
  Certior ex alto cauſa petenda venit.
Nec mihi Saturni veteris memorabitur ætas,
  Cùm thalami nondum, tædaque nota forent.
Siqua fides, puerum quercus laurique ferebant,
  Et vive gravidus pondere truncus erat.
Stabat & ad truncum mitis Lucina dolentem,
  Exceptumque ſinu dulce fovebat onus.
Arcades hæc memorent ſilvis & quercubus orti:
  Serviet augurio fabula nulla meo.
Poſt Chaos, ut primùm volucres agitabilis aer
  Ceperat, & piſces æquora, terra feras,
Natus homo eſt: &, ſi generis primordia noſtri
  Quærimus, è rubra ſemina duxit humo.
Cam-

Campus erat: campo, quot habet, Natura colores
Sparſerat: ipſa ſibi ver faciebat humus.
Fons ſacer in medio: fonti manantia longè
Flumina, bisgeminis flumina ſciſſa viis.
Ripa viret muſco; campus viret: herbidus omni
Parte color, ſi non ipſa ruberet humus.
Creditur hic concors una jacuiſſe ſub umbra
(Hæc pax illius temporis) agna lupo.
Creditur hic ſerpens, & nondum letifer hydrus
Nexibus aut morſu nil potuiſſe ſuo.
Non hic herba nocens, non radix ulla legenti
Obfuit: ignotum toxica nomen erant.
Hoc, Adame, tibi datus eſt natalis in agro:
Inde (quis hoc neſcit?) poſtera turba ſumus.
Credite poſteritas, rubræ mortalia glebæ
Corpora ſe debent: ducimus inde genus
Hoc caput, hæc cervix hęc vincta tot artubus oſſa
Hi nervi, glebæ maſſa rubentis erant.
Ille cruor, rubris humor permiſtus arenis
Olim erat: in venis nunc rubet ille ſuis.
Inde Rubempreus (quamquam felicibus armis
Extulit antiquam Martia fama domum,
Et proavis nomen, quod & hic virtutibus auget,
Decolor hoſtili ſanguine terra dedit)
Inde Rubempreus, terræ natalis & ortus
Conſcius, à rubra nomina ſervat humo.
En age, curre citis (quid vota moraris amantum?)
En age, curre citis, candida Luna, rotis.
Cùm plenum novies repararis cornibus orbem,
Quæ canimus, rurſum ſunt habitura fidem.
Tunc quoque de rubro prato ſe parvulus hęres,
Efferet: hæc prati florida meſſis erit.
Et tamquam norit, florem cui debeat ævi,
Ad patrem, & geminos brachia tendet avos.
Tendet, & obliquiis matrem ſpectabit ocellis,
Invadetque genas, ſua violumque dabit.
Creſcat, io creſcat rubri ſeges aurea prati,
Et domus in titulos ſurgat avita ſuos.

Ridet Amor: ſternutat Hymen: Cythereja mater
Augurium niveas edere juſſit aves.
Nec gemmę tantùm pro pignore dantur amoris:
Aurea conjugio vellera ſpondet Amor.
Quę pendent 1 patriis, veniat modò ſerior ętas,
Pendebunt humeris vellera, Sponſe, tuis
Felices animæ, queis tantis Numina firmant
Ominibus pactam pignoribuſque fidem!
Vivite concordes, & quę modò vota canendo
Dicimus, in mirti cortice ſcribat Amor.
Vivite: quotque dabunt hæc olim fædera natos,
In ſpem perpetuæ poſteritatis eant.

1 *Philippus de Rubempre, ſponſi parens, à Philippo IV. Rege Catholico donatus aureo Vellere; uti & anno* 1473. *à Carolo Audace, Duce Burgundiæ, Joannes de Rubempre.*

ELEGIA VI.

AD LUDOVICUM DE RCMER. ANTUERPIÆ APUD FACONTINAS SACELLUM S. JOSEPHO ERIGENTEM, ET IN EO SEPULCRUM DEFUNCTÆ CONJUGI SIBIQUE COMMUNE.

Malè profectò, Vir Nobiliſſime, de animorum immortalitate ſenſerunt, qui ſepulchri jacturam facilè paſſi ſunt, & cùm Theodoro Philoſopho nihil intereſſe putaverunt, humine, an ſublimè corpora noſtra putreſcerent. Cùm enim in confeſſum veniat mortem non interitum eſſe omnia tollentem atque dolentem, ſed quandam quaſi migrationem commutationemque vitæ; par eſt, ut, cùm alteram hominis partem ab ejus exceſſu alibi vivere; alteram, quæ in terris ſupereſt, denuò victuram credamus, hanc intereà, dum illuceſcat ille dies, ſupremis honoribus terræ mandatam ab injuriis vindicemus. Quam pietatem non modò conſenſus omnium gentium probat, ſed Natura etiam docet, quæ & ſepulchrorum religionem omnibus indidit, & ſæ-

pe

pe num rò pœnas ab eorumdem violatoribus judicio nunc occulto nunc manifeſto perſequitur.

Crede mihi, vires aliquas Natura ſepulchris
Attribuit: tumulos vindicat Umbra ſuos.

Ita quidem Seneca: ſed cùm idem ipſe nulli reliquias ſuas commendaret, & quemadmodum ex barba capillos detonſos negligimus, ita corpus ex ſuæ Porticus diſciplina negligendum eſſe cenſeret, vaniſſimæ ſuæ opinioni Naturam repugnare hoc verſu profeſſus fuit. Tu verò non Naturam tantùm, ſed Virtutem conſuluiſti, cùm ſepulchrum, quem corporis portum Ennius apud Ciceronem appellat, cariſſimæ conjugi tibique erexiſti, ubi placidiſſima velut in ſtatione corpora veſtra quieſcerent, non ut quaſſatæ naves, quæ ut ſemel cariem traxerunt, ſituque exeſæ ſunt, redintegrari non poſſunt, ſed quæ inſtaurandæ, & in tranquilliorem invehendæ ſunt portum coronatæ. Sic opes effundere, non eſt in titulum ſepulchri laborare, ſed conceptam de immortali beataque vita ſpem publicè prodere. Corpus cremari ſuum primus voluit L. Sylla, veritus ut jaceret à morte integer, qui non modò non integrè vixerat, ſed omnium meritus odium præſagiebat expromendam in ſe Marianarum partium crudelitatem, quam ipſe expromſiſſet in Marium. Quod quamquam exemplum apud eos poſteà valuit, quibus, cur id ſequerentur, cauſæ nihil erat: tamen eorum hoc fuit, qui extremum illum rogum confectorem conſumtoremque omnium eſſe credebant. Tu meliùs, qui tuum ſuaviſſimæque conjugis corpus lapide ſepulchrali & illo quidem ſplendido atque magnifico tegi vis: quippe qui non ignores illum non oſſa tantùm, ſed integra æternùmque victura corpora redditurum. Hac tu te ſpe ſuſtentas ac reficis, & Deo, qui, quam tibi dederat, cùm viſum fuit, ad meliora præmiſit, te permittis. Quemadmodum ad epulum ſi vocatus ſis, è ferculorum varietate & argentea ſuppellectile menſis illata delectationē capias, neque convivatorem arguas, ſi illa

tem-

tempore ſuo tolli jubeat: ita cùm tibi, quod cariſſimum fuit, ſublatum vides, illi, cujus imperio id factum fuit, acquieſcis. Eſt interim orbitatis tuæ non leve ſolatium pietas illa, qua quidquid adhuc illius in terris reliquum eſt, honeſtiſſimo modeſtiſſimoque monumento compoſitum, ac S. Joſepho in tutelam traditam ſervas. Conjunctus eſt cum hac tua in defunctam pietate religioſiſſimus in ſepulchri tui tutorē animus, quem inter cineres etiam tuos ſuperſtitem ſemper intuebitur ac laudabit Antuerpia. Adeoque increbreſcet illa per te huic urbi laus, quæ Athenis olim tributa fuiſſe legitur. Quarum etſi tantus fuerit ſplendor ac decor, ut de earum poſſeſſione, propter pulchritudinem, etiam inter Deos certamen fuiſſe proditum ſit à Tullio: tamen T. Pomponium Atticum, ut idem narrat, non tam opera magnifica delectabant, quàm recordatio ſummorum virorum, quorum illic ſepulchra ſtudioſè contēplabatur. De Antuerpia non poteſt ulla inter Cælites eſſe contentio, qui primas in hac elegantiſſima urbe partes Reginæ ſuæ lubentes volenteſque concedunt: tamen id affirmare meritò poſſe videor, hanc nunc Virgini multò eſſe quàm anteà gratiorem, quòd ſponſo quoque ſuo ædem hic à te magnificam apud Facontinas Virgines à fundamentis excitatam videat, è qua illa eadem qua ſponſam olim ſuam tutatus fuit cura, nunc templum urbis primarium ejuſdem nomini ac cultui dedicatum ueatur. An verò ullus eſſe poteſt dubitationi locus, quin ſua etiam tumulo veſtro dignitas incolumis permanſura ſit? Quòd ſi, ut ajebat idem Tullius, ſepulchra fiunt ſanctiora vetuſtate, quis dubitet, quin allatura ſit dies ſanctitatem tuo? Dum enim Virgini in hac urbe ſibi dedicata ſuus erit honor, dum pro ſplendidiſſimo illius tēplo S. Joſephus ſtabit, ſtabit quoque pro monumēto veſtro, atque illud æquè, ut aras ſuas à te poſitas tuebitur ac vindicabit. Quem animi tui ſenſum cùm exploratū haberem, ego illum hiſce verſiculis explicandum ſumſi, ac te loquentem induxi. Tu te audi.

BENE

BENE SIT MANIBUS TUIS
CONJUX CARISSIMA
CATHARINA HAECX,
QUOS UT FIDÆ TUTELÆ COMMITTAM
HANC
S. JOSEPHO.
ÆDEM ARAMQUE MARMOREAM PONO
MEOSQUE SIMILITER MANES
CUM TE ORDINE.
QUO NATURA JUSSERIT, SEQUAR,
EIDEM RELIGIOSE COMMENDATOS
VOLO
LUDOVICUS DE ROMER.

Dilecti Manes, & adhuc pars altera noſtri,
 Occurrens animo nocte dieque meo:
Si me, dum poteras aliquid moribunda tenere,
 Gaudebas gelida poſſe tenere manu:
Si tibi, cùm venæ fugerent, friguſque ſubiret,
 Ultima producta eſt me revocante dies:
Si legi fugientem animam, ſi lumina preſſi,
 Pompaque non tacito funere ducta tibi eſt:
Si merui: procùl Elyſio luciſque beatis
 Huc ades, & cineres læta reviſe tuos.
Non ego te, mea lux, miſeris urgere querelis,
 Nec tua, quod nolis, plangere fata velim.
Nec, quæ depoſui, rurſum lugubria ſumam,
 Nec viduæ referam commoda rapta domus.
Luximus: effuſis & cùm ferretur habenis,
 Sæpè tibi dolor eſt, ſæpè probatus amor.

Nunc,

Nunc, quãquã lacrymas nondũ conſũſimus omnes,
Legitimo expleta eſt noſtra querela die.
Aſpice me dices: Non ſunt hæc ora dolentis.
Lætitiæ vultus ſigna recentis habet.
Aſpice, lætitiæ cauſam, quam ponimus aram:
En nitet, & fato diſcolor illa tuo eſt.
Eſte procul vittæ triſtes, atræque cupreſſi:
Funeſtas ornent triſtia ſigna domos.
Hic mihi verbenas, pueri, caſiamque, crocumque,
Hic mihi de teneris mollia ſerta roſis.
Læta dies venit: Joſephi tangimus aras:
Omnia feſtivis ſint operata ſacris.
Thura focis, date thura boni, linguiſque favete,
Et pariter votis addite vota meis.
Et: Benè Joſepho, benè per quem ponitur ara,
Dicite, jactatis ad bona verba roſis.
Tuque adeò, ſacri quæ pars es proxima noſtri,
Annue, per ſi quid dulce piumque meum eſt.
Se tibi feſta dies, tibi ſe ſacra annua debent,
Araque, & artifici marmora ſculpta manu.
Hic tua condidimus, Diviſque ſacravimus oſſa:
Hic primùm lacrymas illa bibere meas.
Ille cinis tuus eſt, qui, ſi quis ſenſus in illo,
Joſephi recubat molliùs ante pedes.
Hæc æterna tuo maneat tutela ſepulchro:
Credita non ulli certiùs eſſe potes.
Virginis & Pueri, queis nil auguſtius orbis,
Ipſaque viderunt ſidera, tutor erat.
Nec minùs hic pro te ſtabit: dum proteget aras,
Altera de tumulo cura futura tuo eſt.
Non ſinet ut vacua cineres ſpargantur arena,
Oſſaque in incertum caſus & Auſter agant.
Triſtia longè aberunt ſerpentum ſibila, longè
Ultrices Furiæ, tergeminuſque canis.
Et benè proviſum eſt, illo mea vota probante,
Ut ſit honoratus, qui tegit oſſa, lapis.
Fortunata, tui quæ tam ſecura ſepulchri es!
Præſidio eſt Umbræ Numen & ara tuæ.

Nec tibi maluerim, quos olim Caria ſumtus,
  Aut quos Aſſyrius duxit ad aſtra labor.
Nec tibi, quos centum celebravit Græcia ludos,
  Aut in Romana nomen habere via.
Longa dies illis furtim ſubduxit honores:
  Longa dies illas ſolvit, & uſſit opes.
At non venturis & nos reticebimur annis,
  Qui cineres tanti duximus eſſe tuos.
Annua donec erunt Joſephi ſacra, ſub illa
  Compoſitos condet mole decenter humus.
Cumque ſuis ſtabunt monumenta perennia Divis:
  Annos religio dum feret, illa ferent.
Hos Pater inſpirat ſenſus, his pectora complet,
  Et non à Muſis ſpiritus ille venit.
Fallor? an ipſe ſuas cœlo deſcendit ad aras,
  Signaque præſentis numinis ipſe dedit?
Ter cœlum, ter viſa ſacri diſcedere tecti
  Culmina: ter rutilo luxit ab igne locus.
Terque repercuſsa radiarunt marmora flamma,
  Flammaque ter ſacros lambere viſa focos.
Salve magne Pater, cujus ſervata labore eſt
  Virgo digna viro, major utroque Puer.
Sancte velis (nam te cœlo dare jura, loquutur)
  Hunc caris lætum manibus eſſe diem.
Ut tegerentur humo (tua nam cuſtodia tanti eſt)
  Hæc tibi perſpectus templa dicavit amor.
Pro quibus officiis, ſi non ingrata, paciſcor,
  Conjugis ut cuſtos, ſic meus eſſe velis.
Hæc mihi primus amor: quæ preſſi lumina teſtor.
  Hæc mihi, ſint teſtes oſſa, ſupremus erit.
Sic olim tumulo cineres miſcebimus uno,
  Junctaque ſemper erunt illius oſſa meis.
Atque (ita ſim felix!) hæc ara tuebitur ambos,
  Unaque conjugibus fata duobus erunt.
Quid referã meritis? minus eſt quodcumq; rependã.
  Sit mihi, Dive, tuo fas in amore mori.
Eveniat (neque me quiſquam revocare laboret)
  Eveniat noſtris manibus illa dies.

Non

Non cinis extinguet noſtros jam frigidus ignes.
  Oſſibus ille tui vivet inuſtus amor.
Pars ego nunc rerum, fateor, ſum parva tuarum,
  Atque ita, dum vivis annumerabor, ero.
At neque mors faciet, ne non, cum venerit illa
  Me pia poſteritas neſciat eſſe tuum.
In lapide hoc tuus eſſe legar, tumulique feretur
  Gloria tutelæ munus opuſque tuæ.
Atque aliquis, dum fortè tuas proſtratus ad aras
  Perleget inſcriptas, quas habet ille, notas:
Tam benè qui de te, dicet; voluere mereri,
  Feceruntque ſua te pietate ſuum,
Valle Facontina tumulus quos junxit amantes,
  Vallibus Elyſiis hos quoque jungat amor.

ELEGIA VII.

AD SIDRONIVM HOSSCHIVM

E SOCIETATE JESU.

Cùm alter alterius recognoſcendis verſibus mutuam navaret operam amiciſſima libertate.

NE vivam, neque vita meos quæcumque libellos
  Excipiat, ſuperet tempora parva meæ,
Te mihi, Sidroni, vivit ſi carior alter,
  Parſque ſodalitii dulcior ulla mei eſt.
Tu mihi primus amor: te judice glorior uno
  Non aliquem vates inter habere locum.
Tu mea cum legeres, quod non ſperare jubebas?
  Judicio crevit ſpeſque animuſque tuo.
Nec tamen intereà, ne non me cultior irem,
  Admonitu non eſt facta litura tuo.
Non tibi libertas deerat: mutanda notabas.
  Sæpè mihi facilis, ſepè ſeverus eras.

Sæpè

Sæpè ſuo invitam reſecabas corpore partem.
  Libertas Muſis profuit illa meis.
Inciſis meliùs veniunt in vitibus uvæ,
  Inciſis formam ſepibus hortus habet.
Nec, niſi cum loliis ſteriles vellantur avenæ;
  Sperato meſſem fenore reddit ager.
Nec, niſi ſil veſtres rami cedantur, & umbræ,
  Inſita mutatæ mala tulere pyri.
Non mihi ſcribendi veniat tam dira libido,
  Ut mea contempto judice ſolus amem.
Sic ſe litorea cum vidit ſolus in unda,
  Therſites facie credidit eſſe bona.
Sic quem Nerine tantùm Galathea videndo
  Horruit, eſt formæ captus amore ſuæ.
Credidit & lumen, media quod fronte gerebat,
  Credidit hirſutas & placuiſſe comas.
Non hæc antiquos tenuit fiducia vates.
  Ingenio timuit credere quiſque ſuo.
Cynthia laudata eſt: ſed laudatiſſima quamvis
  Cynthia, judicio ſubdita, Naſo, tuo eſt.
Nec poduit Flaccum, juſſos licet icta referret
  Chorda ſonos, aures conſuluiſſe tuas.
Sæpè ſuas etiam volucres tibi legit, & herbas,
  Quæque Mycenæis induit arma Macer.
Sæpè, Perilla, tuum lima mordaciter idem
  Raſit, & incudi reddere juſſit opus.
Non, ubi ceſſaras, quamvis ceſſaſſe puderet,
  Delictum Muſa eſt inficiata ſuum.
Cedere malebas, quàm non admiſſa fateri,
  Nec tibi non laudi cognitus error erat.
Ah valeat, ſibi qui parcit, ſeque & ſua ſolus
  Æſtimat, atque odio verba monentis habet.
Ipſe ſibi plauſum geminet, nectatque coronam,
  Et medio Pindi det ſibi monte locum.
Invidiamque vocet, quam non niſi ſumma merentur,
  Incultum ſi quis damnat, & odit opus.
Sæpè ſuis illum videas ſupereſſe libellis,
  Sæpè etiam famæ funera flere ſuæ.

Quippe

Quippe rudes fetus primo moriuntur in ortu,
Primaque lux illi ſæpè ſuprema fuit.
Tu famam vitamque jubes ſperare libellos,
Judicio pretium qui meruere tuo.

ELEGIA VIII.

JACOBO COBERGHER E REGIS CATHOLICI MILITIA, IN QUA COHORTEM DUXERAT,

Ad Carthuſianum Ordinem nuper tranſgreſſo, nunc etiam triumphalem hoſtiam Deum Deo ad aras primùm offerenti.

VIctores bello reduces Capitolia quondam
Roma coronatis ſcandere vidit equis.
Scilicet, ut victor gratus cæleſtibus eſſet,
Victima danda Jovi, dandaque laurus erat.
Hinc debellato peperit ſibi nomen ab hoſte,
Quæ tinxit tepidos hoſtia ſacra focos.
Hinc undis, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima perfuſi ſæpè fuere tuis.
Viciſti meliùs: melior, Jacobe, triumphi,
Quamvis non ſteterit ſanguine, cauſa tui eſt.
Non tibi ſe victor ſpoliis inſignis opimis
Conferat: alterius victor hic, ipſe tui es.
Hic breve neſcio quid victæ telluris habere
Militiæ pretium credidit eſſe ſuæ.
Tu patrios, ut ne patriæ non utilis eſſes,
Admiſſo undantes æquore 1 perdis agros.
Ingentes vallos, objecta repagula ponto,
Disjeciſſe tua diceris ipſe manu.
Diceris, obſeſſos muros & litora circum,
Sæpiùs hoſtiles ſuſtinuiſſe minas.

Sunt

1 *Aggeres ipſe ad Dunkercam perfodit, quibus admiſus Oceanus in paternas poſſeſſiones.*

Sunt quoque, ſunt fidei teſtes tibi prodiga vitæ
Pectora, ſunt ipſo vulnera pulchra loco.
Viderat hos animos, & plus ſperavit ab illis,
Si nova tentarent prælia, Divus Amor.
Et pariter certa deſignans cuſpide vulnus:
Militia, dixit, ſe probet ille mea.
Ex illo quas te pugnas, quæ bella cientem
Vidimus! o cauſa bella probanda ſua!
Illuſtres ſupra titulos, & præmia regum,
Altiùs & terris Mars tuus egit iter.
Quæ nunc majeſtas, quæ nunc tibi pompa triumphi,
Si ſua nunc virtus præmia poſcat, erit?
Non humeris Tyrium fulget victoribus oſtrum:
Attenuant artus aſpera texta tuos.
Et tibi non tauros fluvio Clitumnus amœno,
Non aluit niveos herba Faliſca greges.
Ipſa triumphalis ſummo tibi victima cælo
Labitur, æterno dignaque parque Deo:
Ipſa Deus, quantus Superis qualiſque videtur,
Quantus & ætherea fulmen ab arce jacit;
Quantus & aſtriferos orbes, terraſque, fretumque,
Omniaque imperio vertit, agitque ſuo.
Victrices ſubit illa manus, gaudetque teneri,
Quodque feras, gratum ſe ſibi munus habet.
Fortunate tui victor, quando ille triumphi,
Per quem viciſti, victima facta tui eſt!

ELEGIA IX.

AD HENRICVM NESSELRODIUM E SOCIETATE IESU.

Cùm Elegiam ab eo Roma accepiſſet, qua horum libellorum editionem urgebat.

TEne ego de noſtris credam ſentire libellis,
Quæ, Neſſelrodi, ſcribere juſſit amor?

Da

Da veniam: plus, quam poſſum, tibi poſſe videmur,
Æquora de parvo flumine magna facis.
Sed nihil infirmo: fateor quoque, carmen, & artem,
Quę mihi jamdudum non malé ceſſit, amo.
Interdum numeris placuit gravioribus ire;
Interdum teneris apta referre modis.
Sumſimus & citharam: citharę concordia Phœbus
Carmina; carminibus materiemque dabat.
Et ſiquis quęrat, cur hęc proferre moremur;
Tuta juvant: nulli delituiſſe nocet.
Non duros ungues, morſuſque verentur iniquos,
Sub lare privato quæ ſibi quiſque canit.
Hic mihi ſum judex, hic ſum mihi lector, & unus
Omnia: nec plauſu, ſiqua merentur, egent.
Hic mea me poſitis dum paſcunt otia curis,
Quid poſſit voto plenius eſſe meo?
At, puto, tantùm aliis, quantùm tibi, noſtra placebunt,
Muſaque præſidio non caritura ſuo eſt.
Judicio peccat, qui dum non diſplicet uni,
Securum famæ ſe putat eſſe ſuæ.
Plurima diſſimulat, caroque indulget amico,
Et veris aliquid laudibus addit amor.
Utque ſit & cedro dignum, nec credere ſeſe
Lectori metuat, pars quota laudat opus?
Ut vultus ſpecies, ſic mens non omnibus una eſt;
Et cauſam, qua ſe quiſque tuetur, habet.
Hunc vis, & gravitas, quæſitique arte colores;
Simplicitas illum nudaque forma capit.
Hi prodeſſe volunt; hi delectare poetam:
Utile qui dulci miſceat, alter amat.
Quid facias? voces etiam placuere Sabinæ,
Et vix intonſo cognita verba Numæ.
Sic aliquem putri ſordens ærugine ſignum,
Et, priſci dum ſit funeris, urna juvat;

Aut veteris Curij non invidioſa ſupellex,
Parvaque Carmentis trita patella manu.
Forſitan & Samię laus eſt pretiumque patellę,
Quantum Mentoreę non tulit artis ebur.
Quid referam, magnos ut inertia carpere vates
Auſit, & immunes non ſinat eſſe nota;
I nunc, & quamvis à te componimur illis,
Quę nos detrectent ora timere veta.
Dicitur (ah quantum Latio díſſamus ab illo,
Cui ſimplex candor ſumma decoris erat!)
Dicitur extremum Naſo detruſus ad Iſtrum
Scribere fortuna non meliora ſua.
Muſaque tam felix, & non imitabilis ulli,
Orba ſuo cultu eſt, nec propè digna legi.
Scilicet Euxini lęſa eſt quoque frigore Ponti,
Traxit ab hirſutis nec nihil illa Getis.
Scilicet & vires domini minuente ſenecta
Ingenii pariter deficientis erat.
Hei mihi quàm nihil eſt, cui non vecordia laudem
Detrahat, audaces injiciatque manus!
Tene ſacer vates, quem Minci ad flumina natum
Excepit gremio Calliopeja ſuo,
Cui lauri ſparſit foliis & baccare cunas,
Blandaque Cecopriis imbuit ora favis,
Cui Pan, cui Siculus ſubmiſit paſtor avenam,
Cui victas Colophon & dedit Aſcra manus,
Quem domus Æneadum coluit, quem Roma canentem
Mirata eſt patriis arma virumque modis,
Tene etiam inſanus, qui carpit cętera, livor
Deterit? heu famę turba maligna tuę!
Nec duro caruit Flaccus quoque judice, quamvis
Romani fidicen delicięque chori.
Quid? quod ſępè ſuo viſa eſt Polyhymnia vati
Tradere formoſa barbita tenſa manu.
Quid? quod olorinis evaſit ad ęthera pennis,
Quò neque Dircęus repperit ales iter.

Quid?

Quid? quod & illius poſt tot jam 1 ſecula cenſor
 Poſthabuit cultę reg'a ſceptra lyrę.
Quid tamen hoc prodeſt? num te minùs, optime vatum,
 Arguit, & puros increpat uſque modos?
Num minùs atra tuis illevit ſigna libellis,
 Subſtituitque ſuis aſperiora locis?
Quis tibi, magnorum cenſor liberrime vatum,
 In Muſas tantum juris habere dedit?
Quis ferat alterius cælo ſtudioque refingi
 Praxitelis Floram, Phidiacumve Jovem?
Quæ Veneris tabulam, quamvis labor ultimus illi
 Defuit, artifices perpoliere manus?
Parcite victuros, maleſani, parcite vates
 Lædere: divinę ſemina mentis habent.
Nil agitant mortale: Deus, Deus ipſe canentum
 Aſpirat cœptis: illius igne calent.
Illius urgentur ſtimulis, totoque premente
 Numine non hominem, non ſua verba ſonant.
Juſſa canunt: pater ipſe modos & verba miniſtrat,
 Et pręſens animos, ingeniumque facit.
Non vigor hic, non hęc cęli commercia nobis:
 Altior ingenio ſpiritus ille meo eſt.
Nec timidè noſtros auſim vulgare libellos,
 Dum, Neſſelrodi, me tuus urget amor?
Di faciant, ne mox pœnas cogamur uterque
 Solvere, tu laudis, credulitatis ego.
Quidquid erit, noſtro quicumque tenebitur olim
 Carmine, juncta leget nomina noſtra tuis.

1 *Julius Scaliger eo loco, quo Horatianas Odas mirificè laudat*. Inter cęteras, *inquit*, duas animadverti, quibus ne ambroſiam quidem, aut nectar dulciora putem: quarum ſimiles malim compoſuiſſe, quàm eſſe totius Tarraconenſis rex. *At quibus deinde judiciis ac cenſuris illa ſummi Poetæ attonſa eſt ab eo laus?* Sanè duriuſculus eſt in prima. Neque placet illud. Malim etiam. Haud ſatis intelligo. Neque cohęret

hæret tota ea pars parti, cui ſubeſt. Oportet commento quopiam ſubvenire, ac referre gratiam magnis viris. Verbum languidiuſculum. Non ſanè convenit. Minus ſatisfacit. Undecima ſi a noſtri temporis poeta quopiam ſcripta eſſet, nequaquam inter probas admitteretur. Nec cum ipſo dixerim. Neque rectè dicas. Duodeviceſima tota inſuavis, coactiſque numeris quæſita potius, quam oblata. Neque ſatis mollis illa locutio. Satis durè. Servit metro ſuſtinendo. Singultim membra interrupta ſunt. Numeri quoque ipſi adhæreſcunt. Laboravit enim hac infelicitate in ſenariis dactylicis Horatius. Quid, quod ſibi contradicit? Non placent illa. Neque ſervant tenorem propoſitæ ſententiæ verba illa. Abſcedit à rei natura. Duriſſimum, inquam, verbum. Verbum languidius eſt, quam rei atrocitas exigit. Finis admodum languidus. Videntur hæc inopis poetæ, non divini, qualis ipſe eſt. Illa non conveniunt loco. Epodi verſus Jambici à nobis non ſemel duri, diſſipatique animadverſi ſunt. Sic poſſumus mederi huic nævo. Huic vitio non rarò eſt obnoxius. Non eſt illud ſupino aut oſcitanti judicio admittendum. In quinta ſunt aliquot loca minùs ingenua: anxia dico, neque libero ſpiritu edita. Eſt ſonus inſuavis. Et ille verſus obſcuræ dignitatis. Neque ſtructura placet: & hæc hiant: & omnino illa ſunt duriſſima. Numquam ſic loquor. Nec capio illum loquendi modum. Illa verò ferre nequeo. Sed & illi duo verſus odioſi. Undecima aſpera eſt, & inſuavis, neque digna legi. Sextadecima duriſſima ſanè multis in locis, & quaſi invitas quaſdam partes habens: tota igitur inepta eſt. Qui ſequitur verſus, profectò à me non intelligitur. Vides verò quantam duritiem: & quæ ſequuntur etiam aſperiora. Mancus ſanè ſæpè eſt Horatius ad hunc modum, & illa plebeja, & appoſitio illa languida, ac pedi potius quam ſententiæ ſerviens. Quid tum poſtea? ſequitur, quod non conſequitur. Nec conve-

niunt comparationes. Verſus diſſitus à proximo, & inconcinnus. Sed ſit ſatis, ne omnia excutiam, quorum ſane tædet. *Hæc & his plura Scaliger. At tu, Lector, quid cenſes? non tu tibi ſubjicis novum Herculem in Augię regis ſtabulo repugnando laborantem? Non diffitemur cum Quintiliano, in magnis quoque Auctoribus incidere aliqua vitioſa, & a doctis inter ipſos etiam mutuò reprehenſa: ſed eſt quidam in arguendo & caſtigando modus. Præſertim cum illi diſcutiuntur, quos non modò antiquitas venerandos facit, ſed ipſa quoque ſcripta ſic commendant, ut ſi quis judicium, quod ad ea expolienda contulerunt, ingenio concedere exiſtimet, is mihi Muſas colere pinguiores, & præcipuarum virtutum, quæ in divinis illorum monumentis elucent, inſcitia laborare videatur. Non igitur ex inani atque officioſa aſſimulatæ modeſtiæ formula, ſed plane ex animi mei ſenſu concepta eſt a me præcedens Elegia; quippe qui non ignorarem fore, ut ſi in publico apparerem, numquam evaderem, ne quid in me quidam deſiderarent. Sed hoc nos ſolatur atque erigit, quòd exactæ mentes, quarum judicia apud nos ſolum valent, quamquam ne illis quidem, quorum ſcribendi morem æmulamur, omnia condonant, intelligant tamen ſcribendi laudem penes illos tantum eſſe, nec eum rejiciant, qui, cùm illorum artem, & arti addita ultimæ expolitionis lineamenta penitus introſpexerit, ex illis ſimilitudinem ducat.*

AD

ELEGIA X.

AD ARNOLDUM VANDE WALLE, ARNOLDI FRATRIS SUI FILIOLUM, ADHUC IN CUNIS VAGIENTEM.

Cùm ei Olivam Pacis in ſpem colendæ olim Poeſeos mitteret.

QUid fles parve puer? dormi dulciſſime, dormi.
  Pax venit en cunas ducere juſſa tuas.
Ipſaque Calliope, nutrix velut altera, carmen,
  Quod ſomnos poſſit conciliare, canit.
Utque tibi virides ſint oblectamina frondes,
  Te petit, & cunas cingit Oliva tuas.
Mitte, puer, crotalum: ramum quate: gratus & illis
  Eſt ſtrepitus foliis, & color ipſe placet.
Qui te Palladium cernet prætendere ramum,
  Ille tibi felix protinus augur erit.
Pacificus, dicet, vivat puer: ille tumultus
  Oderit, & rixas, & grave Martis opus,
Et quidquid miſeri toties flevere coloni,
  Et pavidæ toties extimuere nurus.
Ingenio quæret, non cæde & ſanguine nomen:
  Pro galea circum tempora laurus erit.
Et modo civiles poſcent ſua tempora curæ,
  Et modo Pierides, altera cura, Deæ.
Otia laudabit, gladioſque in ſarcula verſos,
  Et quidquid ſecum Pax opulenta vehit.
O ita creſce puer, neque Pax te ſera moretur,
  Ingenio cauſas mille datura tuo.
Intereà, ſiquid puero tibi forte dolebit,
  Perfer: habent anni commoda magna tui.
Non res te patriæ, non tangunt damna tuorum,
  Nec tibi, cur ſperes, cur timeaſve, ſubit.

Ignorat, puppi ſomnum qui ducit in ima,
Quid mare, quid venti, quid ſera peccet hyems.
Forſitan abruptus violento turbine malus
Diſſilit, & regimen ventus & unda rapit.
Forſitan & rector, dum nil niſi vota ſuperſunt,
Ingemit, & duplices tendit ad aſtra manus.
Aut credit laceris navem compagibus ire:
Aut oneris metuens in mare jactat opes.
Hi trepidant: tabulas illi, funeſque requirunt:
Flent alii: pallet quiſque, Deumque vocat.
Ille nihil: ſomnoque jacet, curaque ſolutus,
Seu ſtupor hoc animi, ſeu gravis aura facit.
Hic ſtatus, hæc rerum, puer, eſt fortuna tuarum.
Te mala in hoc belli turbine noſtra latent.
Non tibi, quæ noſtros abrumpunt claſſica ſomnos,
Nec ſenſum, quem nos, temporis hujus habes.
Hoc ſentis tantum, ſi tardior ubera nutrix
Porrigit, aut noctis pars vigilanda venit,
Aut leve neſcio quid teneros ſi ſauciat artus.
Hei mihi ſumma tui ſit, puer, iſta mali!
Nec Vis & Rabies, cum te firmaverit ætas,
Ante oculos erret ſanguinolenta tuos.
Pax potius, quæ nos nimium nimiumque moratur,
Otia det Muſis, materiemque tuis.
At vos, quos læti capiunt præſagia voti,
Et pueri facies, ingenuuſque decor,
Illius o mecum, quæſo, cognoſcite mores:
Hi quoque blanditias, quodque loquantur, habent.
Quam nondum verbis, pacem vagitibus orat:
Pacem inter lacrymas pæne vocare putes:
Nec prope non credi poſſit communia vota,
Qua licet, indiciis velle juvare ſuis.
Non nihil huc anni (quid non conceditur illis?)
Non nihil huc candor, ſimplicitaſque facit.
Fœdera ſi poſcas, didicit protendere dextram:
Hoc fidei pignus, tu modo poſce, dabit.
Fallere non novit. Quid enim ſimulaverit infans?
Fronte, oculis, vultu ſe tibi prodit amor.

Ca-

Caſtra quid, & quæ ſint, neſcit: tamen inſcius horret,
Horret & auditas corde micante tubas.
Tum ſi fortè oculos lacrymis perfuderit horror,
Turbatos oculos, diſſimileſque ſui,
Lac dare nil opus eſt: pacem dulciſſima pacem
Ingeminet genitrix, ille ſerenus erit.
Fortunate puer, cui tam felicia pacis
Omina fatales præcinuere Deæ!
Vive, tuoque meas riſu cognoſcere Muſas
Incipe. Sic illæ te quoque ſemper ament.
Sic tibi ſit vultus, ſit crinis Apolline dignus,
Poſt etiam pulcrho carmina digna Deo.
Quæ mihi magna ſeni tum ſit laudare voluptas,
Et non laſſanda volvere ſæpè manu,
Atque ebore, & gemmis, & cedro dicere digna,
Et quodcumque liber murice cultus habet.
Sic quæ te gremio naſcentem Muſa recepit,
Admoveat labris ubera plena tuis:
Ubera nunc; olim fontes Aganippidos undæ,
Aonius cum te lucus & umbra teget.
Sic tibi blanditiis, ſic carmine mulceat aures,
Et linguam cantu fingat, & ora ſuo.
Sic tua te quondam ſecernat laurea vulgo,
Atque aliquid noſtro grandius ore canas.

ELEGIARUM
LIBER SECVNDVS.

ELEGIA I.
AD
MATRE MISERICORDIAE,
QUÆ IN TEMPLO SOCIETATIS JESU CORTACI COLITUR.

Cùm Sidronius Hoſſchius ejuſdem Societatis in gravi periculoſoque morbo Carmen illi voviſſet, ſi convaleſceret, anno 1646. quo urbs in Gallorum erat poteſtate.

O Quæ virgineo cum ſis lætiſſima partu,
Imperium nati par prope, Mater, habes:
Cujus in arbitrio eſt properantia fata morari,
Corporaque e tumulis viva ciere ſuis:
Queque pios vates, & de te digna locutos
Crederis auxilio ſæpè levare tuo:
Huc mites, huc flecte oculos. Tuus ille Poeta
Deficit, & pallens, & ſine voce jacet.
Deficit, heu fruſtrà pactus ſibi carmine vitam,
Quo te crediderat munere poſſe capi.
Nil artes, herbæque juvant: tua dextera, Mater,
Poſcitur: hæc vanæ ſuppleat artis opem.
Ne ſine, quod prono pepigit tibi pectore votum,
Ne ſine, quam de te ſpem fovet, aura ferat.
Non illum vitæ (quid enim, quod ametur, in illa eſt?)
Tangit amor, quamvis hic quoque tangit amor.
Omnia luctus habet: facies miſerabilis urbi eſt:
Nec dominum mœrens fert bene Liza novum,

Crudeſcunt morbi: procumbunt rabida paſſim
Corpora: funeribus non caret ulla domus.
Victoris nunc ira ſubit; nunc rapta gementi
Libertas populo, virginibuſque pudor.
Nec ruri, ut quondam, ſuus eſt honor: orba colonis
Ceſſat, & informi ſqualida terra ſitu eſt.
Hoc unum ſupereſt, lacrymis miſcere querelas:
Hoc unum miſeri, flere, levamen habent.
Quem tibi, Sidroni, ſenſum, tam denſa malorum
Se tibi dum ſeries objicit, eſſe putem:
Te quoque plus ipſo tangunt mala publica morbo:
Proſequeris lacrymis forſan & illa tuis.
Nunc lacrymis; tunc, cum poteras, & voce levabas,
Et, quacumque locus reſque ſinebat, ope.
Hei mihi! dum ſævus miſcet ſic omnia Mavors,
Mitior eſt tantis mors properata malis.
Tu, Virgo, tu ſola facis, cur optet amori,
Et pariter vitæ tempora longa ſuæ.
Ah quoties cœlum ſpectat, mortique paratus
Ardet in amplexus ille venire tuos!
Ah quoties votis iterum revocatur, & optat
Reſpectu 1 tantum vivere poſſe tui!
Vivat, & extentos virtutibus impleat annos:
Vivat, & hoc munus prædicet eſſe tuum.

1 *Peregrinum aliquid & ingratum obolere cupiam vox hæc viſa eſt; ſed neſcienti ſic Ovidium locutum ſæpius. Sub flebilem ſuum ex urbe diſceſſum ait uxorem ſuam mori voluiſſe; reſpectu tamen ſui prohibitam, ne quid ſcilicet acerbitatis ad ſuum dolorem mors hæc adferret. Tomitæ Ovidium malebant è Ponto diſcedere, quia videbant illum id vehementer velle, reſpectu tamen ſui virum multis de cauſis ſibi earum retinere cupiebant. At id, inquies, annotaſſe quo pertinet? Non amo cum Scipione nimium diligentes. At ego mihi diligentiam malo, quam culpam condonari.*

Te meminiſſe decet, quæ de te plurima ſcripſit,
Digna tuæ ſobolis nomine, digna tuo.
De nec erat ſoſpes, quis de tot vatibus illo
Dicitur in titulos cultior iſſe tuos?
Facundum faciebat amor: plenuſque vigoris,
Inque ſua ſemper Matre diſertus erat.
Dic, bona, dic, valeat. Memorem ſi fortè tabellam,
Aut votiva petis munera, carmen habet.
Illi ſola places, illi laudabere ſola,
Sola pio vati grande volumen eris.
Tunc iterùm blanda matrem te voce vocabit,
Auxilio lætus ſe ſupereſſe tuo.
Natalemque novum tibi ſe debere quotannis
Dicet, & antiquà religione colet.
Pactaque vota feret, feret & ſolemnia thura:
Munera cum tenero carmine laurus erunt.
Tanget & Happardum 2 (quid non pia tangit amantum
Pectora?) pars meriti non abolenda tui.
Te ſpectans animo, vatemque amplexus amicum,
Hæc de te, dicet, gaudia, Diva, fero.
Tum quoque ſervati teſtantia vatis amorem
Ante tuos ponet carmina vota pedes.
Addet & ipſe ſui manſurum pignus amoris,
Aut ebenum, aut Indi nobile dentis ebur.
Hoc cultu, variaque ſuper teſtudine fulgens
Pendebit templo pulchra tabella tuo.
Accedent alii, concordia pectora, vates,
Gens pia, gens laudes docta referre tuas.
Ante alios, ſupplex veniet Becanus ad aras,
Nec veniet vacua, gratus & ipſe, manu.
Blanditias, elegoſque ſuos, ſua munera ſolvet.
Materies eritis tuque, puerque tuus.
Omnibus unus amor grates tibi dicere, ſoſpes
Dummodò ſit, pro quo vota, preceſque ferunt.

Car.

2 *Remigius Happart, S. Jeſ. Cortraci Rector, votivum Sidronii carmen, & hoc noſtrum in magnifica ex ebeno tabella ad aram Virginis figi curavit.*

Carminis us cauſas, & aperti ſigna favoris.
Sic numeros illis, ingeniumque dabis.
Ipſe etiam voti veniam reus, & mea ſacris
Carmina ſuſpendam qualiacumque tholis.
Inſcribam: QUÆ, DIVA, TUO MODO VITA POETÆ
REDDITA, PARTE ALIQUA REDDITA VITA MIHI EST.

ELEGIA II.

FRANCISCO GANDAVILLANO,

BARONI DE RASSENGHIEM, TORNACENSIUM EPISCOPO LXXXVI.

Cortracum, Diœceſeos ſuæ Oppidum Regi Catholico reſtitutum primùm ingredienti.

Emblema; Scutum ejus gentilitium, cujus area ima parte nigra; ſumma, argentea,
Inſcriptio: VICTIS LUX ALTIOR UMBRIS
E quo poſt gravem ſub externo imperio luctum perpetuam Cortracenſibus lætitiam augurabatur.

ERgò ades, & ſolem nobis, lucemque reducis?
Magnaque pars curæ cœpimus eſſe tuæ?
Et, quoniam tenebras licuit, noctemque profundam
Vincere, lux nobis illa perennis erit?
Liza pater gaude; ſcuti non fallit imago,
Teſsera Villanæ præſidiumque domus.
O quantùm, & quoties illo recreabere viſo,
Et, Color hic, dices, fortis imago meæ eſt!
Sæpè tibi referent umbræ, quæ plurima Mavors
Mœrentem captis ferre coegit aquis.
Sæpè tibi referet victis lux altior umbris
Gaudia, quæ demto ſunt tibi parta jugo.
Mœniaque, & vallos, & tanti nominis arcem,
Captaque victrici Gallica ſigna manu.

Quas dabis hiſtoriæ cauſas, cùm noſtra loquetur
  Tempora, reſque tuas pars quoque victa leget?
Et leget, & pulſam ſeſe indignabitur arce,
  Quam nulla vinci poſſe putabat ope.
Mars erat in curſu: nec non, ſi fata tuliſſent,
  Sub juga vicinus Scaldis iturus erat.
Sed nihil infeſtis potuit pervincere ſignis:
  Signa parùm 1 fauſto fixa fuere ſolo.
Cùm dirum Groninga foret, velut Allia, nomen,
  Non erat arx illo conſtituenda loco.
Hic decus, hic equitum florem cecidiſſe ſuorum,
  Hic fractas olim Gallia flevit opes.
E templi ſuſpenſa tholo calcaria teſtes,
  Hei mihi! vindicibus non repetenda rogis.
Quid niſi nunc iterùm, patriæ quæ gaudia victor
  Attulit, ex ipſis ſunt geminata malis?
Poſt triſtes Hyadas, pluviæ poſt ſidera Capræ
  Gratius eſt puro quod nitet orbe jubar.
Lætior imponit votivam nauta coronam
  Convulſæ Borea, turbinibuſque rati.
Sic tibi, qua poſſis vultum diffundere, cauſa,
  Diſcuſſo belli turbine, major adeſt.
Libertas rediit: rediit, qui dulcibus urbem
  Erigat alloquiis, conſiliiſque juvet.
Hujus ut affulſit populo per compita vultus,
  Viſa fuit populo gratior ire dies.
Felix ſorte tua es: Nitidos occumbere ſoles
  Cernimus, & nigra ſidera nube tegi:
At tibi, ſic ſpondet ſcuti felicis imago,
  Ibit inoccidua luce ſerena dies.

ELE-

1 *Arcem novam Contraci erexere Galli ad portam Groninganam, anno 647. extra quam anno 1511. memorabilem cladem acceperant, quam poſt annos octoginta incenſa urbe vindicarunt, conſpecto ejuſdem cladis monumento, inauratorum calcarium paribus ampliùs quingentis in templo appenſis.*

ELEGIA III.

AD FRANCISCUM JOANNEM DE ROBLES, E COMITIBUS D'ANNAPES, EPISCOPUM IPRENSEM.

Cùm adhuc eſſet Lovanii in S. Petri Præpoſitus, & Academiæ Cancellarius varios variarum ſcientiarum titulis inſigniret.

In illud Thomæ à Kempis: Melior eſt humilis ruſticus, qui Deo ſervit, quàm ſuperbus Philoſophus, qui ſe neglecto curſum cœli conſiderat.

Lib. 1. de Imit. Chriſti cap. 2.

QUàm juvat arcanas rerum cognoſcere cauſas,
  Altaque, nec vulgo cognita, mente ſequi!
Hoc amat, hoc laudat, curis ſuſpirat in illis,
  Quem ſuus, ut ne quid neſciat, ardor agit.
Omnia diſcendi vincit, Franciſce, cupido:
  Impetus hic cauſas mille vigoris habet.
Ingenium res ipſa facit, facit æmula virtus,
  Et quæ quemque trahunt præmia, calcar habent.
Scire lubet, quodcumque latet: qua lege recurrant,
  Sidera: quæ mundi temperet hora vices:
Cur ſtellæ niteant: cur ſol, cur luna laboret;
  Unde nives, Boreæ cur tonet alta domus:
Quis tremor impellat terram, quis ſpiritus auras:
  Quid numquam ſtabiles per mare volvat aquas.
Deficit ingenio ſpatium: rapiturque, ruitque,
  Areaque admiſſos nulla coercet equos.
Hinc Tyros, & Babylon, & gens antiqua Canopi,
  Et non caſurum Græcia nomen habet.
Hinc ſua conſtat adhuc everſo fama Lycæo,
  Et ſua laus hortis, porticibuſque ſua eſt.

Fertur Ariſtonides. dum talia luſit in umbra,
 Iliſſum mediis detinuiſſe vadis.
Talibus & 1 Siculos fertur rapuiſse tyrannos,
 Hoſpita cùm niveis regna ſubiret equis.
Vecordes animæ, quibus hęc cognoſcere tantùm,
 Inque ſua laudes vivere cura fuit.
Naturæ norant curſum, cauſaſque, modoſque;
 At non naturæ cognitus auctor erat.
Et cuiquam tanti, quæcumque eſt, iſta videtur
 Gloria? nec votis altiùs ire lubet?
En age, ſeu tellus, ſeu te jam diſtinet æquor,
 Seu venit in ſuperas impetus ire domos.
Et ſeu nunc obitus, ſeu nunc deſcripſeris ortus,
 Et quaſcumque tenent lucida ſigna vias;
En age, quid pretii, cùm, quæ tibi feceris, idem
 Qui cineres, tumulus nomina condet, erit?
Hei mihi! cur toties, ſtudio fallente laborem,
 Impenſa eſt operi noxque dieſque tuo?
Cur cæſi plutei? cur morſi dentibus ungues,
 Oraque ſunt chartis pallidiora tuis?
Grande ſupercilium verbis dum grandibus addis,
 Qua cœlo poteras dote placere, cares.
Scilicet ut placeas, illa malè quæritur arte:
 Moribus & vita conciliandus amor.
Tityre tu felix, dum quæ tibi cura recurſat,
 Prima Deum, placidas altera ſpectat oves.
Non ſpem, non animum; calamos inflare voluptas
 Eſt tua; ſic brevis eſt, decipiturque dies.
Ut fueris ſimplex, ut nil niſi paſcua noris,
 Carminaque errantem docta tenere gregem.
At non ſola tuis reſpondet ſilva querelis,
 Ruſtica nec ſolas fiſtula mulcet oves.
Ducitur his ſtudiis cœlum quoque: ſæpè beatos
 Carmina credibile eſt illa tenere choros.

Quid,

1 *Platonem, Ariſtonis filium, Dionyſius tyrannus in Siciliam invitavit, atque albis in litore quadrigis excepit, quas idem ipſe regere ſe non indignum putavit.*

Quid, quaſi noſtra tuum læſiſſet Muſa pudorem,
Avertis vultus, & notat ora rubor?
An, niſi dixiſſem, Cœlo tua, Tityre, cœlo
Fiſtula, ſit quamvis ruſtica, grata tamen,
Quæ tibi, neſcires, vivant ſub pectore flammæ?
Quæ tibi, neſcires, carmina dictet amor?
Forſitan & reputas, cùm ſis vix nomine notus,
Quàm mea judicio laus ſit inepta tuo.
Et modò, dum cannã ſpectas, & ſtramen: An, inquis,
Credibile eſt Superis has placuiſſe caſas?
Et modò te, dum, quis fueris, qualiſque, retractas,
Credis iners, & quo terra gravetur onus.
Nec dignum, cui ſol radios, cui ſidera rorem,
Cui facilem victum juſta miniſtret humus.
Nec, cui vitales aer ſpirabilis auras,
Nec, cui libandas præbeat amnis aquas
Non ſolæ turres, ſed & hæc agreſtia, clamas,
Culmina ſunt juſto fulmine digna peti.
Parcite Cœleſtes: aut ſi punire nocentem
Ira parat, vires temperet illa ſuas.
Pœnitet admiſſi: nec qui mihi cumque doloris,
Non erit & vitæ terminus ille meæ;
Nec tam ſupplicii, quàm turpis imagine noxæ
Torqueor: hæc gravior, primaque pœna mea eſt.
Talia dum memoras, centum tibi, Tityre, cauſæ,
Cur ſemper lateas, diſpliceaſque tibi.
Cætera ſi rudis es, tamen hac es parte diſertus:
Materia eſt, quæ te non ſinit eſſe rudem.
At tu pone metum: nec te mens anxia fallat.
Judicio melior mens bona ſæpè ſuo eſt.
Quid tibi ſimplicitas, obſcuraque vita pudori eſt?
Simplicitas magnum detinet iſta Deum.
Nec tibi, quod metuis, grex & paſtoria pellis,
Nec ſunt opprobrio ſordida tecta caſæ.
Sordida ſint ſanè, dum non obnoxia culpæ,
Dumque pudicitiæ ſit ſine labe domus.
Curta ſit & tenuis, dum non malè parta ſupellex:
Sint inopes, ſancti dum numerentur avi.

Non

Non tibi verba damus. Nam quæ ſit gratia facti,
 Dum tua tam parvo cœna parata foco eſt?
Quæ teneant reges, fingat quem regia tangit.
 Non ſubeunt humiles nomina ficta caſas.
Eja leves calamos, tua ſi bona noveris, infla
 Tityre: jam calami, quod modulentur, habent.
Gratior es Superis, Superos dixiſse putato,
 Quàm quos ſuſpexit Græciæ priſca viros.
Plus tuus hic ceſpes, quàm porticus alta Lycæi,
 Plus tu, porticibus quàm vaga turba, places.
Illa quidem numerum ſtellarum & nomina novit,
 Et novit, quod ſol curat, & annus iter.
Jamque aliquis, dum nox cœlum conſperſerit aſtris,
 Deſcribet radio, quæ videt, aſtra ſuo.
Hic rutilat Mavors. hic eſt Cytherejus ignis:
 Quæ nitet hic, felix, dignaque ſtella Jove eſt.
Arctophylax illic, illic ſunt Arcades Urſæ:
 Hæc regit Argolicas, Sidonis illa rates.
Hic Ariadneæ fulgent monumenta coronæ;
 Hæc Bereniceo vertice tonſa coma eſt.
Aſpice ſigniferum, quo cœlum cingitur, orbem;
 Principium ſignis aurea fulget ovis.
Hinc ſol quadrijugos, bijugos hinc Cynthia currus
 Incitat: hæc tenebris linea damnat equos.
Aſpice & albentem mecum mirabere tractum:
 Longa via eſt: ex re lactea nomen habet.
Hic tangit Geminos; illic tua ſidera Chiron:
 Inde ſubit flammas Caſſiopeja tuas.
Omnia cùm dixit (tanta eſt inſania faſtus)
 Pænè ſupercilio, quæ notat, aſtra ferit.
Ite (nec invideo) ſine me percurrite cœlum
 Gens tantùm in laudes ingenioſa tuas.
Nil mihi vobiſcum eſt: votis ut cætera deſint,
 Hoc ſatis eſt, quòd ſim cognitus ipſe mihi.
Non ego laudari cupio; mihi numen & æther
 Dum faveant, quæſo, tardus inerſque vocer.
Cùm cœli tractus varios & ſidera noſcam,
 Dicite, qua cœli parte locandus ero?

Hei

Hei mihi! dum clara judex in nube ſedebit,
Captanduſne reo judicis inde favor?
Non hic ingenio, non hic aquiritur arte:
Colligit hunc meritis Tityrus ipſe ſuis.
Tityrus immenſos cœli quoque ſuſpicit orbes:
Nec nihil hinc, quo ſe votaque paſcat, habet.
O quoties illum ſera ſub nocte morantur
Heſperus, & pulchro qui coit igne chorus!
O quoties oculis ſpectans humentibus aſtra,
Liquitur, & totus, ſicut ab igne, calet!
Spectat, & intentus dum flammis hæret in illis,
Deficit, ac flammas concipit inde novas.
Spectat, & : O quanto qui ſidera condidit, inquit,
Majeſtate operis pulchrior ipſe ſui eſt!
Tale nihil priſcum docuit, Franciſce, Lycæum,
Tale nihil Babylon, ingeniumque Tyri.
O mihi ſit, viſis didicit quę Tityrus aſtris,
Diſcere! ſic ſapiens, & benè doctus ero.

ELEGIA IV.

AD JGNATIVM GOYVAERTS E SOCIETATE JESU

PRIMUM SACRIS OPERANTEM.

Humanum animum ſolo Deo expleri.

CUr aliquis Marſos propter convivia ſaltus
Cingit, & excitos per juga ſternit apros?
Aut quæri tepidis juſſit conchylia Baiis;
Aut quęri Scythicas Phaſide juſſit aves?
Nequidquam ſilvis, nequidquam tendimus undis
Retia: nil, quo nos expleat, orbis habet.
Quod mare, quod fluvii, quod terra, quod educat aer,
Non exſtinguendi ſunt alimenta mali.

Bacche pater, tu pampineo perfuſus odore
Tempora, lætitiæ diceris eſſe dator.
Te roſa, te calices, & amictæ frondibus uvę,
Te chorus, & cantus ęraque pulſa juvant.
Et tibi Thebanæ peragunt ſolemnia matres,
Et tibi de Chio palmite dona ferunt.
Et tibi nocturnus reſonat clamore Cithæron,
Tympanaque, & plauſus ad tua vina calent.
Certatur cyathis, abeunt curęque, metuſque:
Et pudor eſt feſto non maduiſſe tuo.
Quid tamen iſta juvant? & pulſa & victa recurrit,
Viſceribuſque hæret non abitura ſitis.
Neu cedat victus (quæ non certamina luxus
Invenit?) immenſas perdere gaudet opes.
Nec tantùm, quæ ſit menſis accepta, petuntur;
Dùm modò ſtent magno pocula ſumta, ſat eſt.
Hauritur regni pretium. Romamque laceſſens,
Hæc, ait, hæc genio vina litanda tuo;
Et pariter gemmam pellex Ægyptia collo
Diripit. Heu quanti vincere poſſe fuit!
Quod pendit Babylon, patera miſcetur in una:
Tantaque res fallit, nec levat hauſta ſitim.
Ergone, dum ſemper, cupidi, dum ſemper hiantes,
Delicias terra, perſequimurque mari,
Dum nihil hic ſatis eſt, expleri neſcius ardor
Pectora neſcio quò, votaque noſtra feret?
Tantale, quid toties pleno circumfluus amne
Diceris, & liquidæ ſemper egenus aquæ?
Quid toties fallax pompis fugientibus arbor
Dicitur inſanam deſtituiſſe famem?
Ah nimis ex vero (nec mendax omnia finxit
Græcia) de nobis fabula nomen habet!
Tot bona fert tellus, tot fert Neptunia Tethys;
Cùmque oculos explent plurima, nulla famem.
Hei mihi, quod noſtros fugiant cœleſtia ſenſus!
Cœlum epulas, cœlum, quo ſatiemur, habet.
Illa Voluptatis domus eſt, ſemperque recentis
Lætitiæ cauſas, nec fugientis habet.
Nos

Nos hic intereà torquent faſtidia: nobis,
Quod petimus, damno eſt, copiaque ipſa nocet.
Creſcite, dicebas Genitor pulcherrime rerum,
Cùm rudis, & nondum fertilis eſſet humus;
Creſcite felices, & ſpargite ſemina ſilvæ:
Arboribus redeant annua poma ſuis.
Terra ferat fruges, alimentaque mitia fundat:
Turgida palmitibus pendeat uva ſuis.
Luſtra feras capiant; errent armenta per herbas:
Findat avis pennis aera, piſcis aquas.
Pace tua, quamvis tellus, & pontus, & aer,
Quæ benè juſſiſti munera ferre, ferant:
Non his eſt animus, non his expleta, cupido
Creſcit, ut affuſa Pallade flamma ſolet.
Nota loquor. Populo victum, quem terra negabat,
Cœleſti nubes munere feta dedit.
Ambroſia cœlum rorat. Mirabile dictu!
Quidquid in ambroſia mens ſibi fingit, habet.
Fit fera, fit piſcis, fit quod ſua cuique cupido
Suggerit, & guſtu prodigioſa ſuo eſt.
Omnia præſtiterit: populo tamen omnia deſunt,
Ægraque ſollicitat pectora, quidquid abeſt.
Quam miſer eſt, qui, quo fruitur, torquetur eodem:
Paſcitur, & votis carpitur ipſe ſuis.
Infelix alit ipſe ſuos, quibus uritur, ignes,
Et ſua quę ſentit vulnera lęſus, amat.
Sic pariter cauſas, pariter ſolatia morbo
Adjicit, & gelidis imminet eger aquis.
Magne opifex rerum, ſpes o, & meta tuorum
Ultima, fons omnis principiumque boni.
Quem tua felicem facient, quem dona beatum,
Si, poſtquam dederis omnia, ſolus abes?
Te peto: tu ſatis es: tu ſolus es omnia. Quod nos
Expleat, ut deſint cętera, ſolus habes.
Felix Ignati! tibi jam venit illa voluptas,
Quæ cupidis poſſit mentibus eſſe ſatis.
Siſteris ante aras, loquerisque potentia verba.
Nec mora; pręſentem ſuſtinet ara Deum:

Hic

Hic manibus tractas, hic imo pectore condis,
Quo nil Cælitnum regia majus habet.
Felices aræ! veſtris ego debita ſolvam
Thura focis, veſtris munera digna ſacris.
Vos ego votivis incingam ritè coronis:
Vos Superum dicam ſedibus eſſe pares.

ELEGIA V.

AUSTREBERTAE
VANDE VVALLE,

ARNOLDI FRATRIS SUI FILIÆ,

Brugis in Cœnobio S. Godelevæ, Ordinis S. Benedicti, Chriſto deſponſæ.

EPITHALAMIUM.

QUid non ſperet amans? capitur quoque Numen amore.
Junguntur ſtabili Virgo Deuſque fide.
Illa quidem, fateor, thalamis cœleſtibus impar:
Sed tamen in thalamos non ſine dote venit.
Dos eſt virginitas: dos acceptiſſima cœlo.
Illam ſiqua dedit, munera magna dedit.
Sponſa veni: ſtudiumque tibi luctuſque tuorum
Excidat, & patriæ nomen amorque domus.
Ille tuos habeat, qui te ſibi poſcit, amores:
Materies curæ prima ſit ille tuæ.
Non opus, ut placeas, gemmis auroque decorem
Quærere, non cenſus corpore ferre tuos.
Non hic forma valet, non hic candorque, ruborque,
Et melior vero factus ab arte color.
Majorem terris animum cum paupere cultu
Indue: paupertas cauſa decoris erit.

Indue

Indue virgineum quæ velent flammea vultum:
Spectari facies caſtaque forma negat.
Gratior eſt caſto veniens in corpore virtus:
Non eget hæc cultu, non eget artis ope.
Ipſa ſibi decori eſt: nec, quòd ſit pulchrior aſtris,
Et Divos rapiat, lux aliena facit.
Non aliunde ſuos ſol accipit aureus ignes;
Formoſus radiis eſt ſatis ipſe ſuis.
Non roſa fucatos ſibi poſcit ab arte colores:
Nulla quod ars illi conferat, ipſa ſibi eſt.
Poſceris: en qui te, virgo, comitentur euntem,
Exſpectant ſuperi, turba beata, chori.
Nil opus eſt tedis: pro tedis ſidera lucent,
Quæ tibi mox Sponſus tradet habenda tuus.
Pars tibi cœleſti texit de flore coronam:
Hic Sponſi capitur laudibus, ille tuis.
Pars plaudit choreas: pars lilia poſtibus addit:
Pars cithara carmen connubiale canit.
Cœlituum Regina, tui pulcherrima Sponſi
Mater adeſt, thalamo pronuba facta tuo.
Illa tibi natum junget, propriumque dicabit:
I, fruere æternis, & quibus ille, bonis.
O nimium felix! quantis dotabere regnis!
Terra nihil dignum, quo tenearis, habet.
Regia, quam ſtellis æther ardentibus ambit,
Majeſtaſque implet Numinis, illa tua eſt.
Quid non ſperet amans? capitur quoque Numen amore.
Junguntur ſtabili Virgo Deuſque fide.

ELE-

ELEGIA VI.

AD ALOYSIUM LAVENBACH

E SOCIETATE JESU,

Cùm Lovanii Theologiæ daret operam, eodemque tempore in Sodalitate Deiparæ Latinè diceret, jamque ſanguinem vomeret.

MOEſta tuos venit ſolatum Muſa dolores.
Hei mihi! conſpectu pallet ab ipſa tuo.
Nec ſubeunt numeri, nec ſunt in carmina vires,
Et mihi pars ſoliti magna vigoris abeſt.
Flere lubet: flendi cauſas mihi vena miniſtrat
Sanguinis atque animæ prodiga facta tuæ.
Nos igitur fluimus lacrymis, tu ſanguine: ſed non
Hujus, & illius vulneris una via eſt.
Tuta, patenſque via eſt, oculis qua liquitur humor;
Qua cruor, hac tritum mors ſibi fecit iter.
Utque fluant oculi, facilis medicina dolori eſt;
Egeritur fletu lapſus ad oſſa dolor.
Non ſic eſt ſacris languor medicabilis herbis;
Non ſic ad ſanum vena cruenta coit,
Ah! tua cur umquam Latiam facundia vocem
Extulit. Hoc vulnus vox tibi culta dedit.
Scimus,& ad noſtras rumor quoque pertulit aures,
Quanta ſit eloquii viſque, nitorque tui.
Debueras ſiluiſſe tamen. Tractare libellos,
Hoc ſatis, ut vires perdere poſset; erat.
Acer, & Elea palmam meriturus arena
Deficit in curſu, quem nimis urget, equus.
Mergit onus puppes: tauros enervat aratrum:
Sæpè ſua vaſtum mole laborat opus.
uod tibi fingebas robur? tibi debile pectus,
Et tenues vires, invalidumque latus.

Auſus

Auſus es ire tamen, geminoque inſtare labori,
Sit quamvis validis durus uterque labor.
Auſus es, o Gandæ, veterumque oblite malorum,
Quàm ferrent, humeris plura ſubire tuis.
Hinc quantum ingenio, tantum ſervire dolori
Congeris, & ſtudio pęna reperta tuo eſt.
Sed quid ego hæc tecum? certè me decipit error
Et te nil meritum noſtra querela gravat.
Cauſa fuit Virgo: tantos hęc ferre labores
Impulit; hæc, ſi fas dicere, cauſa mali eſt.
O quoties precibuſque tuis votiſque vocata
Præbuit eloquio vela ſecunda tuo.
O quoties vocem (vocem quoque vultus habebat)
Urſit, &, Hic valido fulmine, dixit, opus.
Seu laudanda forent, quibus eſt laudabilis ipſa,
Addidit ardentes ad tua dicta faces.
Sive redargueres crimen, quod & oderat illa,
Crimen ut argueres, fortia verba dabat.
Denique quidquid erat cenſura vindice dignum,
Vox argumento par erat ipſa ſuo.
Sæpè tibi vultus media inter talia; ſæpè
Incaluit ſanguis, venaque tenſa fuit.
Nec timor, aut veteris tetigit te cura pericli.
Res eſt intrepidi plena caloris amor.
Quando ille imparibus ſeſe non credidit armis
Eſse parem? quando ſubſtitit ille metu?
Ille vel adverſas acies invadere ſolus
Auſit, & in medias cominus ire neces.
Solus, & iratas excire cubilibus urſas,
Solus & Armeniis bella movere feris.
Pręmia dant animos, & cauſa pericula vincit,
Et minor eſt ipſo ſemper amore labor.
Nec dubitat laceras, & ruptas impete venas
Virtutis pretium grande vocare ſuæ.
Nec, quamvis cedat, vigor & fiducia cedit.
Mens manet, & vires colligit ipſa ſuas.
Sic & cauſa tibi pro Virgine fortiter acta eſt,
Et vires idem qui dedit, hauſit amor.

Nec modò tam palles, quòd ſint ſine ſanguine venæ,
Quàm quòd, ut eſt proprius pallor amantis, ames.
At tibi, ne dubita, Virgo ſuccurret amanti,
Invidiamque tuo detrahet ipſa malo.
Diva parens potuit, quod non potuere medentes:
Nec poterit votis eſſe aliena tuis.
Audiet orantem, dum vox vireſque ſinebant;
Dum prohibent, gemitus audiet illa tuos.

ELEGIA VII.

AD SEIPSVM,

Cùm Sidronius Hoſſchius, è Societate Jeſu, amicorum & poetarum optimus maximus, vita exceſſiſſet.

ERgò, ubi ſumma dies noſtros expleverit annos,
Quod ſumus, injectus pulvis, & urna teget?
Nec mihi profuerit, quòd vates numen habere
Credimur, & Divum proxima cura ſumus?
Nec mihi, quod chartas, & chartis digna notari
Nomina poſt cineres Muſa perire vetet?
Si quid id eſt, cari venient ad funera vates,
Et tumulo titulum, mœſtaque ſerta dabunt.
Oſſaque præteriens (ſi quis tamen illa viator
Noverit, & Muſæ fama ſit ulla meæ)
Forſitan inſperget violis, ederaque virente,
Et leviter: Vates hic quoque, dicet, erat.
Ulterius nihil eſt, quo ſe ſpes ardua vatum.
Porrigat: hoc pretio gens operoſa ſumus.
Et mihi jam tanti eſt, aliquis ſi dicar in illis,
Et populi veniat parvus in ora liber:
Ah furor eſt, ſacras aliquod captare per artes
Nomen, & in famam vivere velle ſuam.
Fama perit, pereunt artes, rapit omnia ſecum
Et rogus infelix, & niger ille dies.

Par-

Parnaſſi colles, & collibus addita Famæ
Limina, laurigeris undique ſepta viis,
Parcite, non ego vos, quamquam mihi carus Apollo
Annuat, inque ſuum me ſinat ire nemus;
Non ego vos ederas, ſi quas meruiſſe putamur,
Non capiti poſco laurea ſerta meo.
Nec ſervant ederæ, nec ſervat laurea vatem,
Et cineres fruſtrà ſera corona tegit.

ELEGIA VIII.

AD GEORGIUM UVVENS EQUITEM,

ET IN SUPREMA BRABANTIÆ CURIA CONSILIARIUM,

MAGNUM ANTIQUITATUM CULTOREM.

QUo ſint apud te loco, Vir Ampliſſime, Antiquitatis monumenta ignorare non poteſt, qui bibliothecam tuam perluſtraverit, librorum quidem bona inſtructam copia, ſed veterum nummis, aliiſque vetuſtati detractis manubiis ornatiorem. Neque verò illarum rerum amor aliunde arceſſendus tibi fuit, ad quem te cùm Parentis tui, Geldriæ quondam Cancellarii, tum Majorum tuorum, qui antiquitatum ſcientia floruerunt, inſtitutio & exemplum adeoque natura ipſa duxit. Cui propenſioni atque indoli cùm Magnus ille Lipſius, quem in Academia Lovanienſi olim audi viſti, flammas ſubjeciſſet, tum verò non ſolùm MORIBUS ANTIQUIS *vivere, ſed etiam quidquid antiqui moris ac temporis eſt, ita ſtudio è conquirere, & luculenter cognoſcere, & ex merito æſtimare viſus fuiſti, ut inter Antonios, Auguſtinos, Occones, Fulvios cenſeri laudarique poſſes. Alium ne at-*

tingeret quidem, te verò pupugit veteris Urnæ Funebris ad te miſſæ & in via fractæ jactura; exigua, fateor, niſi qui modus eſt in ejuſcemodi rebus eruditæ curioſitatis, is eſſet exiſtimationis. Adfui cùm diſperſa disjectaque fragmenta colligeres, & partes partibus coagmentares: mox ad me converſus, Quid ni tu nobis, VValli, de hujus Urnæ fortuna flebile nec injucundum elegidion condas? In tenui quidem & obſcuro labor; ſed tenuibus magnitudinem, obſcuris lucem dare, poetarum eſt. Ergò laboris ac ſtudii aliquid hortatu tuo in hanc rem contuli; neque, meo quidem animo, non lepidè illa mihi proſperèque ſucceſſit: eoque nunc confidentiùs te rogo, ut in Muſæo tuo pro Urnæ fragmentis hoſce verſiculos exſtare patiaris, mutuæ inter nos amicitiæ perpetuum monumentum. Nec illud non opportunè accidit, ut cùm exeunte anno calamitatem hanc (ſic enim tecum loqui lubet) acceperis, ego proximè ineunte levationis aliquid dolori tuo carminibus meis adferrē; eademq; opera Kalendas auſpices reliquarum tibi fauſtas & fortunatas precarer. At hic mihi autem vellet aliquis, &: Melioris, inquiet, ominis argumentum delegiſſes, quod his Kalendis offerres, quibus pro longa jucundaque vita ſuſcipiuntur inter amicos vota, non mortis, non funeſtarum rerum infertur memoria. In mentem tibi veniſſet illud Ciceronis, qui Conſules ait in habendo delectu, Cenſores in luſtro condendo fauſti ominis gratia à bono nomine ſolitos auſpicari: ſic & tu bono die bonis verbis uſus ex lætiore materia ſtrenam apparaſſes. Audio: ſed nihilominùs hoc quod tibi, Nobiliſſime atque Ampliſſime Domine, concinnavi munuſculum, gratum fore confido, propterea quòd meorum magnitudo votorum, quibus ipſam etiam immortalitatem tibi precor, tantò objicietur animo tuo clariùs, quantò propinquiùs fuerit poſita contrariarum atque mortalium rerum incerta conditio. Accipe igitur hoc amoris in te mei pignus æternum, & me viciſſim, ut facis, ama. Bruxellis. Kal Jan. Anno 1641.

QUE-

QUERELA URNÆ FRACTÆ.

Quæ ad Treviros cum cineribus & oſſibus eruta, veterum Romanorum eſſe credebatur, & ad Ampliſſimum Virum Georgium Uvvens, Equitem, & in ſuprema Brabantiæ Curia Conſiliarium miſſa, in itinere Trevirenſi miſero periit caſu.

ELEGIA

HUJUS ARGUMENTI I.

Antiquitatem ſuam commendat.

QUæ quondam gemitus, & verba noviſſima flentum
 Audieram, mœſti pars miſeranda rogi:
Cui lacrymas pia turba dedit, tepidaſque favillas
 Intulit, inſcriptas appoſuitque notas:
Quam tenuit, fovitque ſinu, non oſcula teſtæ
 Figere, non manes laſſa vocare meos:
Nunc iterùm trahor in luctus, & funere triſtis
 Alterius, cogor triſtior eſſe meo.
Sæcula ſi memorem, quot adhuc ſperare jubebar,
 Expleri luctu convenit illa meo.
Te quoque, Poſteritas, hæc infortunia tangent;
 Crederis & noſtris indolitura malis.
Scilicet ad Treviros dum Cæſar fulminat armis,
 Condiderat gremio militis oſſa meo.
Inde tot exactos credor duraſſe Decembres,
 Et cineris cuſtos fida fuiſſe mei.
Nec mihi plebeij commiſſa eſt funeris umbra,
 Parvaque plorato ſubdita flamma rogo.
Arſit, & Aſſyrios ſpiravit lectus odores,
 Et bibit annoſum noſtra favilla merum.
Armaque, & exuvias, maculoſaque tergora, veſtes
 Munus in exequias Martia turma dedit.

Ter quoque funereos luſtravit curſibus ignes,
Ter querulæ mœſtûm concinuere tubæ.
Nec, licet injectæ cumulo tegeremur arenæ,
Horrebant noctes & ſine luce dies.
Vincebat noctem, tenebras vincebat & umbras
Parva, ſed æterno viva lucerna foco.
Roma vetus, quamvis Pario de marmore buſta
Feceris, & fulvis texeris oſſa cadis:
Oſſaque ſignaris titulo, famamque ſepultis
Appiades dederint Flaminiæque viæ:
Tot licet extinctis mœſtas ſacraveris aras,
Et, quos defleſti, feceris ipſa Deos:
Pace tua, merui, (ſiqua eſt ea gloria teſtæ)
Præferri tumulis nominibuſque tuis.
Quippe ubi nunc veterum cineres? ubi funeris aræ,
Quaſque potens hauſit luxus, & ignis opes?
Ardebant ſilvæ: decrant incinnama flammæ:
Quid ſuper è tantis nunc habet urna rogis?
Ignorant Manes; ignorat & Æacus ipſe,
Quo jaceant urnę fragmina ſparſa loco.
At neque longa dies, nec verſę ſedibus urbes,
Nec Borez nocuit, nec Jovis ira mihi.
Immortalis ego, cárituraque fine videbar,
Famaque erat cineri magna futura meo.
Certè ego jam meritò, ſiquid conceditur annis,
Socratica fueram conſtituenda domo.
Forſan Apelleo ſtarem vicina labori,
Paſceret & manes viſa tabella meos.
Forſan & archetypos inter ſervanda Cleanthas
Cenſerer plutei gloria prima mei.
Nec tam Lyſippi, quamvis animoſa, placerent
Signa, nec Architę, Phidiacuſque lapis;
Nec quę Praxiteles, nec quę finxere Myrones,
Nec quę Mentorea ſculpta fuere manu:
Quàm quod ficta luto, nec tot violata per annos
Acciperem lapides inter, & ęra locum.
Saxa ferunt annos: nec, ſi cadit ęrea moles,
Sic cadit, ut tacta comminuatur humo.

At

At mihi materies fragilis: tamen omnia vici,
Et texi cineres inviolata meos.
Hinc pietas famam, pretium mihi fecerat ætas,
Jamque auri præ me lamina villis erat.
Uvveno ante alios poteram pretioſa videri,
Qui res antiqui moris, & artis amat.
Ille meos culto celebraret carmine Manes,
Sertaque de Cilicum germine multa daret.
Ille mero cinerem, quæ tot jacet arida ſæclis,
Spargeret: in molli poneret oſſa roſa:
Adderet &: TREVIRUM PRISCIS EREPTA RUINIS,
NUNC, QUO DEBUERAS, URNA RECEPTA LOCO ES.
Quod fractæ ſatis eſt, lacrymas in fragmina fudit,
Et Treviris illi miſſa fuiſſe legar.

ELEGIA IX.

SUPERIORIS ARGUMENTI II.

Diræ in bajulum, cujus incuria periit.

ERgò erat in fatis, ut poſt tot ſæcula quiſquam
Verteret impuras in mea damna manus?
Grande nefas! &, ſi judex ſtatuenda vetuſtas,
Quo non ſupplicio noxa pianda foret?
Credibile eſt illum furiis immanibus actum
Effigies veterum comminuiſſe Deum:
Templaque, queis ętas, avidusque pepercerat ignis,
Frangere ſacrilega non timuiſſe manu.
Credibile eſt cineres illum temeraſſe parentum,
Credibile eſt ſanctos diripuiſſe rogos.
At tibi non lacrymæ veniant, gemituſque tuorum,
Improbe, cùm canibus rixa cadaver eris.
Mille locis ſparſus jaceas: trahat ilia vultur:
Diripiant corvi lumina, membra lupi.

Et ſiquid ſupereſt, ſanie, taboque nocenti
Diffluat, & fugiens urere flamma neg
Non cineres tegat urna tuos: non indicet uſquam
Oſſa lapis, denſis ſemiſepulta rubis.
Umbra ſiti pereat, ſoleſque experta diurnos
Horreat obſcenas nocte ſilente canes.
Nec tibi præteriens dicat bona verba viator,
Nec tibi ſit tellus quantulacumque levis.
Cur aliquis cineres potuit tibi, perdite, noſtros
Credere? nil fidei, nil tibi mentis erat.
Non te depoſiti tetigit reverentia: non tu
His pretium ſacris ponere doctus eras.
Neſciſti demens, quod nec gens barbara neſcit.
Quanto plus illa tu feritatis habes!
Illa ſacros ſedet ad tumulos, evictaque luctu
Solatur querulis triſtia fata modis.
Buſtaque conſpergit violis, datque oſcula ſaxo,
Et cineres ſparſo lacte, meroque colit.
Illic vel leviter, ſcelus eſt, turbare ſepultos:
Illic, quantumvis parva ſit, urna ſacra eſt.
Hæc è barbaria poteras præcepta referre:
Hæc, quàm me caperes, antè monendus eras.
Sic fueram cupidis à te ſtringenda lacertis,
Sediſſemque humeris non oneroſa tuis.
Ipſa ego te pariter cinerique mihique timentem
Rexiſſem trepidi per loca plena metus.
Sit quoque, dixiſſem, ne te labor ipſe gravaret,
Quàm mihi terra fuit, tam tibi teſta levis.
Quis ſcit, an, ut verita eſt Æneam lædere flamma,
Cùm ferret profugos, Dardana ſacra, Deos:
Sic tibi, per medios ignes mea ſacra ferenti,
Non etiam tutum flamma dediſſet iter?
Certè aliquod mecum nomen, famamque tuliſſet:
Hæc curæ poteras præmia ferre tuæ.
Nominis & famæ jacturam fecimus ambo;
Sed non ambobus par venit inde dolor.
Non tu venturum, ſi te benè novimus, ævum
Proſpicis: ignavæ femina mentis habes.

At

At mihi, ſi neſcis, fama eſt ante omnia curæ.
  Barbarus eſt, quem non illius urit amor.
Hæc facit, ut meriti tumulo reddantur honores,
  Nec cinis ex toto nomina magna tegat.
Hæc facit, ut memori ſignetur carmine buſtum,
  Quod velit à populo prætereunte legi;
Utque dies, qui corpus humo lacrymabile texit,
  Semper honoratus, ſemper acerbus eat.
Heu! tua barbareis, tua me ſocordia læſit,
  Et mihi ſpes tantas abſtulit una dies.
Mortis honor periit: requies abrupta ſepulto.
  Eheu! nullus erit, qui mihi dicat: MAVE.

ELEGIA X.

EJUSDEM ARGUMENTI III.

Effoſſam ſe fuiſſe conqueritur.

QUid mihi, ſi cinerum fuerant hæc fata meorum,
  Poſteritas lucem ſera videre dedit?
Cùm latui, ſecura fui, placidique ſedebant
  Ad tumulum Manes: & ſat honoris erat.
Jamque per Elyſium de me præconia rumor
  Fecerat, atque umbræ latus erat ampla meæ.
Sæpè pii vates illic per gramina fuſi,
  Multa ſuper tumulo concinuere meo.
Sæpè meis illic aſſurrexere ſilentes
  Laudibus, & feſtos inſtituere choros.
Pars celebrat Manes: pars Urnæ longa recenſet
  Sæcula: pars optat ſic quoque poſſe tegi.
Dant alii flores: hi fundunt cymbia lactis,
  Et, Cineri, dicunt, fundimus illa tuo.
Nil mihi poſteritas potuit concedere majus:
  Hoc decus, hæc Umbræ gloria ſumma meæ.
Eſt aliquid, fateor, ſuperos, lucemque videre,
  Et cultas poſt tot ſæcla ſubire manus.

Eſt aliquid pretioſa inter monumenta reponi,
Et cinerem vernas inter habere roſas,
Sed mecum, quæ teſta ſapit, metuitque perire,
Devoveat lucem, devoveatque manus.
Felix, ſecreto quæcumque reconderis agro,
Et tacitè cineres condis operta tuos!
Felices, quæ te glebæ texere jacentem!
Felices, quæ te compoſuere manus!
Si tua jam feris ignota nepotibus umbra eſt;
Nec cineri veniunt annua dona tuo:
At tibi conſtat honos, & adhuc ſecura pericli,
Contegis intacto, quo priùs, oſſa ſolo.
Hei mihi! cur illum noſtris invidit honorem
Manibus egeſta foſſor avarus humo?
Cur aliquis veteres ſub terra quærere gazas
Inſtitit, & Stygias pænè retexit aquas?
Cur ferri venas, cur venas eruit auri,
Æterni cauſas, materiemque mali?
Damnavit, quęcumque nocent, Natura tenebris:
Sic meliùs poſitas eſſe putavit opes.
Siqua juvant, campis aſſurgere juſſit apertis,
Et nulli plena non dedit illa manu.
En ut læta ſuas extrudunt Gargara meſſes,
Et gravido Chius palmite ridet ager.
Per ſe Taygetus, per ſe viret Ida cupreſſis,
Oetaque piniferum tollit in aſtra caput.
Herbaque, quòd proſit, nuſquam latet obruta ſulcis;
Sponte ſua faciles invenit ipſa vias.
At propè Tenariis aurum, ferrumque cavernis
Abdidit, & toto pondere preſſit humus.
Hęc furor, hęc terris ardor ſceleratus habendi
Eruit: hic idem nos quoque lęſit amor.
Non ego debueram refodi: latuiſſe juvabat:
Fortunę fuit hęc prima ruina meę.
Me miſeram; duro quòd ſim deprenſa colono,
Neſcio quid toto dum ſibi quęrit agro.
Et rurſus miſeram! quòd non priùs ima dehiſcens
Terra mihi Stygios pandit aperta lacus.

Forſitan hæc, noſtros olim quæ rexerat artus,
Obvia ſe mediis Umbra tuliſſet aquis.
Qui tum complexus! gelidis quos oſſibus ignes,
Quas cineri flammas implicuiſſet amor!
Non me, ſiqua fides, cara divelleret Umbra
Ardentem quatiens Tiſiphonea facem.
Non Minos, Thetidiſque ſocer, non janitor Orc',
Quidquid & infernas excubat ante fores.
Penderem collo, dum nobis una ſororum
Inciperet vitæ ducere fila novæ.
Quid tamen in noſtris potuit placuiſſe favillis?
Cur aliqua eſt teſte gloria viſa meæ?
Quid ſi aurum, fulvoque aliquid pretioſius auro
Aut alias tegerem, quas humus abdit, opes?
Quid ſi Mentoreis circumdaret aſpera ſignis,
Materieſque mihi myrrheus eſſet onyx?
Sed modo paupertas cinerum tutela meorum eſt,
Nec mihi materia, nec venit arte decor.
An gelidi cineres, perfuſaque fletibus oſſa,
Ruſtice, dignum aliquid, quo capereris, erant?
Debueras, per ſi qua meæ tibi cura favillæ,
Per ſiqua eſt requies, paxque futura tuæ:
Debueras (erat illa mei pars optima voti)
A me fatales abſtinuiſſe manus.
Inclamaſſe ſatis fuerat: Requieſcite Manes,
Obviaque e prato ſerta dediſſe, ſatis.
Quanto ego tunc eſſem per te defuncta periclo!
Quot bona, quot cineri commoda parta meo!
Nunc illum Boreas, nunc illum diripit Auſter,
Putriaque aſſiduis imbribus oſſa madent.
Quam vereor, ne, dum ſolita caret Umbra quiete,
Erret, & in ſolis multa queratur agris.
At nos, ut par eſt, ne ſit miſer ille, precamur,
Condita qui credidit oſſa meo.

ELEGIARUM
LIBER TERTIUS.

OLIVA PACIS,
ORBI CHRISTIANO
IN ACERBO DIUTURNOQUE BELLO ad ſpem publicæ tranquilitatis prætenta.

ELEGIA I.

Primus ad Reges aditus, ac legationis pro pace obeundæ poſtulatio.

AT vos qui miſerum, Reges, convellitis orbem,
Quos pacem ſupplex hoſtis utrimque rogat;
Cernite, nil oculi, nil frons hoſtile minantur,
Et fidei teſtes tendit uterque manus;
Signaque ſubmittit, jurataque fœdera poſcens
Emeritum clypeo nudat, & enſe latus.
Ipſe ſuis mavult precibus, quàm viribus uti:
Sit precibus per vos fœderibuſque locus.
Ipſe ſui luget cauſas, & crimina belli;
Forſitan & lacrymis, quæ tulit, arma rigat.
Ingratum certè quoties dat buccina ſignum,
Cogitur invita vellere ſigna manu.
Cogitur eſſe ferox, vultumque aptare furori,
Et quotcumque jacit tela, coacta jacit.
Et dolet, adverſo quoties hæc pectore condit,
Et dolet, hæc quoties ſanguine ſparſa videt.

Palma

Palma caret plauſu: quà victor perculit hoſtem,
Hac ferit illacrymans pectora nuda manu.
Me miſerum! nondum juſſos cecinere receſſus
Cornua? nec prædas, nec piget arma ſequi?
Nec centum ætatis Bellona coercita vinclis
Quo pridem decuit carcere clauſa jacet?
Claudite nunc Janum, fratres: ſat regna biberunt
Sanguinis: optatæ tempora pacis eant.
Pax fecundat agros, pax meſſibus horrea rumpit.
Excipit & pleno dulcia muſta lacu.
Pace tubæ, lituique ſilent, & ruſtica pubes
Diffingit patriis arma recocta focis.
Omnia pace vigent: coeant in fœdera reges,
Terrarum vultus protinus alter erit.
Illa, precor, veſtros commendent tempora faſtos,
Illa, precor, per vos otia mundus agat.
Auguror, eveniet: ter ramo mitis olivæ,
Ter niveis pennis candida plauſit avis.
Ipſaque Pax riſit: vultu quoque riſit ab illo
Lætus ager: nec enim blandior ulla Dea eſt.
Cùm petitur, lituos inhibet, ferrumque recondit:
Et placidis ſemper regibus æqua venit.
Mittite me, Reges: frangam victoribus iras:
Mittite me: partes conciliantis agam.
Nec tamen accedam monitis inſtructus, & arte,
Miſtaque mandatis regia dona feram.
Nec mihi dicturo veniat precor aurea fandi
Copia: ſic peragi jam mea cauſa negat.
Tuque adeò, quem jam cælo Caducifer altè
Extulit, & notum regibus aula colit,
Da veniam, 1 Frederice: tuus licet arma retundat
Qui Legatorum venit in ora Liber:
Et licet invictus media inter bella Philippus
Te legat, & Cyneam te vocet ille ſuum:

Z 5 Non

1 *V.N: Fredericus de Marſeler, Eques, ſeptimùm Conſul Bruxellenſis, Legatum ſcripſit, dicavitque Regi Catholico.*

Non ego, quas tractas, ineundi fœderis artes,
Non ego Legati jura docendus ero.
Regibus occurram lacrymans, abruptaque fletu
Verba meo, melior pars mihi vocis erunt.
Res facunda, dolor: lacrymis gemituque perorat,
Magnaque pro verbis pondera plangor habet.
Ut nihil ipſe loquar, poterunt tot diruta pro me
Templa, tot in cineres oppida verſa loqui.
Pro me tot cædes, pro me tot buſta loquentur,
Et peraget partes muta favilla meas.
Aut hoc, aut nihil eſt, iras quod flectere regum
Poſſit, & æterna claudere bella ſera.

ELEGIA II.

Chriſtianum ſanguinem tot jam per annos effuſum pacem exorare.

QUò raperis ſtrageſque ſuper, disjectaque, victor,
Mœnia? nec, quanto ſtet tibi palma, ſubit.
Te propter coiere acies, cæcoque furore
Alter in alterius ſanguine plangit humum.
Quæque erat in mortem ſimplex, te propter eumdem
Ignibus, & ferro multiplicata via eſt.
Et noſtris toties ſurgunt ex oſſibus herbæ,
Et noſtra toties flumina cæde tepent.
Jam poterant mellis, jam currere flumina lacti,
Quà nunc ſanguineis ripa redundat aquis.
Et poterant juſtis componi legibus urbes,
Plus ubi nunc juſtis legibus arma valent.
Mitte triumphalem capiti depoſcere laurum:
Inficiet nitidas illa cruore comas.
Hac potes ornatus victorem impellere currum?
Poſtibus illa tuis addere ſerta potes?
Et potes hoc cultu miſeri ſimulacra triumphi
Cernere? jam nuper plena cruoris erant.

Hæc domus, hæ turres, hæc arx, ſimulataque veris
Oppida ſanguinea procubuere manu.
Hic lacus, hic amniſtardos per corpora fluctus
Impulit: hæc illis ulva cruenta fuit.
Non populi plauſus, non te tua gaudia fallant:
Aſpice, pars melior ſigna dolentis habet.
Aſpice, confuſo facies non una dolori eſt:
Pars fœdat lacrymis, pars ſecat ungue genas.
Altera communi, proprio dolet altera damno:
Hæc queritur: gemit hæc: hæc pavet: illa riget.
Illa tibi fratres, ſublatos illa parentes,
Hæc ſobolem, viduos imputat illa toros.
Nec te tot gemitus, nec te tot funera tangunt?
Heu! animi pietas commiſerantis ubi eſt?
Excute, quid capiti laurus ſedet? excute laurum,
Cumque tuis habitum temporis ipſe refer.
Mœſta cinis capiti, capiti funeſta cupreſſus
Aptior: hæc luctus ſint monumenta tui.
Sic cadet ira ducum, ſopitaque bella quieſcent:
Cauſa patrocinii non melioris eget.
Muta cinis ſatis eſt; cineris quoque bella dedere
Plus ſatis: hæc bellis eſt poſitura modum.
Sæpè triumphorum puduit, belloque ſuperbos
Vidimus elato funere flere duces.
Sæpè ſuper ſtrages, victor quas fecerat enſis,
Vidimus impoſitos diriguiſſe pedes.
Sæpè quod Orator nequiit, potuere favillæ.
Hæ quoque, quod Martis fulmina frãgat, habent.
Utque reor, frangent, & Pax nos alma reviſet,
Et miſeris finem cladibus ipſa dabit.
Vidi ego qui mores apibus, quæ prælia regum,
Cùm campis acies explicuere ſuas.
Fit ſtrepitus: dant ſigna tubæ: concurritur: arma
Pulſa ſonant: cæcus gliſcit utrimque furor.
Vix & ſemineces (adeò eſt victoria curæ)
Deſtituunt regem, deſtituuntque ſuos.
Nec pugnæ, ſtragiq; modus: ceduntque, caduntque,
Quàm denſa Boreas grandine pulſat agros.

Vidi ego ſed tantos ſubitò miteſcere motus:
Vidi: nec magnæ res ea molis erat.
Pulveris exiguum jacitur: ſic ira reſidit,
Et premitur raucas vox imitata tubas.
Sic pax alma redit, caſtriſque emiſſa juventus
Ad flores remeat, mellaque, pacis opus.
Et tumuli pulvis poterit pacare furentes:
Hic ſatis, ut faſtum frangat & arma, valet.

ELEGIA III.

Cladium viciſſitudines pacem extòrquere victori.

HOc quodcumque vides, quà ſe latiſſima tellus
Explicat, & vaſtas porrigit æquor aquas,
Bellonæ domus eſt. Pendent in limine primo
Loricæ, & centum per via ſcuta locis,
Haſtæque, & galeæ, lacerique apluſtria mali,
Et fracti remi, roſtraque trunca ratis.
Obſedere fores Diræ, Letumque, Pavorque,
Et quidquid ſecum Viſque, Furorque trahunt.
Hic & Fors habitat, Spe ſemper cincta, Metuque
Et campi dominam credula turba vocat.
Militibus nuſquam fida eſt comes: errat, ut ipſi:
Cùmque putes illam ſigna praire, fugit.
Ah malè 1 FORTUNE devota eſt ara MANENTI
Fallit, & hæc nullas accipit ara preces.
Quo nuper victos victor dare terga coegit,
Illo terga dedit turpiùs ipſe loco.
Sic quoque (vix credas, ſed ſunt tua litora teſtes)
Sæpè ratis periit, quà modò luſit aqua.
Nil cuiquam proprium eſt: momento perditur horæ,
Iliacus fuerat quod ſuperaſſe labor.
Sic pueros, ſi bella licet componere ludo,
Aſpicias media ludere ſæpè via.

Nunc

1 *Extant nummi veteres Hadriani Cæſaris cum inſcriptione*, FORTUNÆ MANENTI.

Nunc tumulum ſuperant, nunc deturbantur eodem,
Inque vicem ſummo ſtantque, caduntque gradu.
Nulli certa quies: urgent, pelluntque, ruuntque,
Emicat & ſubitò, qui modò pulſus erat.
Hæc etiam, miles, forſeſt tua: vincis, & idem
Vinceris: hæc celeri vertitur orbe rota.
Sic, ubi pugnatum eſt, ſteriles ſunt præmia lauri:
Hei mihi! non tanti plauſus, & aura fuit.
Non negat hoc Sicoris; nuper peregrina ferebat
Vincula; nunc demto gaudet Ilerda jugo:
Non negat hoc Rhenus, non ſanguine decolor Iſter,
Dum potitur captis alter, & alter aquis.
O quoties aliquis galeis victricibus Albim
Hauſit, & heu, ſervas nunc bibit exul aquas!
Omnia permutant dominos, & in altera jura,
Dum ferus incautos excipit hoſtis, eunt.
Omnia vertuntur: mutat Victoria ſedes,
Inque alia ex aliis ſiet Dea caſtra migrat.
E tabula nuper veteres diſcere clades
Mens fuit: in tabula maximus orbis erat.
Spectabam terras, quas ſol, quas frigus adurit:
Spectabam portus, velivolumque mare.
Mille animo luctus, mille occurrere ruinę:
Et quæ non regio conſcia cladis erat?
Hic pelagus populos, hic verſa palatia reges,
Illic templa ſuos involuere Deos.
Crederis & Medos ſonitu turbaſſe ruinæ,
Cùm rueres præceps culmine, Roma, tuo.
Creditur & fumum Trojæ ſpectaſſe Menalcas,
Evandri ſaturas pervigil inter oves.
Sed mihi quò tabulæ? me convenientiùs illis,
Effoſſus regum pulvis, & urna docet.
Hoc ego terrarum tractus in pulvere pingam,
Pingimus ut modico regia caſtra mero.
Quis ſcit, an è priſcis aliquid vetus urna ruinis
Contineat? huc cineres fors levis aura tulit.
Hic ſteterat Babylon; hic, ardua culmina, turres:
Illa Semiramia mœnia ſtructa manu.

Hic hortos vacuo ſuſpendit in aere fornix:
Hic Beli moles, hic obeliſcus erat.
Hac iit Euphrates, quà Cyrus victor in urbem
Irruit: hoc fixit Perſica ſigna loco.
Illic Rex miſeram falſa inter gaudia noctem
Finiit, & fuſo ſanguine ſparſit humum.
Exitus hic tuus eſt, Babylon. Quis fidere regnis
Audeat? hæc alius ſperet, & arma probet.
Vidimus hinc Perſas opibus ferroque potentes:
Nec minùs has ferro Græcia fregit opes.
Suſa, 2 caput regni: dederant his Lilia nomen:
Stabat & hic ſuperas arx imitata domos.
Fulgebat thalamus, qualem Jovis eſſe deceret,
Stellaque chryſolythus, ſtella pyropus erat.
Sed thalamum Suſis, & avitam Græcia ſedem
Suſtulit, & floris forma caduca fuit.
Tum Macedum crevere animi, crevere triumphi,
Senſit & Emathias ultima terra manus.
Magne, quid extremos bellum moliris ad Indos,
Inque parente tibi fingis utroque Deos?
Quantus eris, fueriſque, brevi metire favilla:
Si neſcis, patrium prodet & illa genus,
Ut, quoties ridens tranſiblt buſta viator,
Dicat: Et extinctos hæc habet urna Deos.
Jusserat everſis ſalvam tibi, Pindare, Thebis
Stare domum: Muſis hoc dedit ille tuis.
Sed Muſis ubi nunc, & ſedes clara tropæis?
Et Thebæ ſteterunt, & tua Muſa fuit.
Huc modò Tænariis veniat Darius ab umbris,
Huc modò trans fati litora, Pore, veni.
Nil veteris regni cernes, & multa querenti
Non auditum pulvere verba cadent.
Invidiæ fuerant, nunc ſunt ſine nomine regna;
Et cinis everſos occulit alta focos.
Tantaque Pellæi quondam monumenta laboris
A tenui ſolùm pulvere nota jacent.

Hæc

2 *Suſa Græcè, Latinè Lilia dicuntur.*

Hæc fati pars, Roma, tui eſt, licet æmula Divis,
Et nova Dardanio Troja renata rogo.
Naumachiæ, circi, thermæ, amphitheatra, coloſſi
Nomina ſunt ipſo pænè ſuperba ſono,
Nec tamen illa ſuis non incubuere ruinis,
Romaque nunc Romę tota ſepulta jacet.
Parva ſequor. Vatem mater turrita Deorum
Audiat: afflatu nos quoque numen agit:
Quas modòcúmque ſuis invecta leonibus urbes
Ingreditur, cinerum grandis acervus erunt.
Regia pauperibus procumbet miſta tabernis,
Terraque quas moles vix tulit, aura feret.
I nunc, tolle animos, & avitis extera regnis
Adjice, dum durus te manet ille dies.
O quanto meliùs, ſi ſic Mars omnia verſat,
Quiſque ſuo poterat conſenuiſſe lare!

ELEGIA IV.

Bellicæ gloriæ vanitatem, in Pompejo & Cæſare expreſſam, animos ad pacem & tranquillitatem impellere.

NE tibi ſit tanti, ſtudiis clareſcere belli,
Nomen & invictos inter habere duces.
Una dies veniat, quam ſummis dixit, & imis
Æacus, ex illa vix quoque rumor eris.
Illa dies veniat, victis miſceribus umbris,
Nec minor has, nec te grandior urna teget.
Urna teget cineres, cujus modò terra triumphis
Deerat, & Europe parva Seriphos erat.
Ah cineres & adhuc Martem ſpiramus, & arma?
Turbaque mortales ambitioſa ſumus?
Ah cineres & adhuc volitant in pulvere currus,
Quò vocat effuſas meta ſuperba rotas!
Heu! malè dant ſignum litui; malè plauſibus æther
Conſonat, & rapidis area fervet equis.

Siſte triumphales, Pompei, ſiſte quadrigas,
Dumque licet, voti contrahe fræna tui.
Parva mora eſt: mors te media deprendet arena,
Eque datis ſpatiis in nigra buſta trahet.
Et modò dum Libyæ nectis, Solymęque catenas,
Et Latio Armenias Mars tuus addit opes,
Et nullum tibi Roma parem patiturque, timetque,
Diffundunt animos nomina magna tuos:
Quid niſi probroſi petitur tibi fama ſepulchri
Clarior? I, famę conſule, Magne, tuę:
Solve rates: anguſta tuis eſt terra triumphis:
Mars favet: expectant carbaſa; ſolve rates.
Scilicet ut Tanaim ſupra, Scythiæque paludes
Naufragium ſpargat ventus, & unea tuum.
At, puto, navifragæ tabulas atque arma carinę
Excipiet portu Memphis amica ſuo.
Vaticinor, monetque: Pharon fuge; litora fallent:
Illa Caphareas expoſuere faces.
Cur placet hæc tellus? nondum tellure receptus
Cervices puero, ſemiviroque dabis.
Quid mare tunc, terraſque metu compleſſe juvabit,
Si trepidam tellus claudat, & unda fugam?
Quid Libycos ad templa Deum duxiſſe triumphos,
Si Lybicos vix te litore terra tegat.
Felix! ſi neque tunc cineres ſpargantur iniquo
Turbine, nec jactent fluctibus oſſa Noti.
Non gelidi lecto manes nitentur eburno:
Non, non illa tuę gloria mortis erit.
Qui lacrymas, qui dona tuo ferat ultima buſto,
Qui tumulum ſtatuat litore, nullus erit.
Sola dabit gemitum fugiens Cornelia: ſolus,
Et fatis in pompam ſordidus uſtor erit.
Hic funus faciet miſerans, flammæque rogali
Injiciet laceræ naufraga membra ratis.
Forſan & optabit [quid enim tibi grandius optet?)
Armata ſoceri te cecidiſſe manu.
Oſſaque componens: Heu! fletu dicet oborto,
Hic Mars, & Martis fulmina fracta jacent.

Nec

Nec tibi, qui victor genero pereunte triumphas,
 Fors aliud, quamvis ſit modo blanda, dabit.
Quid tibi vis? ut te videant Capitolia regem?
 Ut timeat faſces Roma ſubacta tuos?
Dii melius! medioque precor diſtricta Senatu
 Excidat attonita perfida ſica manu.
Nec Capitolinis ſervatos arcibus ignes
 Exſtingui videant ſanguine Veſta tuo.
Ipſa Venus toto jaciet ſuſpiria cælo,
 Nec poterit generis fata movere ſui.
Mille locis fruſtrà rorabunt ſanguine nimbi,
 Mille locis fruſtrà collacrymabit ebur.
Terrebit vates, uxor terrebit euntem:
 Nec ſiſtet cœptas ille, vel illa vias.
Ibis: & o cui te ſervavit Roma furori!
 Hei mihi! Mars Idus horruit ipſe ſuas.
Ter quoque Pompei gemitum ſimulacra dedere,
 Hoſtia cùm tetigit ſanguinolenta pedes.
Hæc vitæ pars ſumma tuæ: ſic bella piaſtis
 Egregiè fortes tuque, generque tuus.
Dixerat Anchiſes, cùm vos in valle videret
 Elyſia ſtudiis ire animiſque pares:
Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella:
 Quæ petitis bello præmia, crimen habent.
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,
 Stellarum aucturus poſt tua fata choros.
Projice tela manu, ſanguis meus: illa feroces
 Illa petant Parthos: inde triumphus eat:
Ilicet, averſis ſæva ingere ſpicula tergis:
 Ilicet, umbra tuas poſcit inulta manus.
Ah nihil Anchiſes potuit, feroſque nepotes
 Intra fortunam non finit ire furor.
Ferre parem pudor eſt: pudor eſt ſpectare priorem:
 Nec pudor eſt patriæ vertere jura ſuæ.
Roma ruit: Parthi votis, miſeriſque fruuntur
 Excidiis: aliquas ſignifer hoſtis habet.
Qui bellum reparet, qui Martia ſigna repoſcat,
 Qui Craſſi manes vindicet, ultor abeſt.

O Su-

O Superi! liceat curas odiſſe potentum,
Nec veniat famæ tam mihi dira ſitis.
Sit me fas Ulubris, ſit fas celare Bovillis,
Et procul à ſtrepitu vivere, Roma, tuo.
Hic ebur, & faſces, & quæ bona plurima falsò
Vulgus amat, nobis unius aſſis erunt.
Hic ego ſim, facileſque mihi dent otia Muſæ,
Quæque canam, Muſis ipſe mihique canam.
Nec mihi ſit, vulgi mirari more curules.
O quantum curis vita ſoluta juvat!
Hic tibi, Simplicitas, ædem ponemus, & aram,
Materieſque operis promta futura mei eſt;
Seu denſi frutices, ſeu vulſi ex ilice rami,
Seu de vicino canna petita lacu.
Hic veniente die faciam faciamque cadente,
Et bona mens quavis hoſtia major erit.
Nec vatum lauros, nec ſpernes pauperis horti
Munera: res ſacris convenit illa tuis.
Sic lateam, ſic mecum habitem: neque ſcire laborē,
Cui faveat Mavors, cui nova regna paret.
Ipſe ego rex, dominuſque mei, felicia ſemper
(Invideant reges) otia lætus agam.
Simplicitas, & cana Fides, Verumque, Pudorque
Securum regni me volet eſſe mei.
Hi vigiles, hæc me tutum cuſtodia reddet,
Dum veniat mortis non inhonora dies.
Tum te cara ſequar, quo me, Natura, vocabis
Ordine, compoſitus, non timiduſque mori.

ELEGIA V.

Cæſorum manes aut pacem, aut pœnas exigere,

PAcem iterùm, Reges, pacem veniamque rogamus.
Hei mihi, quòd parvo eſt noſtra Thalia ſono!
Mars fremuit: rapit arma furor: non audior ulli,
Et litui numeris obſtrepuere meis.

Frater

Fraternæque acies, & regna minantia regnis.
In miſeras ardent cominus ire neces.
Ergò erit, ut ſtrictis ſatient mucronibus iras?
Nec, qui, Mucroni parcite, dicat, erit?
Nec patriæ luctus, nec vox ſuprema cadentum,
Nec meus excutiat regibus arma dolor?
Ite. ciete acies; &, ſi victoria tanti eſt,
Multa cadant terra corpora, multa mari.
At quotcumque cadent, victis, precor, ita reſurgat
Manibus, atque in vos juſtiùs arma gerant.
Inſideant mœſti ſolio: ſaniemque cruentam
Per thalamos ſtillent vulnera, perque toros.
Sæpè minas, & miſta minis convitia jactent,
Sæpè ferant trepido ſomnia plena metu.
Et modò dicantur pęnas ſumſiſſe merentum,
Dicantur cineres exſatiaſſe ſuos.
Non levis ambitio, perituraque gloria tanti,
Hoſtibus ut mediis objicerentur, erat.
Tunc, ita ſim vates, infecta cruoribus arma,
Ipſaque pallori præmia Martis erunt.
Tunc cædes animis, tunc leti occurret imago
Plurima, nec ſiccis vos ſinet ire genis.
Nec ſinet æterno ſignari carmine mortes,
Nec titulum ſpoliis, exuviiſque dari.
Vera equidem moneo: jam nunc mihi vera monenti
Fortia præ nimio verba dolore cadunt.
Ipſa Pales mecum deformes oſſibus agros
Deſerit, & lacrymas poſſe tenere negat:
Najades miſtos horrent cum ſanguine fontes;
Sunt quoque, quæ fontes deſeruere ſuos.
Et fractis Satyri calamis, Faunique bicornes.
Ingeminant elegis flebiliora meis.

ELE-

ELEGIA VI.

Pacis augurium à columba, cujus in ore Olivæ ramus, S.D.N. Innocentii X. Pontificis Maximi gentilitia teſſera.

NOn ego bella canam, nec, ſi me Muſa Poetis
 Inferat, hinc famam carminis ire velim.
Quærite, victores, alium, qui talia cantet:
 Non facit ad Muſas pugna, cruorque meas.
Et mihi nectendis nuſquam placet herba coronis;
 Præfert neſcio quas decolor herba notas.
Cæde madet, quoſque illa bibit conſperſa liquores
 De prope currenti flumine, ſanguis erant.
Nec mihi jam quernæ poſſint ſuccurrere frondes,
 Et quæ ſervato cive corona datur.
Ah! nihil eſt, quernam capiti meruiſſe coronam;
 Sanguine dum tanto laurus emenda venit.
Sola placet, quam Pax orbi prætendit, Oliva,
 Lamechidæque tulit blanda columba ſeni,
I bona, quò ſancti rurſum ſenis ire juberis
 Auſpiciis: ſignum pacis, ut antè, refer.
Sic tibi Tarpeje ſecura cubilia turres,
 Et pellucentes det Tiberinus aquas:
Sic rutilet cervix, & mille coloribus Irin
 Vincat, & Eoo munera lecta mari.
Sic populus neque trux animis, neq; turbidus armis
 Exemplo pacem diſcat amare tuo.
Sic tibi ſe Reges, quod majeſtate mereris,
 Et pedibus ſubdant Martia ſigna tuis.
Proq; Semiramidos, quibus hæc nutrita, columbis
 Te Syrus haud vana religione colat.
Sic tibi ſit, fauſtum ſemper, quod & approbet æther,
 Regibus auſpicium, Cæſaribuſque dare.
Inque illo, qui nunc Romano præſidet orbi,
 Pacificum nobis proſit habere patrem.

Hei

Hei mihi! plus aliquid Mavors, quàm ſæcula Pyrrhæ,
Plus quàm navifragas ille minatur aquas.
En tibi ſub pedibus 1 ruber eſt à ſanguine campus,
Nec tuus in campo pes ubi ſiſtat, habet.
En ſilvas, urbeſque tenent delphines, & altis
Incurſant oleis, decutiuntque comas.
Hic ſegetes, illic vites ſternuntur, & ulmi;
Hic pecus, hic ſtirpes, hic rapit unda domos.
At ſperare licet; non fruſtrà diceris ales
Auſpicii, quoties mitteris, eſſe boni.
Auſpicii te quondam cecidit maris ira, cadetque
Quæ nunc Mavortis ſęvior ira mari eſt.
Forſitan & jam nunc videas emergere colles,
Altaque, quam carpas, eminet arbor aquis.
I, ramos, i, quęre novos, pacemque reporta;
Iam ſibi, jam per te redditus orbis erit.

1 *Rubra eſt ſcuti Pontificii area.*

APPENDIX AD ELEGIAS JACOBI WALLIJ

AD R. P. JOANNEM CAROLUM GILLEBERTUM, PRIMUM SACRIS OPERANTEM.

ELEGIA.

EPULUM AMORIS.

Argumentum.

1. *Ab amore primùm inſtituta eſſe convivia, ab eoque hoc carmen.*
2. *Ea quidem initio fuiſſe frugalia, ſed quantùmvis profuſa deinde fuerint, amantes nihil ſui his inferre potuiſſe.*
3. *Chriſtum ſedendum bibendumque appoſuiſſe.*
4. *Ex ejus inſtituto divinum hoc epulum inſtaurari.*
5. *Novo ſacerdoti gratulatio, quod ſecundùm ipſas ſacrorum primitias de Sacramentis publicè & cum laude diſputaverit, brevi univerſa Theologiæ placita defenſurus.*

1. PRimus amor menſas genialiter hoſpes amāti
Creditur, & pictos inſtituiſſe toros.

Pri-

Primus quid calices, quid poſsent fercula, vidit,
Quæque inter calices verba ſaleſque jacit.
Sic dulces colere animæ, ſic oſcula dextris,
Et dextræ, fidei pignus, utrinque datæ:
Cùmque aditum dederat facilem domus hoſpita menſis,
Poſt etiam facilem teſsera ſacra dedit.
Queis idem victus, cum mens foret una duobus,
Pæne fuiſse putes his quoque corpus idem.
Si non corporibus, certè nos mentibus unos,
Nomine non uno, Carole, junxit amor.
Nos quoque, quid dulcis valeat convictus amantum
Novimus; inde tui pars ego, tuque mei.
Pieridum ſacros duce me tibi tangere lucos,
Et juga ſumma manu prendere cura fuit.
Fontibus hic pariter, pariter conſuevimus umbris,
Et brevis eſt lecto carmine viſa dies.
Quin etiam nobis præiit Polyhimnia cantu
Sępè Pelaſga ſuo, ſæpè Latina ſuo.
O utinam Muſis, nec ſit mihi dicere tantùm,
Anteferat noſtris poſtera fama tuas;
O Ego, venturo dum tu celebraberis ęvo,
Pars dicar famæ parva graduſque tuæ.
Hactenùs hæc; dum nunc epulum cæleſtis amoris
Inſtruis, hoc à me carmen amantis habe.
Carmina quis neſcit menſis audita ſecundis,
Dum roſa, dum circa tempora nardus erat.
Vina Phryges, longum Phœniſsa bibebat amorem
Cùm faceret pulchros pulcher Jopa modos.
Et tuus hoſpes erat cùm Cęſar Achorea cantu
Audivit fontes, Nile, referre tuos.
Et mihi jam faciles aſpirant, Carole Muſæ,
Et mihi materiem lux tibi ſacra dedit.
Non rerum cauſas, non ſidera Carmen Jopæ,
Aut Nili Mauro perſequar orbe caput.
2 Carmen erunt epulę: ſed nil hic marcida luxu
Corpora, nil ſumptus deliciaſque moror.

De-

Delicias inopes, viniqʒ & frugis inanes
  Arcani magni conſcia Muſa dabit.
Nec vero quondam ſtabant convivia magno;
  Tam victus ſimplex, quam rude vulgus erat.
Plurima ſi deerant, ſupplebant plurima vultus,
  Et cœnę pretium concillabat amor.
Sat fuerant vulſę teneris à ſtirpibus herbæ,
  Et tempeſtivæ, quas dabat hortus, opes:
Aut lapathum, malvęque leves, aut roſcida mella,
  Puraque fictilibus condita mella cadis.
Imbellem leporem, raptumque ab ovilibus agnum
  Qui poterat menſis addere, dives erat.
Legerat ipſe ſuis natas in collibus uvas,
  Rorabant horno pocula parva mero.
Si qua levi fuerant, ut erant, inſtructa paratu,
  Ornabat verbis qualiacunque ſuis.
Senſim aliquis multo duxit convivia luxu,
  Sylvaque delicias Oceanuſque dedit.
Spumarunt pateris longinquo vina petita
  Litore, quæ Lesbos, quæ Mareotis habet.
Cum ſitis in gemma, cum ſeſe expleſset in auro,
  Explerunt aurum gemmaque pota ſitim.
Prodiga res amor eſt: uni patrimonia menſę
  Intulit, & regum fregit & hauſit opes.
Omnia cum dederat terra quæſita marique,
  Pars tamen hęc inter non erat ulla ſui.
Sæpè queri ſolitus, nec deerant verba querenti,
  Quod dapibus licuit, non licuiſse ſibi.
Non licuiſse ſinus animæ, non ima ſubire
  Pectora; ſe pręter qu d daret eſse leve.
Audierat regina tuos lugentis amores,
  Cum fleres raptum ſola relicta virum.
Inferias tumuli celebres, vittaſque comaſque,
  Aureaque accenſis addita dona rogis.
Audierat caſtos cineres in viſcera merſos;
  Unum, quà potuit, ſic duo corpus erant.
Inferias, fidoſque magis laudavit amores;
  Sed laus hæc viduæ, dixit, amantis erat.

Exan-

Exangues tantùm, quos ignis aduſſerat, artus
Intritos lacrymis combibit illa ſuis.
Non potuit tumulo manes excire ſepultos:
Quin potiùs tumulus Manibus ipſa fuit.
Fama rogi ſupereſt: dives fortuna ſepulchri
Materies vatum eſt: cætera tempus habet.
Hæc memorans videt ipſe ſuo quid deſit amori,
Quàmque ſit officii gratia curta ſui.
Eſt aliquid præter menſas, quod paſcit amantes,
Eſt aliquid præter vina, quod ora levat.
Fortè aliquem ceræ ceram miſcere liquentem
Viderat: voti res, ait, illa mei eſt.
Cur non ſic animis, cur non ſic liquimur igni,
Vitaque commiſſos non habet una duos?
Quid faceret? vultu colloque pependit amantis:
Hoc ſaltem, quo ſe fallere poſset, erat.
Numquam igitur vivos animis, & pectore toto,
Et toto penitùs corpore jungat amor?
3. Nate Deo, tuus hoc (nec enim contendere votis
Huc licuit noſtris) hoc tuus egit amor.
Jam noſtri generis, noſtri jam ſanguinis unus
Hoſtia pro nobis ſacra futurus eras.
Ultima lux aderat: lucis pars ultima cęnę
Ceſſit: honor cænę lacteus agnus erat.
Agnus erat, quem tu factis animoque referres,
Vinctus ad indignam cum raperere necem.
At priùs in ſocios tu te partiris amantes:
Ipſe dator donum te facis eſſe tuum.
Attollis cęlo vultus, grateſque parenti,
Ut locus, & pietas, reſque ferebat, agis.
Tum ritu luſtrato novo Cerealia ſancta
Dona manu, non hoc deinde futura, capis.
Impletamque capis pateram, libaſque cruorem
Inde tuum: verbi vis fuit illa tui.
Quid non hoc potuit! nondum quid juſſerat eſſe:
Eſse fretum, terras, ſidera juſſit, erant.
Magne opifex rerum, te nobis corpus edendum
Sic potuiſse tuum, ſic voluiſse dare?

Vitam ſumma dies, at non finivit amorem;
  Supplicio vires cepit ab ipſe tuo.
Hunc quoque juſſiſti ritum ſervare minores,
  Ne qua foret meriti non memor hora tui.
I bone, flaventes i, decute meſsor ariſtas;
  Vinitor i, prælis exprime muſta tuis.
Hæc ſacra, triticeas donec teret area meſses,
  Donec florebit vinea, ſemper erunt.
4. Dum loquor, atque ipſis mihi mens ſalit excita verbis,
  Quo rapior? tua me, Carole, ſacra vocant.
Te video ſubeuntem aras, epulaſque parantem.
  Hoc age, quiſquis adeſt, lingua animiſque favet.
Et res in promptu eſt: quid pane paratius? æquè
  Pauperibus cibus eſt divitibuſque datus.
Nil opus undanti ſpument Charcheſia Baccho,
  Ut toto madent ſanguine, gutta ſat eſt.
Nec levius quidquam verbis; age concipe ritè
  Paucula, & in manibus corpus amantis erit.
Certa fides verbis: ne guſtum conſule; fallet.
  Quod guſtus, quod res viſa refutet, ede.
Quod fuit, eſse nega: ſeſe hac ſub imagine celant
  Majeſtas & amor; quod fuit, eſſe nega.
Sic aliquis cœnavit aves, conchylia, piſces;
  Nec guſtus piſces, nec referebat aves.
Ipſaque celabant notos conchylia ſuccos,
  Deliciis tantùm fercula nota ſuis.
O menſæ novitas! cibus eſt, totoque receptus
  Pectore te reficit, te ſibi miſcet amans.
Cœnarum quota pars avido contingitur ore,
  Cùm totam explicuit menſa ſuperba penum?
Exiguum eſt quod & hic guſtu libatur & illic,
  Paſcendis oculis cætera pompa datur.
At tuus, eſt, totuſque tuo ſe pectore condit,
  Qui, quam miſiſti, voce vocatus adeſt.
Audiat hoc æther, & ſi quis livor in illo eſt,
  Invideat: manſo paſceris ipſe Deo.

At

At non vitali conſumitur ille calore:
  Qua tegitur ſpecies interit, ipſe manet.
Ipſe manet, plenumque ſui te paſcit, & in ſe
  Vertit, & in mores te facit ire ſuos.
Vidi ego ſic truncos alieno ſæpè feraces
  Germine naturam dedidiciſſe ſuam.
Fagus caſtaneis, ilignis glandibus ulmus
  Obſita, cana pyri floribus ornus erat.
Quæ dederat ſterilem platanus potantibus umbram,
  Stipite nata ſuo non ſua pompa dabat.
Felix, qui menſis inſers alimenta loquendo,
  Quæ faciant homines, quà licet, eſſe Deos!
5. Atque itterùm felix, denſam qui ſæpè coronam
  Diceris eloquio ſuſtinuiſſe tuo!
Nunc, dum ſacra facis, curæ fuit illa tueri:
  Et benè tutelæ credita ſacra tuæ.
Ut reſponſa dares, tibi mens, tibi lingua, vigorque
  Qui potuit dictis maximus eſſe, fuit.
Si liceat conferre tuos bellique labores,
  Hæc arcis faciem, quam quatit hoſtis, erat.
Non te miſſa ſuper telorum turba valentem
  Terruit: audenti eſt illa repulſa manu
Dum miles validus, dum pars adverſa ſub ictu eſt,
  Sæva quidem patitur, non timet arma locus.
Inde tuo major ſignata eſt area Marti,
  Et mihi tum plauſus cauſa futura novi:
At nunc cæleſtes epulas, libataque dicam
  Munera, quæque hominem ſigna Deumq;tegunt.
Quos tibi tum credam libanti talia motus
  Gliſcere? quos ignes pectoris eſſe tui?
Ureris, ut rutilæ tua circum altaria tædæ,
  Ut ſacris à te thura cremata focis.
Et nihil eſt, quod non plenus jam numine poſſis,
  Et nihil eſt, quod non victus amore velis.
Nec ſatis eſt tibi te, ſacris jam ritè litatis,
  Cœleſtes inter ſacra paraſſe dapes.
Convivas adhibes pluſquam regaliter aris,
  Millia quot numquam Perſica menſa tulit.

Nulli non molles aditus, ſua ſit modò cuique
 Teſsera, non facit hic ulla repulſa metum.
Non terret magni præſentia numinis, & qui
 Fulgor ab ardenti plurimus ore venit.
Qui ſolis retegit radiis, quem condidit, orbem,
 Exiguo farris ſuſtinet orbe tegi;
Suſtinet & latebras animæ pectuſque ſubire,
 Anguſtoſque vocat maxima regna ſinus.
Uſque adeò, ut faciles hominum ſe fingat in uſus
 Invento pietas ingenioſa ſuo eſt.
Nil amor hoc melius, nil ipſa potentia majus,
 Quod det, habet poſitus limes utrique ſuus.

JACOBI
WALLIJ
E SOCIETATE JESU.
LYRICORUM
LIBER PRIMUS.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

FERDINANDO

A FURSTENBERG,

S. D. N. ALEXANDRI VII. CUBICULARIO INTIMO,

Canonico Hildeſienſi & Paderbornenſi.

AD inſitum eſt, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, rebus omnibus à natura, ut quibus principiis ortum, iiſdem & incrementum debeant. Quem animantes à corde ſanguinem, & ſpiritum, & calorem ſemel acceperunt, eodem deinde vegetantur, & creſcunt. Novellas arbores, priuſquam è ſeminario transferantur, rubrica notari jubet Columella, *ut, cùm alio in ſolo defigentur, eaſdem cæli partes aſpiciant, quas antè conſpexerant. Nec alia eſt in ſcientiis ratio. Quid vitæ ſanctimonia? Divinis præſidiis, & exercitationibus virtutum in dies provehitur, à quibus initium fecerat. De amicitia noſtra philoſophari ſimiliter mihi tecum lubet; cujus ut fundamenta ſunt poſita, ita ſequi velim cetera. Quanta cum voluptate exiſtimas illius temporis à me uſurpari memoriam, quo primùm illa coaluit, neque litteris tantùm, ſed verſibus etiam ultrò citròque miſſis adolevit, & floruit? Eſt enim hoc Muſis cum virtute commune, ut eos etiam quos numquam vidimus, ob illarum cultum ſingulariter diligamus. Plotinus, Philophorum è Platonis familia ſuo tempore princeps habitus, animas quaſdam eſſe dixit, quas non alieno vocabulo ſulphuratas nominari poſſe exiſtimabat, quòd ob egregiam*

indolis morumque conſenſionem ſtatim primo congreſſu alt era alterius amore inardeſcat. At profectò in nullos aptiùs hæc appellatio conveniat, quàm in poetas, qui præter naturalem ingeniorum cognationem, qua inter ſe arctiſſimè continentur ſtudium præterea in eas artes intendunt, quæ propter ſummam ſuavitatem blandiſſimè ſe in animos inſinuant, et amorem inflammant. Quid hic ego amicorum paria commemorē, quando, ut produnt fabulæ, vagam multitudinem iiſdem mœnibus, diſciplinis, legibus, judiciis, ſacrorum ritibus prima devinxit Poetica? Amplector igitur, amplector illam humanæ ſocietatis conciliatricem dulciſſimam, eique gratiam habeo, non modò quòd me tibi adjunxerit, verum etiam quòd nunc mihi ſuppeditaverit aliquid, quo videbor amicitiam noſtram & publicè colere, & conſtanter tueri voluiſſe. Verùm ſi de officiis agitur, fateor quod res eſt, tuis vincor: idque non in tua ſolùm laude pono, ſed etiam, quod mireris, mea. Quid enim? egone ignorare poſſim, quantum ad laudem mearum interſit auditum Muſis mei ad Alexandrum VII. Pontificem Optimum Maximum, te agente, patefactum eſſe? ſilere poſſim incredibilem in illa altitudine comitatem; qua libellos noſtros, te porrigente, ſumet manu? ſilere beneficia, te interprete, ab eodem mihi impetrata? Sacra quidem antiquitati fuere fontium capita, creditaque iis ineſſe vis major Numinis, quòd perenni ſuo curſu referre propriùs videantur bonitatem illius inexhauſtam & profuſam ſui: ſed tamen quid debeat aquæductibus Roma, teſtis es ipſe, qui urbem vides variorum Pontificum magnificentia dulcibus ac ſalutaribus aquis è longinquo perductis irrigari. Adeoque cùm ego Pontificiæ beneficentiæ fontem, cujus venas uberrimas ſupremum illud ac divino ſuppar imperium aperit, qua poſſim obſervantia & veneratione proſequar; eſt tamen quod in his ipſis beneficiis & amicitiæ tuæ, & urgenda occaſione vigilantiæ acceptum merito referam.

ram.

ram. Sed hæ amoris cauſæ, quæ mihi tecum ſunt, habent quidem, quia privatæ, ſuavitatis multum aliæ, tamen quia publicæ, plus ſplendoris ac dignitatis, Societatem quippe noſtram impensè à te amari tua laus etiam eſt, cujus te heredem fecit Illuſtriſsimus Patruus tuus Theodorus Furſtenbergius, Epiſcopus Paderbornenſis, vir fama, & quæ illam peperit, virtute immortalis, rei ad Paderæ fontes perditæ reſtitutor, Catholicæ libertatis vindex, Collegii noſtri Fundator, Imperii Princeps, Patriæ Pater. Infinita ſunt merita, quæ ab illo in varium hominum genus ſunt profecta. Quid, quæ in urbem Paderbornam, quam perduellium furori & armis eripuit? in Pontificatus ſui Sedem, quam Romanæ reſtituit? in religionem, quam collapſam erexit? in populum fidei ſuæ creditum, quem ſervavit? in urbem iterùm ſuam, quam ornavit & communivit? Cui cùm præſidium aliquod adferri poſſe exiſtimaret à Societate noſtra, Collegium noſtrum velut alteram religionis tuendæ arcem ibidem conſtituit, è qua militares educerentur copiæ, quæ, quocumque ille velut imperator evocaret; irent in ſolem ac pulverem: utque paratiores animis atque corporibus aut rem agerent, aut in procinctu ſtarent, ſuis illas ſtipendiis liberalibus atque perpetuis ali voluit. Quæ immortalia Patrui tui beneficia uti in oculis gerimus, & quaſi comprehenſa manibus tenemus, ita recordatione tantæ virtutis, quam heres adiiſti, illum adhuc in te ſuperſtitem ac vivum intueri nos credimus. Ego igitur publico privatoque nomine hac qualicumque inſcriptione, quam & alibi & poſt me legendam auguror, teſtari cupio magno quidem nos debito appellari; ſed tamen, ſi interdum alii debitores non reſpondeant ſemper ad tempus, nos ſaltem primam, quæ beneficiis præſtitis exigitur, penſionem nullo non tempore ſolvere voluiſſe agnoſcendo.

ODE I.

S. IGNATIUS LOIOLA
SUB JESU SIGNIS
NOUI ORDINIS DUCTOR.

S. FRANCISCUS XAVERIUS
IN INDIAM MILITIÆ SUÆ SIGNA INVEHENS.

Cum bellicoſus Cantaber è tholo
Suſpendit enſem: Non ego lugubri
Defunctа bello, dixit, arma
Degener, aut timidus perire
Miles reſigno. Me nova buccina,
Me non profanus militiæ labor
Depoſcit: & magnos ſecutus
Auſpicio meliore Divos,
Non indecorus transfuga, Cæſarum
Signis relictis, nil cupientium
Accedo caſtris, jam futurus
Splendidior ſine clade victor.
Quàm ſi propinquis Gadibus ultimos
Jungam Gelonos, aut Ligeri Tagus
Graves triumphato catenas
Injiciat, Rhodanoque Bætis.
Hæc elocutus Virgineis caput
Devovit aris, nec violabile
Dixit ſacramentum: ter aræ,
Ter ſubitæ tremuere flammæ.
Exinde quò te non rapuit tuus,
Loiola, Mavors? Exiguus fuit
Europa limes: navigarunt
Ad Braſilos, Japonaſque bella.
Beata claſſis! non tibi nauticum
Cupido funem ſordidus abſcidit:

Non arma bellatrix, & Indis
Signa vehis metuenda regnis.
I, rumpe fluctus, labere naufragi
Secura ponti. Xaverium vehis,
Regum Navarrorum beatam
Progeniem, generi daturam
Nomen, quod olim primus & ultimus
Miretur orbis, nec minuat dies.
Illum inter undoſos tumultus
Hippotades, Heliceque, & omnis
Obſervat æther. Ille, ubi turbido
Malus fatiſcet ſaucius Africo,
Interque clamores paventum
Deficiet tumidos carina
Durare fluctus! jura dabit mari,
Ventis & undis imperioſior:
Nautæque ſi deſint ratesque,
Ipſe ſibi ratis, ipſe nauta.
Ille & recepto vaticinans Deo
Spectabit abſens æquore fervido
Depræliantes, & crematæ
Relliquiis opibuſque claſſis
Armis timendas & numero virum
Frangi triremes. Illius ad precem
Succumbet indignans, ſuiſque
Funera Mors rediviva cernet
Exire buſtis. Sæpe & inanium
Aras Deorum proruet, & Deo
Æternæ victori tropæa
In mediis ſtatuet ruinis.
Quin & favillas, ſaxaque montibus,
Cœloque flammarum eliciet globos,
Stanteſque nutu vertet arces:
Perfidiæ manifeſtus ultor.
Heu quantus illi ſub Jove torrido
Sudor: quot illum, dum metuit nihil,
Pericla circumſtant! minatur
Multa viro mare, multa tellus.

Quoſcumque adibit, conſcia ſentiet
Crux ſacra caſus, ſub patrio lare
Sudans, & abſentis labores
Sanguineis miſerata guttis;
Seu Maurus illi pocula luridis
Tinget venenis; ſeu tabula ſuper
Innabit alto; ſeu jacebit
Litorea moribundus alga.
Orbem minorem dimidio ſui
Vicina Calpes ad juga quid tuis
Metatus, Alcide, columnis
Diceris, emeritique ſignum
Fixiſſe curſus? Quid ſpatii ſuper,
Metire, quà ſe porrigit Africa,
Induſque, Gangeſque, & jacentes
Axe ſub oppoſito Molucę.
Huc, huc columnas, quos poſuit tuo
Virtus labori Famaque terminos,
Huc transfer. Inſcribam: NEC ILLÆ
XAVERIO POSUERE METAM.
Sic videt Eos, vidit & Heſperus,
Quid lecta poſſet Loiolidę manus,
Sortita quas ſol cumque anhelis
Afflat equis retegitque terras.
Cœloque ſignum credidimus datum.
Quod Roma ut altis extulit arcibus,
Quas undique excitas coegit
Illa acies! quibus arſit armis!
Non ipſe, quamquam per freta Theſſalæ
Florem juventæ traxit, & igneos
Sopire juratus dracones
Æolio grave vellus auro
Ferox Jaſon Æmonia procul
Avexit Argo; non Mareoticę
Gemmis renidentes & oſtro;
Non Agamemnoniæ phalanges
Tot clara bello nomina, tot patrum
Cenſere poſſint ora perennibus

Ex-

Expreſſa ceris, quas ſequaces
Circum oleæ, fluitantque lauri,
Et iſta Martis præmia pars quota
Dicenda laudum eſt? Nam neque cædibus,
O ſanguis Heroum, nec iras
Vindicibus ſatiaſſe dextris
Hæc ſumma virtus. Quod proprium eſt deci
Vos palma nulli flebilis hoſtium,
Et cædis expertes & iræ,
Regna ſuper populoſque vexit.
Utcumque ſancti deficiunt genus
Illuſtre mores, credite Principes,
Parum eminere eſt. Vos premendo
Nobilitas, grave pondus, urget.
Non ſi Calænas vincula ſubligent
Aurata vites, nobilioribus
Livet per autumnos racemis
Cultus ager: nec equus ſuperbo
Inſtratus oſtro certiùs aureis
Metam quadrigis vitat Olympicam
Victor: nec impexum feroces
Deſtituunt animi leonem.
Magnum eminere eſt, cùm domus, & genus,
Et quæ nec ipſi fecimus, arduis
Æquantur auſis. Una virtus
Supra apices, tituloſque regum eſt.

ODE.

ODE II.

B. FRANCISCUS BORGIA,

Rerum humanarum deſpicientia humano faſtigio altior.

AUt nos volentes fallimur: aut ſibi
Habere Divos ſidera juſſimus,
Noſtro beati. Nam quid umbris
Auferimur, tenueſque voti
Altis ſuperbas porticibus domos,
Et ſecta tanti marmora ducimus,
Cultuſque, fortunaſque regum
Attonito memoramus ore?
Ad veſtra, Divi, tollimur atria,
Formoſa ſtellis atria, Numinis
Regnantis arces: huc ſolutam,
Huc celerem levat aura mentem.
Hinc illa magnum ſub pedibus videns
Titana verti, ſplendida divitum
Ridet pavimenta, & potentum
Quidquid opum ſibi finxit uſus.
Hinc illa, mundi pars quota ſit, videt,
Subjectus orbis, terrigenum vicem,
Creboſque in anguſto recurſus,
Et ſteriles miſerata curas.
Hac arte nixum Gloria Borgiam
Supra 1 Quiritum culmen, & aſperas
Gemmis Alexandri tiaras,
Et Carolos, Aquilaſque vexit.

Non

1 *Calliſtus III. & Alexander VI. Romani Pontifices è gente Borgia. Iulius III. Romanus Pontifex primùm per ſe, dein Carolo V. Cæſare Auguſto, poſteà etiam Philippo Hiſpaniarum Principe adnitente, denique Pii duo Pontifices IV. & V. Franciſcum Borgiam Cardinalium Collegio adſcribere volverunt.*

Non ille avitis Aragonum a genus
Proferre faſtis. Ipſe ſibi genus,
Nomenque, dignatus beatis
Ordinibus, patrioque cælo.
Hinc Gotthalanum, quod tenuit ſuo
Pro rege regnum, tectaque Gandię,
Et cuncta terrarum, puſillo
Vix apici ſimulanda, cernens:
O, inquit, o quam ridiculos ſibi,
Arctoque clauſos limite terminos
Immenſa regnantum cupido
Montibus aut pelago diremit!
Hic Taurus Indos, hic medius liquor
Secernat Afros: Arſacidis modum
Imponat Euphrates: Canopo
Æthiopas dirimant arenę.
Et illa quondam maxima gentium
Regina primùm regnet ad Albulam,
Cui deinde porrectas utrimque
Ponat Atlas Tanaiſque metas.
Mundumque feris altera ſeculis
E ploret Argo, & grande aliquid putet
Trans ęquor ignotoſque fluctus
Orbe alio religaſſe funem.
Heu vana rerum! Quid niſi ſtrenua
Exile punctum dividitur manu,
Pareſque formicis laborem
Quiſque ſibi rapiunt inanem?
Hic circus, hęc eſt area glorię?
Hic bella fervent? hic dolor, hic metus,
Hic ira tot gentes avaris
Implicitas ſtudiis fatigant?
Curiſque tantis eſt pretium lapis
Aut ſtipes uno ceſpite longiùs
Defixus agris, aut ſupellex

Mun-

a *Natus eſt Franciſcus matre Ioanna Aragonia, Alphonſi filia, ejus qui Ferdinandi Regis Catholici filius fuit.*

Mundior, aut titulus ſepulcri?
O qui potentem circumagis manum
Quacumque curſum ſol peragit ſuum,
Tuoque ſubjungis, Philippe,
Oceanum 3 Cybelenque curru:
Paullùm ſeveras divitis imper
Omitte curas,& liquidum æthera
Prævectus:, immetata regna,
Regna tuis potiora, toto
Diffuſa cœlo ſuſpice: finium
Tum te pigebit, quos tibi litora.

Terræ-

3 *Cybelen à veteribus eandem cum Terra cenſeri, notum eſt; non itidem hoc erit, deberi à me hujus locutionis elegantiam Erinnæ poetrię, quam, ſive una, ſive plures hujus nominis fuerint, in Heroicis cum Homero, cum Sappho in Lyricis antiquitas contulit: quamquam Propertiana Cynthia illi ſe non veretur anteponere, Carminaque Erinnes non putat æqua ſuis. Prop. lib. 2 elegia tertia, aut, ut Poetam hunc luxavit miſereque diſtraxit Scaliger, ſecunda, qui & hunc locũ dũ emendare voluit, corrupit. Sed ad Erinnam: illa in Oda ſua, quod ejus ingenii inter ceteras Lyricorum Poetarum reliquias exſtat monumentum, ſic Romam alloquitur.*

Σᾶ δ' ὑπὸ ζεύγλᾳ κρατερῶν λεπάδνων
Στέρνα γαίας καὶ πολιᾶς θαλάσσας
Σφίγγεται.

Quorum vim & proprietatem non expreſſit ſatis Henricus Stephanus hac ſua interpretatione:

Vinculis ponti ſinuoſa terga
Atque telluris validis coerces.

Nos hoc modo reddidimus:

Quos agis currus ſubeunt valente
Ad jugum loro religata Tellus,
Canaque Tethys,

Sed Erinnæ Odam integram, & ſelecta quædam Græcorum Poetarum à nobis verſa, ſi Deus dederit, daturi aliàs ſumus libello ſingulari.

Terræque deſcribunt; & orbe,
Quem regis, imperioque major,
Mortalitatem tranſilies tuam,
Cœlique plenus, non aliter diem,
Utcumque venturus, ſupremum
Excipies, ſolioque cædes:
Quàm ſi, biluſtris quem procùl à domo
Cariſque natis detinuit labor,
Dulces reviſurus penates
Deſerat hoſpitium viator.
Huc vota tendant. Intereà tibi
Terras regendas, qui dedit Arbiter,
Legeſque ſacrorum, meique
Corporis 4 exuviis dicatas
Commendat aras. Atque adeò tuas
Converte curas, & ſtudia, & manus,
Fatale quò terris regendis
Nomen, & Auſtriadum triumphi,
Et pacis artes, & gemini vocat
Tutela mundi. Se tibi debeat,
Quam nulla te non poſcit ora,
Tuta mari via, tuta terris.
Sin bella poſcunt, regnaque vindicem
Tuenda dextram, non revocabili
Aſtræa victorem Gradivum
Anteeat, Pietaſque greſſu.
Hoc expetendum regibus: hoc habent
Commune Divis. Prima potentiæ,
Prodeſſe, laus eſt. Illa numquam
Conſpicitur meliore cauſa.

4 *Sacrum B. Franciſci Borgiæ corpus, Ducis de Lerme conſanguinei ipſius poſtulatu, Roma Madridium tranſlatum eſt.*

ODE

Imperiis, precibuſque flecti,
Quàm ſi protervis obvia fluctibus
Immota ſtarent Acroceraunia.
Urſit per obſtantes propinquos
Pulcrum abitum generoſus heres,
Lætoque vultu limina flentibus
Obſeſſa liquit, ſic etiam pius,
Mitiſque. Nec ſegnis tenaces
Rumpere ſervitii catenas,
Gemmas, & aurum, ſplendida vincula
Exutus ibat, quà Pietas comes,
Rectumque, cognatuſque cœli
Traxit Amor, meliorque flamma.
Qualis juventa fervidus ignea
Pompeius armis prima crepundia
Mutavit, & pulcro ſubegit
Pæne puer Numidas triumpho:
Deliberata non aliter fuga
Domeſticarum fertur imaginum
Pertæſus, intentuſque cœlo
Diripuiſſe humeris amictus
Auro rigentes, paupere lætior
Tegi lacerna. Vade potens tui
Victor, triumphalique lauro
Adjice, quod Latium, quod orbis,
Quod laudet æther. Tu genus evehes
In majus: aras Romulidæ tibi
Ac templa ponent: te vocabit
Carolus 2 indigetem, tuoque
Signabit aurum nomine, ſe tibi
Suoſque credens. Tu nova Mantuæ
Tutela damnabis vocatus
Sæpè Ducem populumque votis.

2 *Carolus I. Dux Mantuæ pecuniam Aloiſii ſignavit imagine, hac epigraphe:* B. ALOYSIUS GONZAGA PROTECTOR MANTUÆ, *eiuſque urbis patrocinium illi publica auctoritate detulit.*

ODE

ODE IV.

B. STANISLAUS KOSTKA AMORE DIVINO ÆSTUANS.

RIdente vultu te quoque regiis
Ceſſiſſe dicunt, Koſtka, penatibus,
Faſceſque, & Arctoi peroſum
Divitias, ſtrepitumque regni.
Dilecte terris & Superis puer,
Quæ flamma venis hauſta, quis oſſibus
Inſedit ardor, cùm ſonantem
In te Amor expediit pharetram,
Hæſitque multo vulnere ſauciis
Victor medullis! Pectus amoribus,
Tegique dedignante flamma
Virginei caluere vultus.
Urebat alti te domus ætheris,
Puriſque cœli purior ignibus
Regina, te præſens amico
Numine, ſidereoque prolis
Dignata vultu. Qui nitor aureo
Infantis ori, qui decor eſt genis!
Ut pectus, & cervix eburnis
Artificum potiora ſignis!
Ut ille ſtringi ſe cupit! ut tua
Se pronus ultrò curvat ad oſcula,
Paruiſque complexum lacertis
Te tenet, & placidos amanti
Inſpirat ignes! Non color eſt tibi,
Non vultus unus. Deficis, & pio
Erepta tormento repentè
Vita fugit, fugiuntque venæ:
Percuſſa vernis ſic roſa ſolibus
Heſterna languet: ſic radiis gravem
Narciſſus expertus Leonem

Florl-

Floriferis jacet uſtus hortis.
At ſævienti cur puer innocens
Tabeſcat igni? ferte citi, precor,
Lenimen ardori, ſodales,
Et gelidi date fontis undas.

ODE V.

CAROLO VANDEN BOSCH,
EPISCOPO BRUGENSI,
ET
ANDREÆ CRUESEN,
EPISCOPO RURÆMUNDENSI.

Cùm Brugis anno 1651. 10. Kal Auguſti feſto die S. Apollinaris Epiſcopi & Martyris, ſub cujus patrocinio Romæ olim in Collegio Germanico unà per quinquennium vixerant, ambo conſecrarentur.

HUc hoſpitales, huc adeſte Gratiæ,
Violis decenter, & roſis,
Nodoque flavas aureo vinctæ comas,
Et mutuas nexæ manus;
Nihilque veſtro diffidentes nomini,
Nil diffidentes tempori
Afferte vultus: Ille cui tenerum, Deæ,
Finxiſtis os, & nectaris
Puro imbuiſtis rore, quo nil gratius,
Humaniuſque nil tulit
Amœna Bruga, veſter ille Carolus
Ad ſacra vos vocat ſua.
Quem geſtientis inter urbis gaudia
Deducit in templa hoſpitem!
Vultuque quo reducit, & menſa, & lare,
Animoque lætus excipit!

Æqua-

Æqualis hoſpes hoſpiti incediti ſuo:
Uterque ſacrorum arbitri,
Uterque ſacris inſulis cincti caput,
Sacroque donati pedo.
Stetere ad aras. Quis tibi fulſit dies
Præſente, Bruga, lætior?
Non ille, quamquam ferverent ludis fora,
Fluerentque vino compita,
Et hic & illic tollerent cœlo arduum
Arcus triumphales caput,
Gemmiſque, & auro, ſumtibuſque regiis
Fulgeret interior domus:
Non ille, quo ſollemnis Hymenæus, tuis
Spectatus olim civibus,
Pacta Britanam 1 Carolo junxit fide,
Totiſque prælucens viis
Feſta jugalem diſpulit noctem face.
Plus nominis lux hæc tibi,
Famæque plus hæc attulit. Pulcrum diem,
Creſsaque ſignandum nota
Inſcribe faſtis Bruga, qui vidit duos
Sacriſque & aris præfici,
Duos honore, & munere, & meritis pares
Paribus coronati inſulis.
Inſcribe faſtis, quidquid ipſa Comitas,
Et Amoris ingenium ſuo.
Dives paratu potuit, hoc viſum tibi.
Hoc in ſuæ ſpem 2 patriæ,
Quæ prima dulci fovit exceptum ſinu,
Magnumque claris extulit
Belgis alumnum, Carolus ſeſe ſuo
Debere credit hoſpiti,
Qui deſtitutæ, poſt tot annorum moras,
Et orbitatis tædia,

Mœſtas

1 *Carolus Burgundio Margaritam Eboracensẽ Brugis duxit ingenti nuptiarum apparatu*, an. 1468.

2 *Epiſcopus Brugenſis Ruræmundæ natus.*

Mœſtas verenda lacrymas tergit manu,
Et dulce ſolamen venit.
Cruſene ſalve, Rura quo felix patre,
Quo Bruga felix hoſpite.
Ut te libens volenſque conſortem ſui
Gaudet videre muneris,
Domoque ſociat, dexteramque Carolus
Tibi hoſpitalem porrigit!
Non hæc amoris ſigna ſunt novi: vetus
Utrique contubernium:
Utrique longi temporis tenax ſtetit
Cauſis valentibus fides.
Æterna Roma teſtis, & Tybris pater,
Qui vos perenni vinculo
Fratrumque junctos more conſpexit ſuas
Errare per ripas ſimul,
Simul erudito in pulvere ad famam evehi,
Atque adyta naturæ ſuper
Invadere alta mente ſemotum æthera.
Quinquennis hic Olympias
Vos acta vidit inſulis proludere,
Et apta culti pectoris
Arma expolire, quæ nigras Erebi domos,
Totamque terrerent Styga.
Quæ te voluptas tenuit, o cœli decus,
Pubiſque Germanæ pater,
Apollinaris, tanta cùm juvenum indoles,
Nutrita ſub penetralibus
Tuo dicatis nomini, ſpecimen ſui
Laudiſque venturæ daret!
Jam tuum fovebas illa, quæ Brugam efferunt,
Præcepta mente gaudia.
Jam tum futuri conſcio ante oculos erat
Sacer tiaras, vertici
Utriuſque dandus, & tuo dandus die,
Tuis triumphis nobili.
Sic antè junctos, urbe nunc rurſum, & domo,
Et ritibus jungis ſacris,

Popu-

Populis regendis, arduoque culmini,
  Onerique, quod ſubeunt, pares.
O grande par Antiſtitum, o lux Belgii,
  Quos Cælitum pronus favor,
Sumtæque pariter inſulæ, & locus, & dies,
  Et ipſa conjungunt ſacra,
Florete longùm pariter, & vota omnium
  Et ſpes merendo vincite.
Si ſpreta Virtus vindicem poſcit manum,
  Si ſede pellendus ſua eſt
Veſanus Error, Noctis infauſtum genus,
  Noſtrique raptor arbitri,
Inſtate: vobis ore fatidico loqui
  Apollinarem credite:
Inſtate: nil non veſter efficiet labor
  Illo laboris auſpice.

ODE VI.

CLAUDIO AQUAVIVÆ.
SOCIETATIS JESU.
PRÆPOSITO GENERALI.
ET
RUDOLPHO AQUAVIVÆ,
EJUSDEM SOCIETATIS,
IN SALSETIDE PRO FIDE INTEREMPTO.

O Magna frugum, magna virùm parens,
  Romana tellus, cui neque Media
Silvis odoratiſque dives
  Arboribus, neque pulcher Indus,

Nec

Nec Bactra certent; conſiliis potens,
Armiſque felix, ſiv aquilas procul
Inferre victrices laboras,
Seu populos regis æqua victos.
Non Hippocrene, Non Helicon tibi
Umbræque deſunt, ſeu juga Tuſculi,
Seu Tibur, umbratique lauro
Albuneæ placuere fontes.
Ut hic perennes, dum canimus, juvat
Libare rivos! Ut liquido pede
Decurrit, humectatque latè.
Romuleos Aqua Viva campos!
Ut illa vitro 1 purior, algidis
Manat ſcatebris! ut fluit utilis.
Ægris, inexpletam tenacis
Sevitiem medicata morbi!
Certum ſalubres numen habent aquę,
Melliſque 2 vincunt flumina, Tyadum
Educta thyrſo, quæque pingues,
Ut perhibent, ſecuere campos,
Cùm pulſa nondum ceſſaret impiis
Aſtræa terris, & faceret ſibi
Ver ipſa tellus, & beatas
Rura darent inarata meſses.
Simplexque paſſim turba feracibus
Spectaret agris nectaris uberes
Errare rivos, atque truncis
Lapſa cavis trepidare mella.
O fons beatus, ſeu rapidus ſalit,
Feritque venis 3 ſidera, ſeu fluit
Per plana terrarum quietus.
Et placido rigat arva curſu.
Non ſævus 4 Auſter, non pecus inſolens;

1 *Notatur Claudii candor, & in curandis animi morbis prudentia:*
2 *Morum ſuavitas.*
3 *Familiaritas cum Deo in maximis negotiis.*
4 *Imperturbatus animus.*

Non ramus alta lapſus ab arbore
Turbare pellucentem ad imum
Uſque ſolum potuere lympham.
Siticuloſos hinc quoque Maurica
Rigavit agros: has ſterilis bibit
Salſetis undas, heu! Rudolphi
Innocuo tepidas cruore.
Rudolphe, fratrem 5 murice; te tuo
Rubere dicam ſanguine pulchriùs.
Non ille fraternum nigrantes
Detulit ad tumulum cupreſſos.
Palmis & oſtro, quà patuit, domum
Ridere juſſit. Quando erit, ut ſacro
Te thure dignentur Quirites,
Et poſitis venerentur aris?

ODE VII.

GONZALO SYLVERIAE
E SOCIETATE JESU,

In Æthiopia pro Fide interfecto.

Videre Cafres litora 1 legibus
Subjecta noſtris, ſignaque Tartaro
Direpta: quis victrice palma
Nectere Silveriæ coronas,

Cu-

5 *Rudolphus duorum Cardinalium Julii & Octavii frater germanus: quorum hic intellecta Rudolphi pro Fide interemti morte, aulæ ſuæ parietes non atro, ſed purpureo periſtromate ornari juſſit.*

1 *Cafres ſine legibus vivunt: &, ſi vocem Cafres interpreteris, ipſorum lingua Exleges ſignificat. Hos Chriſtianis legibus ſubjecit Silveria.*

Curatve lauro? Magnum Erebo intulit,
Magnum frementi barbariæ metum
Heroa virtus: vidit illam,
Et pariter trepidavit omni
Cocytus unda. Non Agamemnona
Tardo Scamander flumine palluit;
Non Indus æquè, dum minores
Voluit aquas, Macetæque Regis
Tulit catenas. Ille Phrygum timor,
Et iſte Pori: livida Tænari
Palus, & importuna Ditis
Silveriam timuere monſtra.
Heu ægra lætis perfidia! heu nefas
Immane gentis! præcipiti omnia
Traxit ruina, cumque verſis
Spes reliquas abolevit aris.
Sic meſſem in herba perdit, & arbutis
Vitique gemmas decutit Africus:
Sic ſævit, infeſtuſque velis
Invidet Hippotades ſecundis.
Vitæ parentem gens fera barbaro
Abſumſit auſo: Tiſiphone ad ſcelus
Præluxit armatæ: jacentis
Guttura corripuit probroſo
Eliſa nodo. Nec furor hic ſtetit:
Ripas & amnem crimine polluit:
Fluctuſque raptarunt cruenti
Exanimum ſine honore corpus.
At ſubter imo gurgite pectora
Planxere palmis Najadum chori,
Fletuque ſparſit non coacto
Sanguineas crocodilus undas.
Sic ille membris viſus inanibus
Referre honorem, ſævitiæ immemor,
Nec auſus adnantes iniquo
Exuvias violare morſu.
Narratur illo non timidè, ut priùs,
Expleſſe rivo ſicca canis ſitim:

Narratur & tutus [2] viator
Innocua jacuiſſe ripa.

2 *Ex quo Gonzali Silveriæ corpus in hunc amnem projectum eſt, crocodili, qui antea ſoliti erant homines incautè ad ripam accedentes devorare, nemini poſteà nocuerè, cùm id facere non difficilè poſſent.* Godignus in ejus Vita lib.2. c. 12. *Quem Auctorem propterea hic proferre viſum fuit, ut hujus miraculi fides non penes poetam eſſet, ſed hiſtoricum.*

ODE VIII.

AD FLORENTIVM DE MONTMORENCY, SOCIETATIS JESU, PER FLANDRO-BELGICAM PRÆPOSITUM PROVINCIALEM.

Cùm in navi, qua Trajecto Ruræmundam vehebatur, à Batavis Moſæ inſidentibus captus, ſuæ Provinciæ redderetur.

O Navis, altum cui Moſa turbidus
Inſternit ęquor, depoſitum tibi
Quàm grande committunt ſecreti
Sollicitis tua vela votis
Jeſu Sodales! ſe tibi Pelias
Non æquet arbor, ſemideos licet
Mirante Neptuno per undas
Vexerit, Argolicoſque reges.
Heroa prono devehis alveo,
Cui quidquid auri Theſſalię rates
Tulęre, ſordet præque grazis

Nuda

Nuda placet ſine dote virtus.
Curſu peracto tu fueras novis
Addenda ſtellis, hoc pretium viæ.
At o quid ad ripam doloſis
Viminibus, calamiſque ſeptam
Incauta ferris, nec Batavum times
Secura fraudes! Eripe te fuga:
Converte remos: flecte vela:
Arma latent: habet hoſtis amnem.
Eheu! per auras intonuit fragor:
Pronus magiſter volvitur in caput,
Clavoque dejectum cruentus
Amne vorat miſerante vortex.
Hoc, dum rudentes aggere ſolveres,
Lupæ cadaver fluctibus innatans,
Lævumque cornicis ferebat
Ad ſalices recinentis omnen?
Tu tauriformi debueras, Moſa,
Timende vultu, cornibus impiam
Terrere prædonum catervam,
Et tumida exſpatiatus unda,
Ripam hoſpitalem, marginis immemor,
Latè evagari, non ſine fluctuum
Fragore, figendo tropæo,
Scuta virum, galeaſque volvens.
At vos puellæ dicite Naiades,
Qui ſaltus, aut quod vos habuit nemus,
Quæ ſtagna, muſcoſique fontes,
Dum trepido ratis hæſit amne?
Quid horruiſtis, cùm Moſa bellico
Arſit tumultu, cæruleis caput
Effere regnis, & carinam
Dum licuit, prohibere ripa?
Sic illa velis acta fugacibus
Sibi imminentes effugeret manus,
Puppique, & antennis virentem
Adderet incolumis coronam.
Quò caſſa tendunt vota, procacibus

Jactata ventis? Fluctuat heu vaga,
Suoque (proh triſtem rapinam!)
Depoſito natat orba navis.
O navis, atro concita turbine,
Formidoloſo ludibrium Africo
Non ſola debes! fluctuabit,
Nec leviùs ferietur undis
Rectoris exſors altera, apluſtribus
Signata Jeſu nomine, terminos
Emenſa terrarum, nec antè
Chriſtiadum freta verſa tonſis.
Nunc orba caſum luget, & horrido
Suſpenſa fluctu, frigida remigum
Tot corda percellit pavore
Digna ratis meliore curſu.
Dilecta cęlo pectora, remiges,
Quorum obſequentes antevolant manus
Vocem magiſtri, ſic procella
Excutiat decumana clavum?
Macti, ſodales. Eſt Deus, & fides
Huic noſtra cordi. Triſtitiam, & metus
In æquor Arctoum protervis,
Fronte hilares, date ferre ventis.
En, nube pulſa, vicimus horridum
Injurioſi turbinis impetum.
Amica Libertatis ara
Flore nitens adoleſcat igni.
Clavo magiſter providus aſſidet:
Florente clavum cingite laurea.
Subducta prædonum furori
Rurſus avi volitat ſecunda
Navis per undas: rurſus amabili
Directa dextra, tendere carbaſa
Novit ſecundis, novit atris
Hæc eadem removere ventis.
Curſum natantis, ſeu modò palmulis
Opus feratur, ſeu modò linteis,
Rectore tanto non præibit

Veli-

Velivolo ratis ulla campo.
At nunc recentis conſcia gaudii
Sonent canoris litora plauſibus,
Et ſaxa reſponſent Camœnis
Pulſa meis, iterentque carmen.
Si puppe fracta conſecrat ad tholos
Pictam tabellam navita, liberas
Nos puppe ſervata catenas
Ad memorem ſtatuemus aram.

ODE IX.

JOANNIS MASCAREGNAE, LUSITANI, ARCIS DIENSIS PRÆFECTI, BELLICA FORTITUDO.

ORbem irrepertum, & remige non priùs
Pulſata noſtro cærula viſere,
Longèque porrectis ad ortum
Figere litoribus tropæa,
Hoc Luſitanum eſt. Hic ſtetit, hic manus
Gens illa parva viribus & fide
Majora geſſit: vicit armis
Cauſa prior, numeroque virtus.
Quæ Maſcaregnis par fuerit chelys?
Heu clara belli fulmina! quos metus
Fecere Gangi! qua ſuperbas
Cambajæ Mogoriſque vires
Fregere dextra! Quis mihi barbito
Majore dicat bella Dienſibus
Pugnata ſub muris, & una
Fratam Aſiam domitamque in arce?
Quis inde Eoi litora Nerei
Complevit horror? Terret adhuc Scythas

Fatale nomen: terret ipſos
Mamudii 1 Soſariſque manes.

1 *Arcem Dienſem obſedit Mamudius Cambaiæ Rex Mahometanus, Sofare conſiliorum ſuorum armorumque moderatore: obſidionem à 14. Kal. Maij ad 3. Idus Novembris parva manu ſuſtinuit Ioannes Maſcaregna, & auxiliaribus adjutus copiis ſolvit.*

ODE X.

AD SIDRONIUM HOSSCHIVM, E SOCIETATE JESU

Cùm ab eo cultiſſimam accepiſſet Elegiam,

O Gratos, mihi gratiiſque plenos,
O cultos elegos & expolitos,
Quos ad Pegaſeæ caput ſcatebræ
Dictarunt faciles tibi Camœnæ!
Nuſquam ſimplicitas, decenſque cultus,
Et nuſquam nitor, eruditioque
Et nuſquam veneres, ſaleſque deſunt.
Ocultos elegos, & expolitos,
O gratos mihi, gratiiſque plenos!
Anſpectem numeros? tenentur aures.
An cultum? capior: modoſne? ducor.
Senſus? robur habent. tuamne limam?
Nil exactius eſt, politiuſque.
Artem? ſumma latet meaſne laudes?
Hoc tantùm (ſed amoris iſta culpa eſt,
Et gratæ venia eſt parata culpæ)
Peccarunt elegi, tuæque Muſæ.

ODE XI.

AD LYRAM MATHIÆ CASIMIRI SARBIEVII, E SOCIETATE JESU, EVROPÆOS PRINCIPES AD SACRUM BELLUM EXCITANTEM.

QUæ Martiales barbitos incitat
In arma turmas? quos ſtrepitus canit,
Bellique cauſas? quas coire
Principum amicitias, & enſes
Pingues amico ſanguine barbara
In terga verti juſtiùs imperat?
An rurſus Alcæi minaces
Claſſica perſonuere Muſæ?
Alterque rurſus ſævit, & impotens
Lesbon tyrannus ſervitio premit?
Sævumque detrectat ſuperbi
Ferre jugum Mitylena regni?
Lesbous olim fregerit illius
Vates furorem. nunc Tanaim lyra,
Latèque regnatum tyranno
Boſphoron, Ioniumque terret.
Fallorne? triſti Luna Othomanidum
Palleſcit umbra: cornua contrahit:
Plenumque deſperavit orbem
Sarmatico tremefacta cantu.
Sic nocti lucis pallida cornibus
Phœbe laborat, ter magico ſacra

Luſtrante ritu, ter Cyræum
Canidia præeunte carmen.
Natis in uſum lætitiæ modis
Has eſſe quiſquam crediderit minas!
Jam ſceptra, jam Thracum caducæ
Verticibus trepidant coronæ.
Ite, ite, Reges, quò citharæ potens
Alter Latinæ vos fidicen vocat:
Muſam antecedentem ſecuti
Threiciis volitate campis.
Non molle quiddam, non quod Jonicis
Aptum choreis leniter accinit:
Urget per obſtantes Gelonos
Ferre pedem benè temperatum.
Ordo, Gradivi robur, aheneas
Firmat catervas. Ite canentibus
Plectris, Quirites: ordinatas
Muſa reget numeroſa turmas.
Lycurgus olim ſic Lacedæmone
Pugnæ imminentis ſigna dedit lyra:
Sic ibat obſervans modorum,
Ante aciem moritura primam
Spartana pubes, neſcia cedere,
Vitiſque centum degenerem fugam,
Aut ſegnis averſura pugnæ
Crimen, & opprobrium catenæ.
Scite: belli pulvere ſordidis
Mavors coronas deſtinat aureas.
Niluſque, Jordaneſque pridem
Palmiferis viruere ripis;
Veſtroſque tandem cędua vertices
Palmeta poſcunt. Nec fera prælia,
Bellique, quos ſuaſit labores
Muſa premet. Canet illa torvo
Decuſſa per vos cornua Boſphoro,
Gravemque nexis Strymona vinculis:
Canet, quod Auroræ, quod Auſtri
Regna legant, roſeuſque Veſper.

Ac-

Accendit omnes Martia buccina
Cantu: ſed, eheu! non niſi funera,
Voceſque ſupremas cadentum
Docta ſono tenuare rauco.
At illa quæ vos increpuit lyra
Pugnas cruentas dicet, & obvium
Pectus ſariſſis, & decorè
Vulnus hians, obitaſque mortes
Quæ quiſque geſſit, poſteritas ſciet:
Quis ſigna Budæ fixerit arcibus
Primus: quis Eurotam natatu;
Quis pedibus ſuperarit Hæmum.
Dircæa quamquam Muſa Deos canit
Regeſque per quos impia brachiis
Fidens juventus, & tremendæ
Ignea vis cecidit Chimeræ,
Seſeque terris altior arduum
Plaudente penna tollit in æthera:
Thracas triumphatos Latinis
Materiem invideat Camœnis.
O magne Vates, o Aganippidum
Myſtes ſororum, quem Deus incola
Muſæque, ſecurum pericli,
Pindaricos docuere niſus:
Quem nunc repreſſis Viſtula fluctibus,
Olim & canentem corniger audiet
Sperchius, arrectuſque capta
Thermodoon, Hypaniſque ripa,
Intende chordas: Martem Heliconio
Accende cantu. Quis cuneos furor
Committet armatos! quis ardor
Creſcet equis, equitumque ſignis!
Quot inde raſo pilea vertici,
Cultuſque noſtris reſtitues ſacris:
Quot victor inneſtes Latinas
Argolico populo catenas
Io, ter io! Siquid Apollinis
Divina laurus fatidicum canit,

Veroſque præſagit triumphos
Vaticinis lyra tacta Muſis,
Dicentur olim Sarmaticę fides
Viciſſe miſtas cum lituis tubas:
Dicetur excantata Thracum
Luna tuo trepidaſſe plectro.

LYRI-

LYRICORVM

LIBER SECVNDVS.

ODE I.

AD

HERMANNVM SPRVYT,

SOCIETATIS JESU,

RECTOREM BRUGENSEM,

Poetas etiam vitæ magiſtros eſſe.

QUòd me Camœnas inter, & vatum choros,
  Laurique odoratum nemus,
Et Theſpiorum lene murmur fontium
  Amica paſcant otia,
Mihine quiſquam deſides vitæ dies,
  Hermanne, labi dixerit?
Hoc ſi quis auſit, noſque non ſanos putet
  Curas inutiles ſequi,
Illi nec Helicon, nec ſacri pateant ſpecus,
  Nec unda Permeſſi fluat;
Quam ni bibiſſet, ipſa famæ ac nominis
  Jaceret expers Græcia:
Nec ſciret ætas ſera, quæ vatum pater,
  Quæ cecinit Aſcræus ſenex
Documenta cedro digna, quæ primùm auribus,
  Animoque dein blandè incidunt.
Tu magna nutrix artium, tuo volens
  Me, Bruga, ſeceſſu excipe.
In hoc laboro, meque in hæc ſacra abdidi,
  Plus uni ut ævo conſulam,

Non-

Nondumque natis audiar nepotibus,
Fructuque non vano legar.
Mihi ipſe medeor: ipſe Apollineis lego
Succos & herbas collibus,
Quodque uſus ipſe docuit ægroto mihi
Prodeſſe, vates eloquor.
Audete, moneo, quæ dat & caſus rapit,
Audete quæ celant dolum,
Diſſentientes vulgi opinionibus,
Cœloque nati ſpernere:
Bonique ſpecie ſiquid oblata allicit,
Inhibete pavitantes manum.
Quæ vos putatis dona, fraudes Colchicas,
Arteſque Circæas tegunt.
Sic eſca volucres fallit, & laqueo impedit,
Sic invenit mortem fera,
Calamumque piſcis ſequitur, atque hamum vorat,
Avidiſque credulitas nocet.
Quicumque fraudum vivere immunis volet,
Doloſa fortunæ bona.
Prudens futuri caveat. Heu! fruſtrà miſer
Habere ſeſe aliquid putat:
Habetur ipſe, retibuſque clauditur,
Aut pendet hamo credulus.
Quid multa ſequimur? Corpori exiguum ſat eſt,
Animo imperanti ut pareat.
Famen cibus depellat, & potus ſitim,
Frguſque non ſordens toga.
Quid intereſt, an Appulo ſit vellere,
Tyriumque ahenum ſenſerit?
Quid intereſt, ut frigus: & ſparſas nives,
Solemque, & imbres arceas,
Domumne ceſpes fortuitus exſtruat,
An gentis alienæ lapis?
Non culmus aliter arcet hibernum Jovem,
Aliter lacunar aureum.
Nec, ſi diurnis feſſa curis corpora,
Nocturna jam vocet quies,
Ali-

Aliter ſaligno lectus impoſitus pedi,
Aut mollis herbarum torus,
Aliter jacentem ſponda mulcet aurea,
Et tincta cocco ſtragula.
Nec ſtructa fago menſa, cui ſimplex anus
Teſta imparem fulcit pedem,
Oluſque cœnæ pauperis, curas minùs
Frontemque ſollicitam explicant,
Quàm citrus orbis dente fultus Indico,
Et lance cælata gravis.
Sed multa luxus, multa ridendus labor
Stultis in uſus congerit.
Ad iſta vulgus interim arrectum ſtupet,
Creditque per fas, & nefas,
Per & venena, perque fratrum funera,
Quæri atque ſervari benè.
Et illa rerum ſcena Fabricios propè,
Curioſque tranſverſos agit.
Nil præter animum grande: nil mirabile,
Quàm quidquid hunc cælo invehit.
Cui magnus ille eſt, purpuram atque aurum Indicum.
Tractabit, ut caſſas nuces.
Quòd ſi iſta mecum, cumque poſteris loquor,
Muſaque convicti mea
Parvo ſuoque ſe beatos autumant,
Ridentque quidquid ambitus
Aut incitatus ſperat, aut præceps timet,
Aut anxia tenet manu,
Mihine quiſquam deſides vitæ dies,
Hermanne, labi dixerit?

ODE

ODE II.

ANTONIUS CORDUBA

REPUDIATIO CARDINALATU SOCIETATEM JESU SIBI DELIGIT.

Ad S. Ignatium deliberabundus ita ſcripſit: *In eorum numero, Pater, quos Cæſar à Pontifice impetravit, ut faceret Cardinales, me quoque retulit: proximiſque Pentecoſtes ſolemnibus, quantùm certis comperitur nuntiis, creatio fiet. Ego cùm ad certamen id ſuſtinendum omni caream propugnaculo, Societatem* JESU (*turris enim fortiſſima nomen Domini*) *mihi delegi*. Orland Hiſt. Societ. Jeſu lib. 12.

NOn ſemper anceps alea militi
Tentanda: pugnæ ſe quoque ſubtrahit
Experta virtus. Sæpè & hoſtem
Fallere pars aliqua eſt triumphi.
Latere certus Corduba, nec fugam
Parans inertem, ſe popularibus
Subduxit auris, & verendum
Purpurei timidus ſubire
Culmen ſenatus: Quæ latebræ meos,
Dixit, timores munierint ſatis?
O, ſi quid indulges precanti,
Abde tuis, profugumque ſerva,
Loiola, caſtris, Aſſyriis tibi
Fundata turris tutior arcibus,
Quam non Typhæus, non tremendo
Subruat Enceladus tumultu.
Invicta turris! nubibus arduis
Propinqua moles, centum adamantinis
Obſtructa clauſtris, cui trecentæ
Poſtibus advigilant phalanges.

Mille

Mille hinc & illinc te clypei tegunt,
Mille & ſecures, telaque fortium
Pondus lacertorum: minaces
Mille vomunt procul æra flammas.
Invicta turris! quod mare, quę mari
Abſciſſa tellus non videt agminum
Pugnas tuorum? quæ tropæis,
Quęve tuis vacat ora ſignis?
Inſcripta ſignis teſſera diſſipat
Quidquid timetur: tu quoque, tu meo
Murum timori, tu receptum
Militiæ dabis una noſtrę.

ODE III.

INIGVS GVEVARA,

DUX BOVINI,

Societatem Jeſu ingreſſurus, inſigni pompa rebus humanis nuntium remittit.

QUis ille noſtras alipedum ſonus
Complevit aures? quis rutilantium
Feſto quadrigarum tumultu
Attonitam ſtupe fecit urbem?
Spectatis? an Mars Threicios agit
Victor jugales? an patrium genus
Alter probaturus feroces
Junxit equos, rutiliſque Solem
Refert quadrigis? Aureus undique
Collucet axis; flectitur aureo
Temone currus: fulva pictis
Signa rotis radiiſque fulgent.
Quacumque velox fertur equus, ſolo
Inſultat auro, paret & aureis
Spumans lupatis, & rubentes
Fuſcat anhelitibus pyropos.

Scena

Scena hæc, Quirites, ultima fabulæ eſt:
Vos ritè plauſum, ſi placuit, date,
Sic luſit, illuſitque luxum,
Roma, tuę ſtrepitumque pompæ
Guevara, rerum feſsus inanium
Servire ſcenę: nunc alias aget
Cum laude partes. O Bovini
Magna domus, memoranda faſtis,
Faſtis Jeſu, ſed neque barbito
Silenda noſtro! Tecum ebur, atque opes,
Plauſuſque, regaleſque ridet
Muſa rotas, populumque falſa
Jactare rerum nomina dedocet,
Unique currus deſtinat aureos,
Æterna quem virtus inerti
Tollit humo, ſuperiſque miſcet.

ODE IV.

AD

ANTONIUM A BURGUNDIA,

E COMITIBUS DE VVACKEM,

Primarię Eccleſiæ Brugenſis Decanum.

Cùm Emblemata de Lingua in lucem daret, velut publico epulo totidem è linguis fercula lectori ſuo appoſiturus;

CONVIVATORI EUCHARISTICON.

DUm rectas in Appolinis diæta
Cœnas inſtituis, datiſque linguis
Luculli quoque vincis apparatus,
Quas vates tibi, quas amicus hoſpes
Sat dignas poterit referre grates?
Tales nec Phrygius ſuo coemit

Æſo-

Æſopus domino, nec aut Tarentum,
Aut mollis Sybaris, nec ipſa vidit
Perſis delicias. Poeta linguas
Hic centum ſibi poſcat, ora centum,
Ut tot fercula, tamque delicata
Extollat totidem canatque linguis.
Sed quidni liceat Peruviano
Perjuri licet oris, atque obeſæ
Naris mancipio, malo, & voraci
Jam nunc credere, & autumare chartis
Linguas eſſe ſuas? Ita eſt: loquuntur.
Eſt chartis ſua literiſque lingua;
Et multùm ingenii, bonæque mentis,
Nec nil vocis habent. Ita eſt: loquuntur,
Et peccare vetant, reoſque damnant,
Virtutemque docent. Licet, iubetque,
Indo credere, perfidoque Davo.
Vidit ſcilicet ille gurges, illa
Famoſiſſima ficuum vorago,
Vidit, quod populus, quod omnis ætas
His mirabitur evenire chartis,
Doctis, Phœbe! loquentibuſque chartis.
Nec lingua tibi blandiente verba,
Aut fumos damus. Odimus doloſas
Linguæ blanditias: & ipſa nobis
Dictat ſimplicitas, amorque veri,
Quod de te loquimur, tuas ſecuti,
Queis linguam regis, inſtruiſque, leges.
Quin cùm lubrica, cùm ſoluta lingua
Per te docta loqui, tacere docta,
Leges ipſa ſibi, modumque ponet:
Cùm tu materies eris loquendi,
Legem nulla ſibi, modumque ponet.
Sed, dum ſpiritus incitare linguas,
Dum vocem poterunt referre linguę,
Te, quanto decet ore, prædicabit
Omnis lingua tuas locuta linguas.

ODE

ODE V.

AD MAXIMILIANUM VVARENBERGICVM,

E Societate Jeſu.

FAvete Boii. Non mihi perfidis
Extorta dextris ſceptra, nec imperi
Defenſa majeſtas ad Albim
Carmen erit; domituſque juſto
Mœnus triumpho, Nam quid inertidus
Conflata cervis agmina 1 Boicos
Contra Leones, Auſtriaſque
Contra Aquilas poterant columbæ?
Me, Boia proles, me rapis, & ſacro
Te dicar olim carmine ad Iſaram
Stellis, & ęterno merentem
Concilio inſeruiſſe Divum.
Exempl a vitæ non tibi diſſitis
Petenda regnis. Tu Superum 2 trahis
De ſtirpe mores: tu beatos
Indigetum cineres avorum,
Et oſſa tractas. Quàque oculos jacis,
Boiæ recurrunt munera dexteræ,
Et iſta 3 Guillelmus nepoti
Tecta ſuo poſuiſſe gaudet.

1 *Habet Bavaria in inſignibus Leones.*
2 *Sanctos Bavariæ Duces multos vide apud Raderum in Bavaria ſancta.*
3 *Sereniſſimus Dux Guillelmus Collegii Monacbienſis fundator.*

ODE

ODE VI.

AD
JOANNEM BAPTISTAM VVVENVM, E SOCIETATE JESU.

Cùm ſuos in Jonam Commentarios edere differret.

QUid clauſum pluteo premis, novoque
Rurſum carcere detines Jonam?
An pœnam ſemel, exigente cælo,
Perſolviſſe, parum eſt? parumne, culpam
Conjurantibus eſpiaſſe nautis,
Cùm præceps datus, obrutuſque ponto
Tres ſoles olida ſepultus alvo
Piſtricis jacuit? Quid, o, quid ultra
Incluſum pluteo premis, novoque
Rurſum carcere detines Jonam?
Quas tum naufragus edidit querelas,
Et ſupra tumidos iere fluctus,
Et ſupra volucres iere nubes,
Et flexere Deum: Ninique fatum
Quæ vexit pelago vagata piſtrix,
Magno protinus obſecuta vati,
Legit litora, reddiditque terris
Ingens depoſitum. Suaque nondum
Te flectit prece, publicamque lucem
Exorare tuus poteſt Jonas;
Dum cæca jacuit miſer caverna,
Ipſæ, ſiqua meis fides Camœnis.
Deſertæ halcyones, vagique mergi
Plangorem trepidis dedere pennis,
Et quid neſcio præter aut amores,

Aut

Aut luctus veteres & hic, & illic
Auditi querulo referre cantu,
Quo Ceyx velit, Æſacuſque fleri.
Neptunus pater, ut liquente regno
Erexit caput, hoſpitemque vidit,
Captivo gemitum dedit, ſuoque
Fluctus imperio premens & Euros,
Ad monſtri latus abditique vatis
Fractas molliùs ire juſſit undas.
At ne belua ludibunda cæco
Hæreret ſcopulo, ſonante concha
Triton anteiit, breveſque primus
Prætentavit aquas, iterque rexit.
Ut demum ſuperos diemque vidit,
Formoſa Ægiale repentè vatem
Excepit gremio. Adfuere Nymphæ,
Creneque, atque Hyale, putremque limum
Deterſere manu, caputque, & omne
Tabeſcens ſale perluere corpus.
Ah! ne te volucres, ſuoque Triton,
Neptunuſque pater, mariſque Nymphæ
Vincant obſequio. Quid, o, quid ultrà
Incluſum pluteo premis, novoque
Rurſum carcere detines Jonam?
Ohe, jam ſatis eſt ohe, morarum.
Jam vates iterùm ſibi ſuperſtes,
Et ſtridentibus erutus procellis,
Et nigrantibus erutus latebris
Per te prodeat, hauriatque lucem.
Non rurſum Cilicas propinqua Tauro
Invadeat freta, deviuſque Tarſon
Injuſſam repetet. Fugæ prioris
Vatem pœnitet. Ardet, ardet ire,
Ut quæ fulmina, flebileſque caſus
Rurſum projicit imminere terris,
Rurſum nuntiet, arceatque terris.
Nec jam una eſt Ninive nocens, nec uni
Incumbunt populo Tonantis iræ.

Qua ſol cumque aperit, diemque condit,
Regnant crimina, criminumque pœnas
Ruptis nubibus, igneiſque nimbis
Depoſcunt Superi. Quid, o, quid ultrà
Invitum premis? Ardet, ardet ire,
Ut quæ fulmina, flebileſque caſus
Rurſum proſpicit imminere terris,
Rurſum nunciet, arceatque terris.
Eheu! quis gemitus, quis ille flentis
Confuſus populi ſonus repentè
Arrectas mihi verberavit aures?
Nil fletur ſolitis modis. Nec ora
Queſtu ſufficiunt, manuſque planctu!
Heu! heu! quò gemitus, dolorque vergit?
Poſtratum gelido pavore egem
Hirſuto video rigere texto.
Non aurata premit corona frontem:
Squalet cæſaries, caputque ſparſi
Deturpant cineres, & ora fletus.
Non auro bibitur: Falerna nemo,
Nemo tempora floribus coronat.
Pallent ora fame: ſitis peruſtis
Ardet viſceribus: nec ullus uſquam
Fit tectis ſtrepitus, niſi ejulantis
Quem ſuſpiria reddidere turbæ.
Heu! heu! quò gemitus, dolorque vergit?
Nec Regem modo, ſupplicemque luctus
Exercet populum. Greges & ipſi
In partem veniunt: nec ulla gramen
Attingit quadrupes, nec ulla fontem.
Impaſtæ ſtabulis gemunt capellæ:
Impaſtæ ſtabulis gemunt & agnæ.
Arent ubera; nec ſuas, ut antè,
Ad mulctram Pholoe vocat juvencas.
Muta eſt fiſtula, nec ſuos, ut antè,
Aut Daphinis canit, aut Alexis ignes.
Heu! heu! quò gemitus, dolorque vergit?
An reges iterùm, ſimul ſeveris

Au-

Aures impulerit minis Jonas,
Deſcendent ſolio? hiſpidiſque cingent
Setis corpora? lividumque pectus
Et palmis ferient, & aſtra votis?
An mœrens populus, cibique, & undæ
Expers, flebiliter Deum per aras
Expoſcet veniam, preceſque noſtras
Et noſtros aliquid valere flectus
Placari facilis probabit æther?
Quid, cùm pœnituit, piæ reorum
Non poſſunt lacrymæ? Rubentis æthræ
Siſtunt fulmina. Sæpè deſtinato
Urbes perdere jam parabat ictu,
Cùm luctus ſubitò pavorque flentem
Inceſſit populum, ſimulque noxæ
Terras pœnituit, Deumque pœnæ.
Hoc ſi ſalva Ninos, tuuſque vates
Nos ſperare jubent, per hunc, & omnes
Te teſtor Superos, per aſtra juſtis
Pridem feta minis, metuſque noſtros,
Per ſuſpiria, flebileſque planctus,
Quos antiqua Ninos dedit, dabitque
Jam nunc altera, ne morare vatem,
Ut quæ fulmina flebileſque caſus
Rurſum proſpicit imminere terris,
Rurſum nuntiet arceatque terris.

ODE VII.

AD PARENTES.

Vitæ exempla ad rectam educationem momentum adferre maximum.

FRuſtrà juventam fingimus, & bonas
Laudamus artes, ſi neque debitis
Præimus exemplis ſequacem,
Nec dociles reveremur annos.

Dam-

Damnoſa patrem ſi juvat alea,
Sperare de ſe nil melius jubet
Futurus heres, ad fritillum
Nunc loculis, poſitaque tandem
Iturus arca. Nec patrimonia
Matura virgo non etiam geret
Dimiſſa collo, nec fluentem
Non & Achæmenia perunget
Nardo capillum, ſi genitrix pares
Induta cenſus ambulet, & comas
Gemmaque nodatas & auro
Vibret acu, balanoque tingat.
Sic eſt: paternis cerea moribus
Aſſueſcit ętas: hac ſequitur via,
Sive antecedentes Cethegos,
Seu Curios videt, aut Catones.
Obſcena vultur diripit Ilia,
Diſperſa campis: at neque mitiùs
Exercet ungues in cada ver
Æmula progenies parenti.
Proleſque Niſi non aliam rapit
Adulta prædam, quam rapuit pater;
Igneſque Phœbeos in ipſo
Ferre aquilæ didicere nido.

ODE VIII.

AD ALOYSIVM LAVENBACH, E SOCIETATE JESU.

Cùm à gravi morbo nondum confirmatus ad ſe literas dediſſet.

AGnovi calami notas labantis,
Agnovi veteris notas amoris,
Quæ poſt longa tui pericla morbi
Salvum te referunt, mihique mittunt,

Quà, qui mittit, adhuc eget, ſalutem.
Vt vidi, exſilui, premenſque blando
Chartam ſuaviolo: Meuſne, dixi,
Lavenbachius, ille nuper, ille
Conclamatus, anhelituque crebro
Singultantem animam trahens, ab ipſo
Leti veſtibulo pedem reduxit?
Atque illas potuit tremente dextra,
Quas læti legimus, notare chartas?
Atque illis bene me valere juſſit,
Qui nondum benè ſe valere ſenſit?
O dulces calami notas labantis?
O dulces veteris notas moris!
At tu (namque ſedens in ore pallor,
Et vultus macies adhuc timoris)
Non una eſt mihi cauſa) dic, amabo,
Dic, pars magna mei, ſatiſne certò
Evaſti incolumis? novíſque Parcæ
Ducent ſtamina reſtituta fuſis?
Ite hinc ſolliciti procul timores:
Ite, & Carpathias Atlanticaſve
Vos ater rapiat Notus per undas.
Dicamus bona verba, digna læto
Natalique die. Jubente Diva
Rurſus naſceris, aſpicíſque lucem.
Hoc Sidronius, hoc tuus Becanus,
Supplex, Virgineas jacens ad aras
Votis crediderim ſuis, ſuiſque
Evicere elegis. Fuit Fremauti
Prima hæc cura tui, tuique Friſi;
Illi Virgineum movere pectus,
Illi præcipites tenere fuſos,
Illi ferrea mitigare jura,
Et fatalia prorogare penſa,
Et plenas iterùm valent precando
Inſtaurare colos. Quid o moramur.
Dum nil ſupplicibus negavit æther,
Centum millia gratulationum

Læto

Læto protinus expedire verſu?
Dicamus bona verba: quid ſilemus?
Qui te namque dies valere vidit,
Natalis tuus eſt, tuoſque nobis
Hinc ſubducere jam licebit annos.
Dumque illum colimus, tuus fac adſit
Viſurus Genius ſuos honores;
Formoſus Genius, tuaque dignus
Ornari cithara, tuaque lauro.
Illi cæſaries, & ora nardo
Diſtillent Syrio, roſaque vernent.
Illi cymbia lactis, atque mellis,
Et natalitium dicare libum,
Et natalitium dicare carmen,
Et natalitios decet trientes,
Et natalitias decet coronas.
Qui te namque dies valere vidit,
Natalis tuus eſt, tuoſque nobis
Hinc ſubducere jam licebit annos.
Sic penſo tibi longiore ductos,
Sic & ſtamine firmiore textos
Virgo carminibus vocata noſtris
(Noſtri dicere ſi tamen Camœnis
Fas ſit Numina poſſe magna flecti)
Addat, quos reliquos vovemus, annos,

ODE IX.

AD CAROLVM A LOTHARINGIA, EPISCOPUM VIRDUNENSEM,

Cùm depoſitis infulis Societatem JESU *ingrederetur.*

QUis ille, Divi! quis Virodunus
Avulſus aris grandem animum novis

Accingit auſis? quo citatus
Numine, quo rapitur calore;
Jamque & ſacrati verticis infulas
Remittit ultrò: non lituo manus
Gemmaque fulget: jam repoſti
Carbaſei, Tyriique cultus.
Pro quantus ori depoſita quoque
Decor tiara! quantùm animos rapit
Privata jam virtus! ut intus
Ipſe ſibi ſine teſte plaudit,
Quis regna & urbes miſceat, unicè
Securus! O lux, o Lotharingicæ
Sidus coronæ, Godefridi
Progenies generoſa ſalve.
Ne limen, hoſpes, deſpice, quod tibi
Loiola pandit. Scilicet illius
Sinu reclinatus beatos
E pateris Superorum & auro
Libabis hauſtus. Inde ubi Mutii,
Dulcique Romæ principis urbium
Divulſus amplexu, Padumque,
Et gelidas ſuperaris Alpes,
Regnata Magno Gallia Carolo
Tibi, relictis excita ſedibus,
Occurret: occurrent & amnes
Indigenæ, virideſque Nymphæ.
Tibi hoſpitales obvius offeret
Garumna 1 ripas: quas ubi preſſeris,
Sucurus innitetur urnæ,
Et placido fluet unda lapſu.
At te nec Afros vellera murices
Incocta prodent: nec volitantium
Inter quadrigarum tumultus
Per medias rapieris urbes.
Arrecta ſtabit Gallia, pauperem
Mirata cultum, & conſcia ſanguinis,
Nil ipſa te magnis minorem

Ducet

1 *Burdigalæ Domui Profeſſæ præfuit.*

Ducet avis, minimamque laudum
Partem tuarum credet ab ultimis
Traxiſſe avitum Cæſaribus genus.
Non ſceptra, regaleſque cultus,
Non domitis data jura terris
Heroas ęquè regibus inſerunt,
Vt clara virtus. Hæc ſatis eſt ſibi:
Nec facta, nec quidquid ſuorum eſt,
Laude ſua meritiſque miſcet.

ODE X.

AD BELGAS SODALES, GENERE CLAROS.

Fruſtrà illos velle pro ſua modeſtia tacitos prætermitti.

ÆTerna, Belgæ, nomina patriis
Laudata faſtis, cur ſubiit genas
Pudor, verecundique noſtram
Barbiton erubuere vultus;
An & ſevera ſurripitis manu
Plectrum canenti? Mittite, mittite
Muſæ laborantis, Sodales,
(Quamquam humiles terit illa nervos)
Tardare cantum. Scilicet ardua
Quæ vos Olympo gloria ſuſtulit,
Vulgata non eſt, & canentis
Poſcit opem citharamque vatis!
Si nocte pura Lucifer aureos
Occultat ignes, ſe tacitis quoque
Celabit umbris, quæ, videri
Dum metuit, meliore prodit
Se luce virtus. Scimus, ut inclytas
Ceras, & ingens à proavis genus
Divinus & ſæcli labantis

Meribus ac vitiis iniquus
Deſpexit ardor. Splendida vidimus
Anciliorum, & caſſidum, & enſium
Cælamina: auratas avorum
Effigies, tituloſque circùm,
Circùm coronas, & lituos Ducum
Fulgere longo vidimus ordine,
Elucet, & virtus in ipſis
Spirat adhuc animoſa ſignis.
At non aviti gloria ſanguinis
Claræque ſplendor vos tenuit domus
Fulgore perſtrictos inani.
Plus ſpecies habet ipſa vero.
Sic clara fulvo picta ſinus croco
Illudit Iris, dum pluvia gravis
Phœbo ſub adverſo colores
Mille trahit, radiiſque fulget.
Hæc illa magnis cognita vatibus,
Regumque caſtris: nunc reſidem movet
In arma Turnum: nunc remiſſum
Suſcitat Æacidæ furorem.
At illa nuſquam eſt: ſcilicet aureus
Inca uta fallit lumina Cynthius,
Lucis repercuſſæ nitorem
Imbrifera variante nube.

ODE XI.

AD BELGAS SODALES POETAS.

Belgium etiam Muſarum ſedem eſſe.

Quis fata veſtro triſtia Græciæ,
Pulſaſque Muſas, templaque Phocidos
Disjecta, & infandum, Sodales,
Excidium memorare dignis

Speret

Speret querelis? O Heliconidum
Antiqua ſedes, o nemora, o ſacræ
Laurus, Meduſæique fontes,
Ingeniis celebrata Tempe
Fortuna quæ vos illacrymabili
Merſit ruina! Quid niſi nomina
Nunc nuda, deſertæque cautes,
Pieriis catulos ferarum
Celeſtis antris? Heu miſeras vices,
Caſuſque flendos! Omnia Thracius
Habet tirannus, nec fugatis
Barbarus hoſpitium Camęnis
Ullum reliquit. Tantùm Aquilonibus,
Sævisque rauci turbinibus Noti
Parnaſsus impulſus remugit,
Et madidis quatit Auſter alis
Impunè lucos, quos Aganippides,
Et ipſe quondam verticis arbiter
Nunc voce mulcebant acuta,
Nunc fidibus, citaræque cantu.
At non Dearum Mars quoque barbarus
Subvertit artes. Qualibet exules
In parte terrarum reſidant,
Inveniunt Helicona Divæ.
Sunt, Atticarum quos amor artium,
Dulceſque cantus, & citharæ juvant,
Quos docta ſecernit profano
Frons ederis redimita vulgo.
Et Liza Muſas, & pater amnium
Scaldis virenti margine devias
Excepit, & feſtas dicavit
Carminibus, choreiſque ripas.
Florete ripę, Pieridum domus,
Sacrique colles, antraque Cynthio
Dilecta, quantùm non Citheron,
Non viridi numeroſa lauro
Secreta Pindi. Vos mihi Theſpio
Ripas ſonantes carmine, vos ſpecus,

Umbraſque Cirrhę, vos amœnos
Caſtaliæ ſimulatis amnes.
Hic Tollenari Muſa potens lyrę, JOANNES
Rerumque prudens, ſeſe homines ſupra TOLLE-
Curaſque mortales inerti NARIUS
Tollit humo, populumque vanis
Regeſque falli nominibus vetat.
Conſulta magnę quid ſapientiæ
Moramur evicti? quid umbras
Perſequimur, tenueſque tantùm
Captamus auras, ut canis irritos
Spartana morſus in vacuo aere
Exercet, elapſamque prædam
Non tenet aſſimilis tenenti?
Hic te magiſtro ſparſit Amor ſuas, HERMAN-
Hermane, tædas: hic gemitus dedit, NUS HUGO
Cæloque tranſmiſit querelas,
Quas Libanus, Solymęque valles,
Et parva Bethle retulit aureo
Percuſſa plectro, ſeu quibus exulem
Solata quondam Muſa regem
Hermonias pepulit cupreſſos.
Non ſola nuper Muſa tuis, Heſi GUILIELMUS
Vocata votis; ipſa etiam Fides HESIUS.
Immota veri, dum canebas,
Adfuit, ingenioque lætos
Afflavit ignes. Hæc fidibus dedit
Aptare noſtris, quæ Superum Pater
Celavit æternis minores
Conſiliis, voluitque credi.
Te vate non me caſſa fugacibus
Spes fallat umbris. Tu vacuum jubes,
Rerumque contemtu beatum,
Aſtra ſuper rapidoſque mundi
Fulgentis orbes, prima in origine
Hærere pulcri. Tum nebulis procul
Et luce digreſſum maligna,
Principium juvat uſque & uſque

Finem-

Finemque rerum, quantùm acies ſinit,
Spectare tecum. Non mihi tunc nitor
Illudat auri, non voluptas
Attalico ſpecioſa cultu.
Non, amoris tunc ego ſim potens
Evolvere æſtus. Ah! penitus mihi
Puris inardeſcunt medullæ
Ignibus, abſiliuntque flammæ.
Nec pulſa non eſt ardua vatibus JABOBUS
Orcheſtra noſtris. Tu quoque grandiũ LIBENUS
Fies tragœdorum, Libene:
Tu nova Cecropio treatra
Tundis cothurno. Non tibi flebilis
Orbuſque Theſeus reliquias legit
Et oſsa nati: non feroces
OEdipodionio furore
Ad arma fratres, & ſolium vocas,
Thebaſque terres. Vidi ego fabulis
Majora fictis, cùm parenti
Creditus ingluviem ferarum
Expleſse natus pulpita miſcuit
Turbata luctu. Scena ſtetit nefas
Mirata, fraternæque tantum
Invidiæ licuiſſe flevit.
Non hujus eſt vis dicere pectoris,
Tui, Libene, eſt, quid patrius dolor,
Amorque, mentitæque mortis
Indicium potuere veſtes,
Tui, Libene, eſt dicere pectoris,
Quo clauſa motu fabula: quo minas
Vultu remiſit, quæ rependit
Oſcula, quos odiis amores
Ille, ille quondam venditus, & ſuis
Toga invidendus, Niliaco puer
Regi ſecundus, cui ſalutem
Debuit & Cererem Canopus,
Cui Luna, cui Sol præſcius imperi
Augur futuri ſubdiderant jubar,

 Viſæ-

Viſæque per noctem ſerenas
Pleiades, Hyadeſque flammas.
At vos meorum prima ſodalium
Pars, floſque vatum, cum quibus Aonas
Errare per lucos, diemque
Sæpè mihi licuit morantem
Explere cantu, dicite, quo pede
Collem ſubiſtis: dicite, qua ſitim
Levaſtis unda, quo ſcatebræ
Lene caput reperiſtis antro:
Vos verba puris æmula fontibus,
Cultuſque ſimplex munditiis, capit
Qualeſve Appelleis decebant
In tabulis venerem colores,
Aſsurgit omnis Sidronio chorus, SIDRONIUS
Volenſque laurum ſertaq; porrigit HOSSCHIUS:
Seu plectra ſumſit, ſive totum
Ipſe aliis Helicona pandit.
Et te per illos hoc duce vidimus ALOYSIUS
Colles vagantem, qui modò cælites LAVENBA-
Inter Poetas, Aloyſi, CHIUS.
Eleſia ſpatiaris umbra.
Becane, dulces te gremio Deæ GUILIELMUS
Fovere vatem; te puerum ſacra BECANUS.
Texere lauro mox daturæ
Promeritam capiti coronam.
Tibi ora Pitho finxit, & aurea
Liquente ſucco nectaris imbuit.
Narratur & cunis in ipſis
Te Pietas præiiſſe cantu.
Rerumque inanes Simplicitas tibi
Odiſse fucos & ſtrepitus dedit,
Illimis, & nuſquam fragoſus
Ut Superum caneres amores.
Erranté & illo vertice Cleinium FRANCISCUS
Per omne ducit Caliope nemus: CLEINIUS.
Totaque Goivardi receptus IGNATIUS
Mente Deus rapuit calenté GOIVARDUS.

In antra vatem Loiolidas ubi,
Et arma gentis, factaque fortia,
Ævoque venturo legendos
Fatidicus cecinit triumphos.
Et te, Caloni, ſæpè agitat Deus, JACOBUS
Divisque miſcet. Nec Friſius ſonat CALONIUS
Mortale quidquam, dum faventem JUSTUS
Sollicitat, patiturque Phœbum. FRISIUS
His, o Camœnæ, vatibus, & mihi
Virente lauro, ſi mereor, caput
Velate. Sic vobis ademtum
Reſtituant Helicona Belgæ.

ODE XII.

AD PETRVM CLASENIVM

IN ACADEMIA LOVANIENSI

Juris utriuſque Doctorem.

Cùm ad L. Vinum, v. de rebus creditis, lucubratiunculam ſuam evulgaret.

EX veteri fori conſuetudine Oratores cauſas acturi aſſignatum ſibi tempus aqua metiebantur ad clepſydram. Spectavit huc Ciceronis jocus in dicaces neſcio quos & voluptarios gancones, cùm & ipſe ad aquam pro M. Cælio peroraret. In luſtris quippe & conviviis, facundos inter immaneſque calices, cùm garrire ſemper, nunquam tacere conſueſſent, atque è popinis poſteà in lucem forenſem extracti cauſarum magnitudini imparem eloquentiam adferrent, eos feſtivè dixit ad vinum diſertos. Nimirum ut ipſe loquitur, alia fori vis eſt, alia triclinii: alia ſubſelliorum ratio, alia lectorum: non idem judicum, comeſſatorumque conſpectus: lux denique longè alia eſt ſolis, & lychnorum. Atque

adeò ſit plerumque, ut ad vinum diſerti, ad aquam infantes frigenteſque titubent, ac ſiniſtris auſpiciis cauſas ſuas clienteſque deſtituant. Sed mittamus Romani Oratoris jocum.

CLaſeni, Themidos togate Myſta,
Næ tu, dum faciles paras libellos,
Qui lites dirimunt, ſuperque vino
Partes conciliant, ſuperque vino
Legum diſcutiunt, ſecantque nodos,
Ad vinum meritò diſertus audis.
Attentas alius fatiget aures,
Et cauſas ubi feſſus ad ſtatutam
Exſudavit aquam, tulitque palmam,
Monſtretur digito, audiatque paſſim,
Hic eſt, quem colit, ille, quem clientum
Stipat turba frequens; hic acer ille,
Et ſubtilis, & ad brevem diſertus
Declamator aquam, forique princeps;
Hæc laudum quota pars erit tuarum,
Claſeni, Themidos togate Myſta?
Patroni tibi namque, quotquot iſdem
Hærent in tabulis, ſuperque vino
Partes conciliant, ſuperque vino
Legum diſcutiunt, ſecantque nodos
Tantùm cedere ſe fatentur omnes,
Quantùm frigida cedit ipſa vino.
At non te faciunt in his diſertum
Facundi calices. Olet lucernas
Hoc quodcumque tui ferunt libelli,
Præclari, faciles, boni libelli.
Qui pro pignore creditiſque rebus
Vocem ſollicito locat clienti,
Quandocumque tuos leget libellos,
Præclaros, faciles, bonos libellos,
Dicet, lampada non olere vinum.
At, ſi laus tamen eſt locuſque vero,
Ad vinum meritò diſertus audis,
Claſeni, Themidos togate Myſta.

LY-

LYRICORVM
LIBER TERTIUS.

ODE I.

AD

BEATAM VIRGINEM,

Quæ non procùl à Bruxella colitur in celeberrimo monte, qui ab abſinthio nomen ducit, Belgis Alſembergh dictus.

Cùm Leopoldus Guilielmus, Archidux Auſtriæ, Belgii Gubernator, templum illius ſubiiſſet.

STROPHE
CONTRA ABSINTHIUM.

E colle dulciſſimæ Virgini dicato abſinthium exſtirpandum eſſe.

QUæ te beato colle conſevit manus,
Saporis auſteri frutex?
Te flore pallidaque liventem coma,
Et triſtibus ſuccis gravem
Horrent propinquis excitæ ſilvis feræ,
Horrent capellæ tangere.
Non terra, non hoc convenit cælum tibi.
Te Pontus Arctoa rigens
Alat pruina: te Tomitanus Geta,
Te Tauricus meſſor legat,
Immitis, aſper, ſtirpis ingenio tuæ,
Suoque non diſpar ſolo.
Hic Diva ſedem fixit, hic implet ſuo
Benigna collem numine.

Hic

Hic mella fundit, ipſa melle dulcior
Nullique non mitis favet.
Tu me colonum, Diva, tu me frondibus
Veſtire te dignis ſine
Tibi dicatum verticem. Mitis tibi
Noſtriſque lenimen malis
Aſſurget olea, balſamumque cortice
Sudans odorato fluet.
Nihil hic Idumæ palma decedet, nihil
Hic uva decedet Cypro.
Sionis alto pulcra cypariſſus jugo
Libanoque certabit cedrus.
Non hic Sabęa virga, non Arabum crocus
Eoa tantùm ſidera
Primoque tactos ſole montes expetet,
Quantùm illa quę colis juga,
Illumque ſolem, luce qui tepens tua
Clementiùs terram fovet.
Quodcumque demum noſter hic feret labor.
Tibi creſcet, atque aliquid tui
Stirps quæque referet: nulla non dulcem exprimet
Promtamque miſereri indolem.
Fons purus, intactuſque, nec fruſtrà advenis
Habere numen creditus
Opima leni culta percurret pede,
Seriemque diſpoſitam arborum
Humore dulci nutriet. Quin & cava
Subinde libatus manu
Maculoſa morbis corpora & peſtem eluet,
Salubrium undarum pater.
Hic ſive magnę Virginis gremio tuas,
Leopolde, lauros inferes,
Sive in propinquo nemore frendentes apros
Cervoſque laſſus figere
Captabis umbras, collis intonſi jugum
Te Martis & rerum procul
Strepitu remotum, teque redditum tibi
Umbra hoſpitali proteget.

Nunc

Nunc alta cedrus, nunc triumphalis tibi
  Placebit arbor, ſeu magis
Amica pacis olea. Te capiet, ſcio,
  Auguſta majeſtas loci,
Locique præſes Diva; Diva balſamo,
  Et flore pubentis croci,
Palmæque baccis; & Sabæis frugibus,
  Dulcique oliva dulcior.

ANTISTROPHE

PRO ABSINTIO.

Abſinthium, malorum hic depulſorum indicium retinendum eſſe.

AMara meſſis, non ego, quamquam tibi
  Flos livet, & pallet coma,
Graviterque ſpirat, non ego, non te velim
  Cui nomen imponis jugo
Ferro reciſam eruere. Quo creſcis ſolo
  Secura perge creſcere.
Sacrumque latè verticem & collem tene,
  Futura tot diſcriminum,
Totieſque pulſæ teſtis ægrimoniæ
  Quoties laborantum annuit
Votis clientum Diva, nutu pellere
  Amara morborum efficax.
Non occupabis, perge, perge creſcere,
  Inutilis, ſolùm frutex
Benè ominatum ſtabis hoc ſignum jugo,
  Quos Diva, quotquot juverit.
Sic & leænæ pellis, aut acris lupi,
  Aut dentibus minax caput.
Quondam coloni vota, & infirmum pecus,
  Et obvium incurſu nemus
Sternentis apri, ſplendidis potentium
  Affixa pendent poſtibus,

Re-

evocantque cauſas gaudii ſpectantibus
Monumenta ſublati mali.
O blanda Mater, Attico nomen favo
Uvaque Cypri dulcius,
Quis has ad aras thura, quis preces tulit,
Triſtiſque, nec voti potens
Abſceſſit aris? Tu jubes molleſcere
Soluti ferri vincula:
Tu carcerum refringis æratas fores:
Tu ſæpè deſletis diem
Vocata reddis. Sæpè & informis lues,
Et lenta morborum cohors,
Comeſque lentis additus morbis dolor,
Macieſque vix ægrum trahens
Defecta greſſum, nomen ad tuum fugit.
Te dirus umbrarum arbiter
Impunè regna ſæpè populantem ſua
Horreſcit, atque imis pavens
Se condit antris. Auguror, veniet dies,
Brevique veniet. quatuo
Leopoldus arma victor affingens tholo
Extrema belli deleat.
At tu beato qui facis nomen jugo,
Saporis auſteri frutex,
Stabis reducta pace felix triſtium
Index malorum, quæ trahit
Bellona ſecum, quæque Leopoldi prece
Evicta Mater Thracios
Ad uſque fines egerit. Nona hoſtibus
Erepta ſigna, non locis
Perfoſſa centum ſcuta, & exuviæ ducum,
Nec æde pendentes ſacra;
Solum tabellæ, donaque aris addita
Opem loquentur Virginis.
Docebis, & tu, liber armorum metu
Quid Belga Dive debeat.
Non occupabis, perge, perge creſcere,
Inutilis ſolum frutex.

ODE

ODE II.

AD FREDERICVM DE MARSELAER, EQUITEM TOPARCHAM DE PARCK, &c.

LEGATO A SE SCRIPTO CLARUM.

Ignatium Mendozam, Marchionis Mondexar Ducis Infantado fratrem, Philippi II. & III. Hiſpaniæ Regum ad Venetos Legatum celebrat, qui peracta legatione hoc à Rege pro munere petiit, ut bona ejus venia ſibi liceret Societatem JESU *ingredi.*

NUllusne tandem, quem ſibi triſtibus
Everſa bellis ſæcula poſtulant,
Qualemve deſcribunt, tuæque
Inſtituunt, Frederice, curæ,
Nullusne tandem conſilio & prece
Irata Regum pectora molliat
Legatus, & lætum celebret
Pacifico reditum triumpho?
An, quod fateri ſit pudor, æmula,
Semperque, dum ſe latiùs efferat,
Infeſta bellantum cupido,
Quæ rapuit, vetat arma condi?
O ſi inquietis conſilium modò
Mendoza regnis & daret, & dato
Pareret orbis! jam coirent
Fœdera, jam litui ſilerent.
Dum certa nuper mens geminis fuit
Et vox Philippis, ac medio Patrum
Sedit Senatu, nil Atridæ,

Nil-

Nil Itacho, Cyneæque ceſſit.
Sive arma paci, ſeu magis otia
Præferret armis, audiit Adria
Excitus orantem, & ſonoras
Mulſit aquas, celereſque ventos.
Sed re peracta maluit abditus
Latere caſta Loiolidum domo,
Egenus, ignotus, reique
Splendidior dominus relictæ.
Atqui ſciebat, quid ſibi regius
Favor pararet: quidquid erat tamen,
Quiete, nec quidquam petenti
Pauperie minus eſſe duxit.
Quis ſit toti inter, quorum humeris ſalus
Innixa Regum eſt, certior arbiter
Rerum gerendarum? Patrono
Sæpè malo bona cauſa nutat.
Hic conſulendus Regibus: hic docet,
Quæ prima belli ſemina, quæ viæ,
Quæ pacis artes, ipſe pacis,
Ipſe ſui ſibi cauſa regni.
Audite Reges: ipſe ſibi dedit
Mendoza regnum, dum nihil aut timet,
Aut ſperat, & rerum quod uſquam
Cernitur, attonitoſque fallit
Prævectus, infra ſe videt omnia,
Uno beatus, quo fruitur, bono.
Audite Legati: quod unum
Tot ſtudiis opibuſque regna
Utrimque poſcunt, quod nimiùm diu
Pacis miniſtri gentibus invident,
Tantiſque nequidquam Gradivus
Nititur excidiis paciſci,
Mendoza ſecum ſancit, & ſibi
Janum ipſe clauſit, ferrea ſæcula,
Bellique dementes ruinas
Et viduas miſeratus urbes.
Ah! finiendis luctibus utiles

Ne-

Neſcitis artes. Magna tenentibus
Majora deſunt, & quid abſit
Reſpicitur, petiturque ferro.
Quò bella, quò vos deferet impotens
Tandem cupido? Siſtite barbaras
Cædes, fatigatumque Martem
Immodicis prohibete votis.
Quæcumque diri meta cupidinis,
Hæc ipſa belli eſt. Ille odiis faces
Miniſtrat: ille iras & enſes
Exacuit: ſcelus omne in illo eſt.

O D E III.

GARCIÆ PIMENTELLI LAUDATA MORS
AD FRANCISCUM ET PETRUM PIMENTEL, E SOCIETATE JESU,
Ejuſdem Garciæ Fratres.

In Belgio militans occubuit Vir illuſtriſſimus aſpero accinctus cilicio, cum in obſidione Bergarum ad Zomam, diſſiliente hoſtili cuniculo, caſtrenſi crate in eum impulſa oppreſſus eſſet.

Non bellicam ſolum Fortitudinem, ſed etiam Chriſtianam Pœnitentiam, quæ pugnanti ferebat audaciam, ad ejus tumulum ſedere.

QUæ Muſa, Patres, quem modò plangimus,
Heroa dignè ſcribat, & altius
Æternet extentas in ævum
Carminibus citharaque laudes?

Dum

Dum bella nuper Belgica fortibus
Urgebat armis; & Pavor, & Fuga,
Pallorque, quà ſe cumque campo
Arduus intulerat, præibant:
Nunc terra cæſum dum gremio tegit,
Non ſola vultum pulvere Martio
Conſperſa Virtus, & leonum
Exuvias, variaſque lyncum
Incincta pelles ad tumulum ſedet,
Maneſque ſervat. Servat & hiſpidis
Velata ſetis, ſparſa crines,
Uda oculos Metanœa manes;
Teſtata, cujus militiæ inſuper
Ferret laborem: quos premeret jugo
Victor: quod ambiret ferendo
Imperium: quibus & triumphos
Deberet armis. Acrior, acrior,
Quàm qui videtur, remque gerit manu,
Nos poſcit hoſtis: nec pericla
Non etiam graviora terrent.
Incluſa peſtis viſceribus latet.
Et magna virtus ſæpè ſuis perit
Confecta telis: corpus ipſum
Nequitiæ ſua præbet arma.
Nunc felle pectus, nunc Paphio jecur
Torretur igni: lingua nocens ſuo
Denteſque liveſcunt veneno:
Sunt oculis ſua tela flammæ.
Et ſæpè diſcors in varias abit
Mens ſciſſa partes: utque parùm potens
Auriga per præceps equorum
Arbitrior rapitur ſuorum,
Sic, quà refringat lege cupidines,
Neſcit; nec illis, ſi ſciat, imperet.
Has inter ipſas fervet anceps
Conſiliis odiiſque pugna.
Non ſic cohorto plebs ſibi diffidet
Amens tumultu, cùm medias ruit

Pu-

Pugnax per urbes, & cruenta
Cuique ſuum dedit ira telum.
Ut illa victor bella retunderet,
Thoraca Diti non penetrabilem
Indutus ibat, quo ſubactos
Supplicio tenuaret artus.
Quem tutus illo pectora tegmine
Paveret hoſtem? Juſta moventibus
Dat cauſa vires, & quod obſtat
Dedidicit bona mens timere.
At quos libido per vetitum rapit,
Ad ſigna pallent, & genibus tremunt,
Ceduntque, ut imbelles ferocem
Dum fugiunt capreæ leonem.
Nec cauſa, cùm res & litui vocant,
Palloris una eſt: congeminat metum,
Quod quiſque fecit: quemque fraudis
Umbra ſuæ manifeſta terret.
Sic ante manes mens patitur ſuos
Impura manes: impatiens ſui
Sibi eſt Erinnys: quæ recuſat,
Pro facibus colubriſque noxa eſt.
Non ille caſtos exanimat pavor.
Primi laceſſunt prælia, provocant
Pericla primi, ſeque vita,
Quàm clypeo meliùs tuentur,
Sit ille triplex, ſit Chalybum manu
Incoctus igni. Ferrea mugiat
Procella telorum, & cadentum
Hæreat ante oculos imago,
Dum ſtare fas ſit, ſtant, ope Numinis
Cauſaque nixi. Talis erat manu,
Quem noſtra nunc mœſtis ademtum
Proſequitur lacrymis Thalia.
Mileſne credet? Pectora vidimus
Devota morti, vidimus aſpero
Horrere texto, cùm Gradivus
Sulphureum jaculatus imà

Tel-

Tellure fulmen, ruperat horrido
Vallum tum ulto, qua patuit via,
  Cœlumque fumanteſque nubes
    Increpitans. Dedit ille caſtris
Muroque labem, Zomaque turbidas
Concuſſit undas, & ſimul igneo
  Stantem Pimentellum fragoſa
    Turbine corripuit procella.
At non eodem, qui miſerabiles
Afflixit artus, concidit impetu
  Sublata virtus: ipſa cęlo
    Extulit impavidam ruina.

ODE LV.

IN FUNERE

MAXIMILIANI GANDAVILLANI

TORNACENSIUM EPISCOPI LXXXV.

Ex perſona Petri le Loup Prætoris Iſegemienſis, qui ejuſdem decimas exigebat.

EXtinctum miſero dolore Thyrſin
  Deflebat Lycus, aviuſque ſilvis,
Solamenque ſuo negans amori,
Solamenque ſuo negans dolori,
Fata, heu! ferrea, neſciamque flecti
Teſtatus Lacheſin, diu vocatum
Poſcebat prece, lacrymiſque Thyrſin.
Sed nec ferrea reddidere fata,
Nec Thyrſin Lacheſis: Lycumque fruſtrà
Vidit Lucifer, Heſperuſque flentem.
Vos o Helcinii referte colles
Vos o Helciniæ referte valles,
Quæ ſuſpiria ruperint querelas.
Namque è collibus illa, vallibuſque

Meſto

Mœſto cum gemitu remiſit Echo.
Et Scaldis pater audiit querentem;
Et flevit pariter, ſuiſque ab antris
Excitæ gemitum dedere Nymphæ.
His Nymphas præiit Lycus querelis,
Dum per devia, per fragoſa ſolæ,
Herbarum immemores, vagantur agnæ.
Hos, o, qui gemitus tuas ad aures
Ventus, Thyrſi, ferat! Lyci dolorem
Abſens noſce tui, beate Thyrſi.
Nec te non memorem mei recepit
Felix Elyſium, nec illa ficte
Delectant loca; quin ſubinde colles
Reſpectes patrios, Meoſque, dicas,
Hi ſervant cineres, Lycumque ſervant.
Hos, o qui gemitus tuas ad aures
Ventus, Thyrſi, ferat! Lyci dolorem
Abſcens noſce tui, beate Thyrſi.
Thyrſin delicias meas, meoſque,
Poſtquam funere raptus eſt, dolores
Et mecum Dryades amare diſcent,
Et mecum Dryades dolere diſcent?
Et quodcumque canam, canent & illæ,
Et quodcumque gemam, gement & illæ;
Conjungentque ſuos meis amores,
Conjungentque ſuos meis dolores.
Si deſit Dryadum chorus querenti,
Dicam collibus, aviiſque dicam
Queſtus arboribus, priùſque cedent
Piſces fluminibus, feræque ſilvis,
Quàm noſtris amor, & dolor medullis.
Hos, o qui gemitus tuas ad aures
Ventus, Thyrſi, ferat! Lyci dolorem
Abſens noſce tui, beate Thyrſi.
Hæc nuper volucres tegebat umbra,
Argutas volucres: & illa noſtra,
Dum Thyrſin canit, Æpolumque vicit
Cantando, meruit cicuta caprum.

At

At nunc omnis ager ſilet, ſilentque
Argutæ volucres, & illa noſtra,
Quæ nuper meruit cicuta caprum,
Pendens funerea ſilet cupreſſo:
Et, ſi quid mediter levare luctum,
Nil præter miſeras ſtrepit querelas.
Tecum ſcilicet, o beate Thyrſi,
Agris gratia ceſſit, & voluptas.
Dum præſens aderas, agros benigni
Mulcebant Zephiri: nemuſque frondes,
Et campi frutices, & aſtra rorem,
Et rores apibus dedere mella.
Nunc demum raptus abes, ſimul benigni
Ceſſerunt Zephiri, comæque ſilvis,
Et campis fructices: nec aſtra rorem,
Nec rores apibus dedere mella.
Tecum ſcilicet, o beate Thyrſi,
Agris gratia ceſſit, & voluptas.
Dum præſens aderas, tibi coloni
Sudabat labor, & Ceres virente
Turgebat ſtipula: tibi quotannis
Non ingratus ager dabat maniplos,
Noſtra ſepoſitos manu maniplos,
Plenos frugibus optimis maniplos,
Quales nec Lybie metit, nec udum
Centeno domitum ligone Tibus.
At nunc cui gravidos ego maniplos
Secernam domino? Probare noſtrum
Non ultrà potero tibi laborem,
Laudatamque fidem. Tamen ſupremùm
Dixiſti moriens. Probabis illi
Qui poſt me veniet, pedumque ſumet.
Non illud queat impedire livor,
Non mens improba, jurgiumque Codri.
Hæc tu deficiens, levique flexu
Fractos in me oculos, & ora vertens,
Dicebas, memini; meamque flentis
Senſi pænè animam migraſſe tecum.

At

At nunc, dum mihi, Thyrſi, te carendum eſt,
Dum te, Thyrſi, lapis tegit, nec uſquam
Terrarum mihi Thyrſis eſt, & umbra
Fruſtratur miſeros amata ſomnos,
Nec poſſunt ſine te placere colles,
Nec poſſunt ſine te placere valles.
Tecum ſcilicet, o beate Thyrſi,
Agris gratia ceſſit, & voluptas.
Vos o Helcinii valete colles,
Vos o Helcinię valete valles,
Arx antiqua vale, ſimulque, Thyrſi,
Extremum vale. Ipſe te quotannis
Largis fletibus, humidiſque ſertis,
Quando nunc aliud nihil relictum eſt,
Mœrens proſequar, annumque carmen
Si vox, & gemitus ſinant, rependam.
Hæc, & talia dum calente luctu
Cantabat Lycus, Heſperus gementem
Deprendit miſerans: ſuumque Thyrſin,
Thyrſin per juga, per vireta Thyrſin
Ne quidquam ingeminans, reduxit agnas.

ODE V.

NICOLAUS ALMAZAN DE LA CERDA,

SOCIETATIS JESU ASSISTENS,

Lecto plerumque non uſus, & cilicio ſemper indutus.

CErdam quis hoſtis falleret? impiger,
Rerumque prudens excubitor ſtetit,
Dura fatigatum reclinans
Corpus humo. Vigil ille Martem,

Martem ſilenti nocte ſub igneis
Spirabat aſtris. Nexa trilicibus
Lorica nodis, non ſagittis,
Non Scythico violanda ferro,
Armabat ingens pectus, & hoſtium
Frangebat iras. Salve Erebi potens
Tuique victor. Non ahenum
Æolio tibi cudit antro
Thoraca Lemnos: non Telamonius
Te texit umbo. Jam ſenio gravis
Setas, & hirſutos amictus
Indueris, Cilicumque texta.
Ævo trementes lugubre ſi ſagum
Attrivi: artus: at Stygii nihil
In te furores, nil acerbis
Actæ odiis potuere peſtes.
At jam refinxit Gloria lividos
Victoris artus: at laterum exuit
Tormentum, & injecit merentis
Purpureos humeris amictus.

ODE VI.

AD LUDOVICUM DE VALASCO, E SOCIETATE JESU.

Illum ſui victoria bellicas ſuorum laudes excedere.

IBera proles, non ego barbaro,
Injecta per vos vincula Nereo
Non Marte debellata dicam
Americes Aſiæque regna.
Sunt hæc avorum, ſunt, fateor, tuæ
Tropæa gentis. Vos ego regios

Mira-

Mirabor (hic veſtri triumphus
Martis erat] poſuiſſe cultus.
Tuæ, Velaſco, quis titulos domus
Faſtoſque neſcit, ſive equitum ciet
In arma turmas, ſive claro
Æthiopas ſubigit triumpho:
Sive & Philippo præſidium & ſuos
Præbente Divos ſceptra tenet manu,
Noſtrumque trans orbem repoſtos
Imperio moderatur Indos.
Vos ſæpè Mauro ſanguine decolor
Mirata Calpe eſt: vos Naſamonii
Senſere reges: vos ſubactę
Marmaridum tremuere terræ.
Quid arma tantùm, regnaque preſequor
Colliſa bello? Quid niſi mœnia,
Turreſque, pæruptaſque moles,
Imperii ruitura clauſtra,
Et nata leto corpora Martiæ
Stravere vires? Huc ades, o nova
Donande Ludovice lauro,
Bella novis meditatus armis.
Non, more, patrum, fulmineo quatis
Haſtam lacerto: non aciem regis;
Non Terror & Cædes euntem
Antevolant; lituiſque circùm
Horreſcit æther: Nil tuus alteri
Mars debet: unus caſtra tibi facis
Tu ductor, & miles moveri
Signa jubes, ſequeriſque, teque
Laceſſis idem, nil animo ſinens
Licere caſto Triſtitiam, & Metus,
Et Spes, & impermiſſa mentis
Gaudia, corporeaſque Peſtes
Vincis premendo. Sic tibi Pax venit,
Sertoque velat Palladio caput,
Afflatque ſomnos, quos nec arma,
Nec litui, ſtrepituſque rumpant.

Bellator, io! quis patrios tuis
Æquet triumphis? Non tibi ſanguine
Mercede pacto, ſed labore
Palma tuo meritiſque conſtat.

ODE VII.

AD
CAROLVM ET ALBERTVM
A MALASPINA,
BELGAS,
E Societate Jeſu.

PAr dulce fratrum, quorum atavis dedit
Mars grande nomen, ſive Atheſis pater
Cruentus iret, ſeu flagraret
Parthenope generoſa bello,
Fortuna quæ vos tam bona Belgicis
Donavit oris, ut thalami fide
Cum gente ſe noſtra jugaret
Magnum Italis Malaſpina nomen?
Non ut Falernus palmes in exteras
Translatus oras diſſimilis ſui eſt,
Succoſque non ſervans priores
Degenerat peregrina pomus:
Sic vera virtus. Patria vitibus
Sua eſt alendis: pampinus Africos
Imbreſque culpat: nec ſub Arcto,
Quas tepidis metit Indus arvis,
Fert terra meſses. At patriam ſibi
Metitur alti finibus ætheris
Virtus, nec an ſolis propinqui
Sub face, Parrhaſiove ſudet
Sub axe, curat. Stet glacialibus

Con-

Concreta nimbis, pulchrior evenit:
Nec ſervat, aut perdit vigorem
Arbitrio variantis auræ.
Teſtes mearum Belgica vos habet
Sententiarum. Sidere ſub ſuo
Vos illa fert, quales paterna
Vidit avos, atavoſque Parma.

O D E VIII.

ARNOLDO DE REYNEGOM,

In ordine S. Auguſtini vota ſolemnibus verbis nuncupanti.

Dialogus Guilielmi & Arnoldi fratrum.

Guil. DOnec nos amor, & fides
Conjunctos patria detinuit domo;
Quod fratri fuerat ſuo
Alter Tyndarides, hoc fueras mihi.
Arn. Poſtquam me pietas domo
Abduxit patria, quod fueras mihi.
Quod fratres Helenæ ſibi,
Hoc præſtat melior turba ſodalium.
Guil. At nunc abriperis meæ
Pars vitæ potior: nunc mea gaudia,
Nunc & delicias tuæ
Solamenque domus tecum abiens rapis.
Arn. At, qui me ſtimulat, Deus
Noſtri dimidio plus ſibi vindicat.
Vires, atque animum, atque opes,
Et quodcumque meum eſt, ille habeat ſibi
Guil. Ergo transfuga, pauperum
Nudus caſtra petes? nec tibi fenora
Aut feti parient greges,
Aut dives gravidis area meſſibus?

Arn. Virtus nullius indiga
Fenus grande ſibi eſt. Divitis Indiæ
Theſauris opulentior.
Parca ſuppeditat, quod ſatis eſt, manu.
Guil. Non pectus Scythico tibi
Exciſum eſt ſcopulo. Quid licitas faces
Quid dulcem tibi Liberum,
Quid molles epulas durior invides?
Arn. Verſos in pecudum genus
Circæo perhibent carmine remiges.
Me præter vada fervida,
Pellaceſque dolos aura ferens vehat.
Guil. An te ſervitii jugum
Voto ferre juvat non revocabili?
Atqui non benè quolibet
Libertas pretio venditur aureo.
Arn. O quiſquis volet aſperum
Excuſſiſſe jugum, ſancta jubentibus
Ultrò gaudeat obſequi,
Haud umquam dominus liberior ſui.
Guil. Quæ, frater, tibi par chelys,
Illum quando animum non domus, & genus,
on natura potentibus
Armata illecebris eripiat tibi?
Arn. Non, non hoc opis eſt meæ:
At cęli auſpiciis ibimus, ibimus,
Quò jurata Deo fides,
Humanoque vocat ſpiritus altior.

ODE

O D E IX.

Florentiſſimam variorum regnorum juventutem Societati JESU *ſeſe adjungentem celebrat.*

QUis me per Euri, per Boreæ domos,
Auſtrique tractus Pegaſus arduo
Ferat volatu? Me Garumnæ,
Me Rhodani, Tameſiſque potor,
Me Rhenus ingens, me ſibi Viſtula,
Iſterque poſcunt. Convolat undique
Invicta Pubes: ardet omni
Pugna loco, tripliceinque ſupplex
Virtute murum vividus inclytæ
Ardor juventæ. Quo ſibi robore
Ad ſigna Lojolæ negatum
Rumpit iter, cuneoſque denſat.
Fruſtra invidendis explicat atriis
Longam ſuorum progeniem pater.
Hæc prima laus eſt, ampla torvo
Atria præteriiſſe vultu.
Abſciſſa crines, & viduos parens
Amplexa poſtes diripuit ſinus,
Cœlumque complevit querelis,
Nec tenuit moritura natum.
Vis major urſit. Non ſi iterum graves
Crateras auro, & plauſtra Corinthiis
Onuſta ſignis, & quod uſquam
Terrifico malè blandus hoſti
Objecit hoſtis, fraus mala ſparſerit,
Objecta quemquam præda morabitur.
Si totus obluctetur orbis.
Vincet amor ſtudiumque recti.
Qualis recluſo libera carcere
Ruptiſque vinclis emicat alitum
Regina, & immenſam per æthram

 Ten-

Tendit iter fugiente penna:
Dat illa cęlo plauſum Hyperionis
Obverſa flammis, & vaga fulmina
Diemque portantes quadrigas
Luminibus videt irretortis:
Talis juventus, Jam ſua, jam novis
Addicta ſignis, quò Deus impulit
Et cauſa victrix, ad beatas
Ipſa viam ſibi fecit arces.
O feta magno pectora Numine,
Exemta terris, quæ neque purpuræ
Fulgentis uſus, nec doloſis
Mollit illecebris voluptas!
Non ordo patrum ſplendidus aſpici,
Non quæ ſuperbis porticibus ſtetit
Frequens ſalutantum caterva,
Vota animi generoſa flexit.
Dum Roma terras imperio reget,
Novaſque Romæ ſubdere ſtrenuus
Lojola florentes ad Eurum
Expediet Zephyrumque turmas,
Vos promta virtus, & niveus pudor,
Et munda caſtæ pauperies domus
Ævumque fortunamque ſupra
Tollet humo, Superiſque junget.
Quò vos avorum gloria Martiis
Spectata rebus provehat altiùs?
Aut quid tot heroum nepotes
Suſpiciant ſimile aut ſecundum?
Quidquid repugnat ſumma petentibus,
Hoc Marte frangunt: & generoſius
Perire dum quærunt, eodem
Fama jacet cinereſque buſto.

ODE

ODE X.

AD

AVGVSTINVM VRANCX,

E SOCIETATE JESU,

Cùm Olivam Pacis, hortatu P. Antonii Kintſii, ſuis verſibus celebraſſet, & in hanc rem de Amphione & Orpheo quædam accommodaſſet.

OHe quò raperis, canore vates;
Fugit te tua mens; ſuique plenum,
Et quid neſcio turbidum canentem
Verſat non ſolito Deus furore.
Auritos lapides, ſuiſque cautes
Avulſas ſcopulis ego ut coire
In turres jubeam, novaſque Thebas;
Imbelles Elegi, leveſquæ Muſæ
Æratis foribus revulſa clauſtra
Centum poſtibus additiſque centum
Firment roboribus; ſuoque cantu
Fundari jubeant domos & arces,
Quas nunc & cineres tegunt & herbæ;
Ohe quò raperis, canore vates;
Non hoc carminis eſt mei, nec artis.
Ceſſa non ſolito furore ceſſa
Tantum luſibus arrogare noſtris,
Hoc Orpheus citharæ ſciens lyræque,
Hoc blanda prece barbitoque fretus
Amphion potuit, ſede huic, & illi
Vocem cum cithara dedere Divi,
Illi Mercurius parens, & illi
Mater Calliope. Quid huc Camœnæ
Aſpirent tenues; ſequentur illas
Quercus ſcilicet, arduæque cautes.

Vos Bellæ juga, conſitique colles,
Vos hoſpes potiùs ſequor: ſequenti
Seceſſum mihi conſcioſque vatum
Saltus pandite, deviaſque valles.
O Phœbi domus, o amœna Bella,
Belgi deliciæ, beata tempe,
Vos dum me trahitis, nec expedito
Confeſtim ſinor advolare curſu,
Juro (Calliopeja pejeranti
Nec carmen mihi, nec miniſtret undas)
Per lauros, Aganippidoſque fontes,
Per Pindi ſacra, Phœcidoſque templa,
Id per vim fieri, moraſque necti
(Heu lentas nimiùm moras!) amori.
Nam cur Pieridas morer vocantes,
Cùm ſint & faciles mihi vocanti?
Hic me Kintſius ipſe, Vrancxiuſque
Defeſſum accipient, mihique totis
Juncti pectoribus, petent dabuntque
Amplexus mihi mille, mutuiſque
Nexi hærebimus arctiùs lacertis,
Quàm molles ederæ, vel ulmus hæret,
Ille vel ſalici, vel illa viti.
Nec tantùm patriis amata Nymphis
Me Tempe capient, & ipſa Bella:
Quamvis & patriis amata Nymphis
Me Tempe capient, & ipſa Bella:
Quantùm Kintſius ipſe, Vrancxiuſque
Hic denſum arboribus nemus canentes
Secernent populo, canentibuſque
Lactis flumina nectariſque fontes
Grato molliter obſtrepent ſuſurro.
Hic è ceſpite, ſub virente lauro,
Paci gramineam ſtruemus aram.
Dicemus pariter: Reviſe noſtrum,
Quid Pax aurea, quid moraris? orbem.
Te frugum Dea, te Pales abactos.
Lugens cum gregibus gregum magiſtros.

Abſen-

Abſentem nimiùm diu requirunt.
En ut ſarcula, ruſticaſque falces,
Queis herbas meliùs, graveſque meſſor
Tonderet ſegetes, in arma paſſim,
Non hos agricolis datas in uſus,
Diffingit furor! En ut ipſa belli
Feralis ſpecies ubique mœſtos
Exterret populos! Cruore noſtro
Quis non decolor intepeſcit amnis,
Quis non ſqualet ager? Reviſe noſtrum,
Quid Pax aurea, quid moraris? orbem.
Te Fas, te Pietas, Amorque recti,
Te Candor ſequitur: reditque tecum
Regnorum vigor, aureumque ſæclum.
Fraterno madidas cruore tecum
Terras Erigone peroſa liquit;
Pacatas repetet coletque tecum.
At Vis, & Rabies, Metuſque, & Iræ,
Et cæcus Furor, impiæque Fraudes
Cocytum repetent. Reviſe noſtrum,
Quid Pax aurea, quid moraris? orbem.
Te Ver flore novo, Cereſque ſpicis
Cinget flava ſuis: tibi Lyæus
Fundet vina pater: choriſque noſtris
Permiſtæ Charites tibi virentem
Innectent Oleam. Reviſe noſtrum,
Quid pax aurea, quid moraris? orbem.
Hæc ad pacificas canemus aras
Concordes animis lyriſque vates.
Hic noſter labor: hinc paranda nobis
Surget laura. Sic Oliva Pacis
Lauris addita gratiùs virebit.

ODE XI.

AD

CAROLVM LAVRIN,

PISCIUM FASTIDIO LABORANTEM.

Ex perſona avunculi Georgii Vvvens, in Supremo Brabantiæ Senatu Conſiliarii.

Faſtidii cauſam horoſcopo ejus aſſignat: eumque jejunii verni tempore ad piſces invitat, eorum faſtidium carmine diſcuſſurus.

QUod ſidus tibi, Carole,
 Naſcenti placidis fulſerit ignibus,
Nec fas ſcire; nec abditam
 Fati dicere vim, carminis eſt mei.
At, quantùm æthereas mihi
 Perluſtrare domos Urani ædedit;
Piſces, ultima ſidera,
 Subſediſſe reor Tethyos in ſinu,
Aut magni imperio Jovis
 Euphratæa iterùm trans vada naufragum
Subvexiſſe Cupidinem,
 Cùm primùm tepidis humida fletibus
Vitæ limina tangeres.
 Nam cur hæc adeò ſtella tibi eſt gravis?
Aut cur ſic ſtomachum movet
 Faſtidita tibi copia piſcium?
Cur illos quaſi Theſſalo
 Sparſos Canidiæ gramine deſpuis?
Muſæ ſiqua fides meæ,
 Cum te tergeminæ, Carole, Gratiæ
Naſcentem exciperent ſinu,
 Feliceſque faces Heſperus undique

Pleno

Pleno cogeret agmine,
  Ut cunas radiis ſpargeret aureis,
Piſces illo aberant choro:
  Et merſi pelago nec rutilum jubar,
Nec deſiderium ſui
  Infudere animo. Nauſea piſcium
Illa fluxit origine.
  Ergo perpetuum, quæ ſalis ęquora,
Et dulces pariunt lacus,
  Sint intacta tibi? Non Syrus, & Pharos,
Non & Parthoides ſenex,
  Ropto ſi tumulo prodeat, hoc velit.
Hic mollem, pueri, ſcarum.
  Hic trutam, teneros hic mihi lucios,
Laudatumque acipenſerem,
  Mullumque, & ſoleas ponite, & oſtrea
Dulcis cum pateta meri.
  Mecum, Pieriis non ſine cantibus,
Convivabere, Carole.
  Nil adverſa time ſidera: ſiderum
Fatales ſtomacho minas
  Dulci Pierides carmine lenient.

ODE XII.

AD

ALOYSIVM LAVENBACH

E SOCIETATE JESU.

Cùm ſub aſperrimum gelu neſcio quid rerum ſuarum à ſe deſcribi poſtulaſſet.

QUis te, quis rapuit calor, quis æſtus?
  Dum vinctas glacie coercet undas
Durus Jupiter algiduſque Caurus,

Cui

Cui non & digiti rigent & artus?
Et duri Jovis immemorque Cauri
Tu me ſcribere, tu movere mandas
Arctoo digitos gelu rigentes?
Quis te, quis rapuit calor, quis æſtus?
Si præcordia ſanguinemque noſtrum,
Quæ Scaldim modò Diliamque vinxit,
Vinciret glacies, ad hos calores
Ardoreſque tuos repentè noſtris
Ceſſiſſet glacies ſoluta venis.
Plus illi tepido valent ſereno,
Plus molli Zephyro, novoque vere.
Quid Cauros igitur, geluque tardos
Excuſem digitos, nec expetitas
Curem protinus expedire chartas,
Quamvis illepidas, & eruditos
Indignas oculos ſubire chartas?
Vos ite intereà, brevemque ſaltem
Exorate moram mei Phaleuci.
Si vos dicat, ut eſtis, obſoletos
Seu fuligine, ſeu nigrante fumo,
Quæſo, dicite (nec diem locumque
Natalem fuerit pudor fateri)
Quòd me frigora compulere furvum
Vos excudere proximè caminum.

ODE XIII.

AD
LEONEM BELGICUM
DOMI MILITIÆQUE
VULNERIBUS ET MORBIS AFFECTUM

Cùm Petrus Braye, cui Leo gentilitia erat teſſera, ſolemni Medici titulo in Academia Lovanienſi ornaretur, & ſubinde rei bellicæ benè gerendæ præclaræ negligerentur opportunitates.

QUid lenta pendet, nec rutilam, ut priùs,
Toroſa cervix excutiens jubam
Incubit armo? quid remiſſos
Præda fugit, quibus hæſit, ungues?
Aſſurge, & iras concipe Belgica
Virtute dignas, quaque tuis patet
Arena bellis, i, negatas
Quære vias, adituſque rumpe.
Si concitatum ſpina tibi pedem
Impacta cæco vulnere ſauciet,
Eſt qui cruenta tam revellat,
Et medica levet arte vulnus.
Si te morentur quæ mediis vides
Stipata campis agmina, ſi cruor
Per ora ſudanteſque villos
Multus eat, pretioque palma
Emenda tanto eſt, eſt ab hiantibus
Qui fixa coſtis ſpicula detrahat,
Tabumque ſudoremque tergat,
Et laceros medicetur artus,
At non acerbo ſola viam facit
Bellona leto. Parte alia nocet,

Ævi-

Ævique labentis vigorem
Præcipitat, volucriſque fati
Impellit alas quidquid ab infero
Emerſit Orci gurgite, pyxidem
Pandora dum clauſam relevit
Ingenio malè curioſo.
Hinc annus orbi letifer incubat,
Auſtroſque cælum corporibus graves
Aſpirat. Interdum venenis,
Quas trahimus, vitiantur auræ.
Funeſta nuſquam non domus eſt: carent
Illota juſtis funera honoribus:
Nec terra projectis nec arbor
Sufficit in tumulos & urnas.
At ire contrà nil metuet potens
Myſtes Hygiæ, cui penetralia
Recluſit, herbarumque tutas
Noſſe dedit Medicina vires.
Novit quid ægris utile, quid nocens;
Vis unde morbi: vena quid indicet:
Quæ culpa ferro, quæ ſit igni,
Quæ medicis abolenda ſuccis,
Hac arte fatis injiciet moram,
Magniſque peſtes exiget urbibus,
Crebraſque ſubducet frementi
Exuvias animaſque Morti.
Sic, Petre, ſic te Diva ſuperſtitem
Hygia ſervet: ſic medica valens
Manu laborantem Leonem,
Et patrias tuearis urbes;
Sic fas ſit olim dicere, poſtera
Quod laudet ætas, te quoque Belgici
Vixiſſe tutorem 1 Leonis,
Belgicus ut Leo te tuetur.

JA-

1 *Reſpeximus ad id quod Andrødo leonem per urbem deducenti acclamatum fuit: Hic eſt leo hoſpes hominis, Hic eſt homo medicus leonis.*

JACOBUS VVALLIUS
PETRO JACOBO VVALLIO
FRATRIS SUI FILIOLO.

Miſi, Petre Jacobe, Arnoldo fratri tuo carmen, cùm loqui nondum poſſet tibi, ne a me præteritus fuiſſe videaris, epiſtolam mitto cum libelli mei, qui nunc prodit, exemplo. Non ut illius te lectione magnoperè detineas, qui literas nondum attigiſti; ſed ut ea quæ nondum capis, admirari jam nunc aſſueſcas. Fit enim neſcio quo modo, ut eorum etiam ſtudiorum, quæ nondum per ætatem attigimus, cupiditate incendamur, ſi animum præoccupet eorum dignitas & exiſtimatio. Itaque tempeſtivus ad te hortator accedo, ut, cùm Latini ſermonis a te parandæ fuerint opes, id ea facias contentione animi, quæ ſperare me jubeat, cùm in Muſarum adyta penetraveris, earum te conſuetudine atque uſu captum iri. Nimirum ex abſolutiſſima oportet literarum cognitione effloreſcat ac redundet poeſis: adeoque niſi divitiæ illæ & ornamenta ingenii atque linguæ, quæ hanc artem cęteris extollunt altiùs, ubertim affluant, nihil poetæ, in quo magnus eſſe poſſit, relinquitur. Sive enim fingendi amplificandique licentiam

quæ

quæ hic una dominatur, ſequi velit, ſive ætatis cuiuſque mores effingere, ſive aliud quidpiam perpolire, quænam ad id præſtandum illi eſſe poteſt hiſce præſidiis deſtituto facultas aut copia? Ac propterea cogitanti mihi quid ſit, cur poetas multi docti homines, non quidem rectè, ſed tamen multi, in poſtremis habeant, non aliud occurrit certius, quàm quòd & ipſi neceſſariis ad poeticam præſidiis careant. Quod igitur in illa neglecti ſermonis jejunitate non vident, id, ut inſcitia plerumque res faſtidioſiſſima eſt, velut inutile, aut longè infra ſe poſitum deſpiciunt, judicii ſui in tanta corruptè, & inquinatè loquentium ſcribentiumque multitudine ſecuri. At tu ætate tua nunc uti incipe, atque illud paullatim enitere & elabora, ut magno elegantiarum omnium inſtructu ornatuque ad hæc tractanda ſtudia te effingas. Eo certè conſilio domeſticum tibi exemplum, qui ſtimulus acerrimus eſt monendi, ante oculos pono. Quo ſi te incitari videam, næ ego poſthac non modò te, ſed etiam Muſas meas plus amem. Nec laboro, ſiquis, qui ex eorum neceſſe ſit numero, quibus poeſis in contemtum venit, in me conjiciat, quod Q. Cicero Marco fratri, exemplo illum ſuo in publicum lucemque forenſem extrahere cupienti, reſpondiſſe fertur. Abhorrebat is, ſive judicio, ut dicebat ipſe de ſe, ſi-

ve,

ve, ut eloquentiæ pater Iſocrates; pudore & ingenua quadam timiditate a tribunalibus, tractandiſque cauſis: ac proinde familiariter & jocandi gratia ſolitus erat dicere, unum ſatis eſſe non modò in una familia rhetorem, ſed pænè in tota civitate. Dixerit hoc vir prudentiſſimus joco planè ſapienti ac seriò, quòd non ignoraret in tanta litium æquè ac patronorum frequentia forum, velut ægrotę ac propè deſperatæ Reipublicæ partem, remediis laborare. At ſi Poetę elegantiarum omnium florem, ſi ſublimiorum ſcientiarum ornamenta, ſi rerum benè prudenterque gerendarum præſidia penes ſe habeant, ſi ut verba, ſic mores componant, cur aliquis tam parcè tamque reſtrictè illorum numerum præfiniendum putet, ut nolit quemquam ſicuti ſanguinis, ſic horum ſtudiorum cognatione alteri devinctum teneri? Ego vero te, Petre Iacobe, ad quem juſtis veluti tabulis aliqua poeticæ laudis perventura eſt hereditas, cavere te jubeò, ne hanc nihilo locupletiorem feciſſe videaris. Quocirca ut animum tuum ad hæc ſtudia impellam magis, te ad Ciceronem, qui tibi brevi in manibus habebitur, voco: eamque a te iterùm atque iterum legi Epiſtolam volo, in qua Leptam viri clariſſimi filium, ſuaviſſimum puerum, pari fortaſſis tecum ætate atque indole, hortatur, non ut evolvat tantùm

ſed

ſed ut ediſcat Poetas , & habeat in ore preclariſſimas eorum utiliſſimaſque ſententias. Ciceronem itaque cùm tractare primùm cœperis, ſic manibus teres, ut quoties in hunc epiſtolę locum incideris (incides autem mea cauſa ſæpius) ſimul memineris ita tibi in literas incumbendum, ut cùm ad Poetas veneris, Leptę Romani illius pueri quadam ęmulatione eos poſſis & cum fructu legere, & ediſcere cum voluptate. Tu interim, ut, iiſdem ferè te verbis alloquar, quibus apud Virgilium regia mulier Aſcanium, ſpem ſurgentis Ro*mę*,

Accipe, Muſarum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, & longum patrui teſtentur amorem.

APPRO.

APPROBATIO CENSORIS.

a SVm ex iis qui miror antiquos, non tamen, ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neque enim quaſi laſſa & effeta natura, ut nihil jam laudabile pariat. Atque adeò legi Jacobi VVallij Poemata *ad exemplar veterum ſcripta tam benè, ut eſſe quandoque poſſint exemplar*. Itaquibus olim verbis Virginii Romani Plinius, ego hujus poeſin proſequi mihi poſſe videor.

a Plin. lib. 6. Epiſt. 21.

Chriſtianus Voocbts Canonicus, & Archid. Ant. Lib. Cenſor.

F A-

FACULTAS
R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS
SOCIETATIS JESU,

EGo Thomas Dekens Præpoſitus Provincialis Societatis Jeſu in Provincia Flandro-Belgica, poteſtate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Præpoſito Generali Goſvvino Nickel, facultatem concedo, ut P. Jacobi Vande VValle Societatis noſtræ Sacerdotis Poematum libri novem, eruditorum ex eadem Societate noſtra virorum judicio probati, typis excudantur. In cujus rei fidem literas manu mea ſubſcriptas, & ſigillo officii mei munitas dedi Mechliniæ xxv. Auguſti, anno M. DC. LX.

Thomas Dekens.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG 2019597

Google

Digitized by Google